This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

Mason
Q. 47.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

THESAVRVS
DISSERTATIONVM, QVIBVS HISTORIA GEOGRAPHIA ET ANTIQVITATES TAM SACRAE QVAM PROFANAE ILLVSTRANTVR, MAXIMAM PARTEM RARISSIMARVM,

ET EX MST. INTERDVM IN LVCEM PROLATARVM

EDITORE

M. IOH. CHRISTOPH. MARTINI
ACAD. SCIENT. ROBORET. VT ET DVCALIS SOCIET. TEVTON. QVAE HELMSTADII FLORET COLLEGA ET ALTORFINAE A SECRETIS.

BODLEIANA BIBLIOTHECA

TOM. I. PARS I.

NORIMBERGAE MDCCLXIII.
APVD AD. ION. FELSECKERI HEREDES
IN COMMISSIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO

ATQVE

POTENTISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

MAXIMIL. IOSEPHO

S. R. I. ARCHIDAPIFERO

ET ELECTORI

VTRIVSQVE BAVARIAE ET PALATINATVS SVPERIORIS DVCI, COMITI PALATINO RHENI LANDGRAVIO LEVCHTENBERGENSI ETC. ETC. ETC.

DOMINO

ET ELECTORI MEO

LONGE CLEMENTISSIMO.

Digitized by Google

eos qui artibus atque scientiis excolendis se totos consecrant, munificentia Tua vere regia, iuves et exornes; ita ut in TE, PRINCEPS CLEMENTISSIME, tanquam commune Eruditorum Asylum firmissimumque Palladium intueantur, et TE mira prorsus consensione, et uno veluti ore, non Bavariae solum, sed etiam Germaniae Eruditae quam late patet, Praesidium appellent. Quemadmodum ergo iam plura SERENITATI TVAE, doctorum oblata munuscula non dedignatus es: ita TIBI, PRINCEPS CLEMENTISSIME, nec hoc displicebit, quod demississime atque subiectissime consecro, opus. Quod si serena fronte exceperis et TIBI gratum esse intellexero, omnia summa me consecutum putabo. Ita vive, vale et flore, ELECTOR POTENTISSIME in incomparabilem virtutis et felicitatis nunquam intermoriturae gloriam, in Germaniae, quanta quanta est, salutem, in subditorum delicias, in Musarum dulce decus ac solatium, sine valetudinis aut fortunae offensa, salvus atque incolumis quam diutissime, ut vetustissima Stirps Wittelsbacensis, et inprimis linea Wilhelmina, in perpetuum, ad seculorum finem vigeat et laetius laetiusque efflorescat!

SERENITATI TVAE

Altorfii Noricorum
die sexto Iduum
Martii
A. MDCCLXIII.

humillimus ac devotissimus
IOH. CHRISTOPH. MARTINI.

PRAE-

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Quanto ſtudio, quantaque cura ac indefeſſa diligentia, poſt reſtauratas in orbe literas, Viri incomparabiles, ac magnis in Rempublicam literariam meritis clariſſimi, ad noſtram usque aetatem in id incubuerunt, ut Antiquitates, Hiſtoriam et Geographiam, omnis aevi omniumque provinciarum, e tenebris et latebris ſuis eruerent, cunctis, quibus ſtudia elegantiora curae ſunt cordique notum eſſe debet. Superſunt tamen Commentationes multae, Antiquitatibus, rebusque Hiſtoricis et Geographicis adcuratius cognoſcendis ut potiſſimum inſervientes, quae adhuc in paucorum manibus verſantur, adeoque eodem fere pretio cum Manuſcriptis Codicibus, ſaltem ab exteris aeſtimari merentur. Haec itaque paucarum paginarum opuſcula, cito alias peritura, maioribusque ſaepiſſime libris, quoad argumentorum digni-

Digitized by Google

dignitatem et elaborationis induſtriam multo commendatiora, ideoque anxie expetita, fruſtra vero plerumque quaeſita, in unum quaſi corpus collegi, neque aliis in eo conceſſi locum Scriptoribus, quam iis, qui tum meo, tum aliorum praeſtantiſſimorum in his ſcientiis Magiſtrorum iudicio, ſingularem quandam atque exquiſitam conſequebantur laudem. His igitur Fautoribus Humaniſſimis, qui et multos libellos mihi tranſmiſerunt, et etiam conſiliis optatiſſimis ſemper praeſto fuerunt, publice grates, quas poſſum ago maximas; alios inſuper Viros doctrina celeberrimos imploraturus, ut mecum illas diſſertationes, quas vel ipſi elaborarunt, et nondum luci publicae expoſuerunt, vel quas in Bibliothecis ſuis inſtructiſſimis tanquam Cimelia aſſervant, benevole communicent, hocque modo non ad amplificandum ſolum Antiquitatum, Hiſtoriae et Geographiae ſtudium plurimum conferre, ſed etiam ſimul gloriae ſuae publicoque commodo velificari velint. Caeterum paucas illas commentationes, quae quidem in noſtris regionibus venales proſtant, eum tamen in finem recudendas curavimus, ut etiam exteris in tali collectione innoteſcant. Tu, Lector Amice et Candide, et hoc, quidquid eſt, aequi bonique conſule, et partem ſecundam eodem habitu, ſimilique typorum et chartae elegantia ac nitore, ut primum temporibus hiſce quibus fides et pax et neglecta redeunt ſtudia fieri poteſt, expecta. Dabam in Academia Altorfina die quinto Iduum Martii A. O. R. MDCCLXIII.

I. RES-

Digitized by Google

I.

RESPVBLICA GLACIALIS.

SIVE DE HYBERNA PISCATIONE APVD SVECOS STOCKHOLMIAE 1681. *

REmpublicam Glacialem Societas constituit, eorum qui ruri in eodem tractu, circa lacus, flumina, vel stagna cohabitant. Inter hos iura piscatoria, instrumenta, et emolumenta certo tempore communia sunt. Administratio rerum, quibusdam officiariis demandatur, qui anniversariis comitiis creantur. Nam imminente hyeme, et iam congelatis aquis, congregari atque imprimis de eligendo Rege

* Libellum hunc eximiae raritatis ab Amplissimo Reinhardo Professore Erlangensi celeberrimo, humaniter nobis transmissum, hac quoque ex causa cum Benev. Lect. communicare voluimus, quia naturalem Sueciae conditionem ratione piscationis explicat atque illustrat. Autor, uti ex praefatione Iohannis Loccenii patet, fuit perillustris Regni Sueciei Baro, cuius nomen ignoramus.

Digitized by Google

consultare solent, (hoc nomine directorem, qui omni negotio praeest, appellant) requiritur in eo primum notitia omnium locorum, qui piscatui apti sunt, ne per eius imperitiam, retia scopulis, truncis, vel arborum resectis impingantur; deinde prudentia dimetiendi singulis iactibus verriculi, foramina, iusta distantia, et locis commodis. Oportet eum aequum esse, neque in unam partem magis quam alteram inclinare, sub praetextu fortassis, hanc partem lacus pisculentiorem esse illa, saepius in hac piscatum instituat, in gratiam eorum quibus portio littoralis, et ius maximi piscis competit. Attribuit sibi ius eligendi Regis, qui ex sociis plus aquae possidet. Oritur aliquando de hoc iure controversia, dum certant plures, uter clientem vel colonum suum ad regnum hoc promoveat, Vniversae societatis interest Regem (ut modo dictum est) aquarum expertum sumi et probum, saepe tamen communi bono nocent potentiores, qui cupiunt Regem fieri eum, quem aliquomodo sibi addictum vel obligatum sciunt. Raro fit, ut ii, qui societatem hanc piscatoriam iniverunt, sint omnes paris conditionis. Praeter plebeios enim vel ordinis Nobilium aut militaris aliqui, vel curiones, eius participes sunt. Facile rustici conveniunt et propter simplicitatem et aequalitatem. Inter illos V. potentiores huius Reip. cives, controversiae plurimae oriri solent; facilius consentiunt, si plures aeque pollent, quam cum duo tantum praepotentes aemulantur, nullo tertio, cui alteruter se adiungat, existente. Huiusmodi aemula-

Digitized by Google

aemulationes maxime nocivae sunt civitati, quae dividunt eam in partes et factiones. Coloni enim unius nobilis velint, nolint, voluntatem eius sequi tenentur. Praecipue si absentibus Dominis eorum villici, aut Praefecti, ut inciviliores et ad iurgia magis propensi, rem tractant. Saepe una pars votum in electione Regis, vel si quid aliud praetendit, non obtinens curat seiunctionem, tam in suum, quam alterius partis detrimentum. Vbi consuitur verriculum, providendum est, ne minus fiat, quam aquarum profunditas exigit, ne pauciores sint operarii, quam requirit magnitudo verriculi; tum fiunt capitulationes et sponsiones de fide Regis et reliquorum officialium, ut absque propensione in alterutram partem res omnibus iuste administretur. Constituto Rege ordinantur caeteri qui continuum officium gerunt, Quaestores, Ductores verriculi et restium, cum perticariis et excisoribus foraminum quod et quale officium sit uniuscuiusque commodius in contextu operis dicetur. Apud quosdam haec officia sunt perennia, sed in singulos dies, vel ad tempus prorogantur. Sic progreditur ad collationem retium, funium et instrumentorum. Tum disputatio oritur, uter potiores partes attribuat? potissimum habetur, subministrare fundum verriculi quod est plerumque; praecipui civis privilegium; deinde praestatio funium, quae onerosior; postremo retium uter maiorem partem attribuat, controverti solet: saepe non concordantibus quibusdam potentioribus verriculum difficillime construitur. Quibusdam in locis unus aliquis integrum fundum confert,

Digitized by Google

alibi plures. Saepe duo tres vel quatuor ruſtici unam partem, alteram aliquis Nobilium tenet. Scio Nobiles inire noluiſſe ſocietatem alia conditione, niſi cum iure fundi verriculi; viciſſim ruſticos (ſed alterius domini) non admiſiſſe Nobiles, ſi ſibi adimeretur haec praerogativa. Coloni, nulla in re adverſari Dominis agrorum poſſunt, ex gratia habentes, quod pro collatione retium, et laboribus, partiri piſces cum illis poſſint. Habent enim ſolum uſumfructum agrorum ad praelimitatum tempus, de quo in iure noſtro Jordb. LL. cap. 20. et ſeq. conſtitutum eſt. Finitis iam pactionibus, ſublatis controverſiis, et inita ſocietate, collationi omnium neceſſariarum rerum dies indicitur. Inſpiciuntur tum omnia, tum officiales piſcatus, rei gerendae praeponuntur. In luſtratione, inſtrumentorum reprobari ſolent plurima. Tandem ubi conſuendo verriculo, et adnectendis funibus, corticibus, lapillis, tempus adeſt, negotium ipſum ſuſcipitur. Verriculum filis cannabinis vel ſtupeis texitur, fundus lineis. Hunc ſpiſſiori et firmiori ligatura connecti neceſſe eſt, ut in quem omnis vis piſcium irretienda atque protrahenda venit. Plagis et rariorſbus nodis brachia verriculi conſtant, quae lentó progreſſu terrent compelluntque piſces in medium, nec antequam extrahi incipiunt, anguſtato demum curſu, in extremum ſinum fit impetus. Magnitudo verriculi ad quantitatem ſociorum, aut profunditatem aquae diverſa eſt. Solent connecti in utroque brachio, decem, quindecim aut viginti retium partes. Vnaquaeque pars duabus ſectioni-

Digitized by Google

sectionibus constat. Singulis denique hisce longitudo 20. ad 30. vel 40. ulnarum est; Latitudo 8. 12 vel 16. ulnarum. Fundus, qua duobus brachiis subsuitur, eorum amplitudini respondet, paulatim usque ad infimam angustiam diminutus atque coarctatus. Tolerantur quandoque rupturae, hiatusque si contingunt in brachiis, fundum vero mutilatum esse non indulgetur; quem condensum et integrum esse oportet, ita ut minimis quoque piscibus continendis sufficiat. Longus est fundus, extensus plus minùs viginti ulnis. Alligant asserculos et assulas, deficiente subere, ad sublevanda retia, vicissim lateri eorum inferiori lapilli, pugni forte magnitudine, quibus demergantur. Exacta est adhibenda cura ne ponderent nimis, retiaque non extendant modo, sed aggravent ac deprimant. Tabella sustinet orificium fundi quae proxime glaciei fluitans, ingressum patulum conservat et apertum. Funis centum quinquaginta ulnis, paulo vel pluribus vel paucioribus, pro diversitate sagenarum constat, qui unicuique brachio, acillis incurvis praemunito affigitur. Priorem vero funis extremitatem palangae seu perticae decim fortassis aut viginti ulnarum sustentant. Quae ut abiegnae purae et recentes, per foramina aut etiam ipsam glaciem nivibus non obductam perlucent; commodeque per iactum dirigi possunt, donec in extremo foramine consertae simul extrahantur in glaciem. Minores funes non nisi cannabinos esse convenit, maiores saepe e tiliae libris; imo interdum e contortis ramusculis betulae conficiuntur hi cannabini

bini per biennium plerumque durant. Bidentes et harpagones, protrudendis perticis, unum vero ligneum longiorem iisdem indagandis habent. Securi, palo ferreo, sive tudicula, stylo acuminato et ponderoso ad pertundendam glaciem utuntur; qua pertusa, tutellis et palis, fragmenta, e foramine, proiiciunt, quo rectius negotia sua subglacialia cernant. Peracta iam verriculi, eiusque partium descriptione, constitutionem et affectiones glaciei videamus. Conglaciari solent hic Lacus in mense Novembri aut Decembri, quod idem notavit Ola. lib. 20. c. 16. Si remissior hyems fuerit; primum sinus quidam astringuntur, et quae ripis proxima sunt; non nunquam vero tepescente aere et nimbis vicissim resolvuntur. Imo interdum ter vel quater omnem Lacum glacie coopertum videas, totiesque denudatum, antequam in durabilem firmitatem concrescat. Accidit quoque ut quo primum frigore compacta est glacies, tota hyeme maneat, statimque post unam vel alteram noctem hominem ferat, deinde etiam iumentum. Nihil magis congelationem, post acritatem frigoris, quam aquae tranquillitas iuvat at pro diversa constitutione Coeli, aeris aut aquae, efficitur gelicidium ipsum specie et natura diversissimum. Vnde vel damnum in Remp. nostram, vel emolumentum redundat. In autumno concretio recens plerumque plena est et compacta, ut quamvis adhuc tenuis, firmior tamen sit verna et densiori, estque clara atque translucida, Rempub. equidem administrantibus commoda, sed fertur pisces tum umbra perterrefactos, dispelli.

Digitized by Google

diſpelli. Attamen tum felicior captura eſt, ut integro et novo adhuc verriculo, quando intenſius frigus aliquamdiu duraverit, in glacie audias refundi murmur et ſtrepitum perpetuum, et hac murmuratione non aliud certius indicium habebis magni frigoris. Si durata fuerit aqua quieta, fit plana glacies, at lubrica, adeo ut calcari certo greſſu non poſſit, niſi ferrum calceis, crepidisve ligneis ſubligetur; huiusmodi ferris vario modo fabricatis et inventis utuntur, ut greſſus infigantur tanquam in ſolo. At ſi cum glaciatur, venti aquam commouerint bruma comitante, fit diſcolor et cruſtata, fruſtis ventro diſruptis, gelu iterum connexis, ut Poeta: *concreſcunt ſubitae currenti in flumine cruſtae*, et Saxo Grammaticus: cruſtatum glacie aequor. Evenit tum quandoque ut tota eius ſuperficies aſpera ac fragoſa ſit, cum *humor glaciatur in gemmas*, rurſum haec ſuper inſtante aqua congelata, complanatur, novaque glacie obtegitur. Interdum quoque inter inferiorem illam ac ſuperiorem tenuem adhuc aqua diu permanet quando nimio frigore aqua ſubter exſiccatur, pallescitque glacies. Plinius hoc teſtatus eſt: *liquor, omnis congelatione minuitur*: ſed fiunt quoque fracturae ab uno ad obverſum littus, diſſecta glacie, ut nemini tranſitus pateat. Frigori id quidam adſcribunt, alii exhalationes aquae coactae effringere glaciem credunt. Aqua nivibus ſoluta, mirum in modum glaciem perrumpit, omnemque ſe per excavata foramina effundit atque ſubducit, congelantur et nives.

Digitized by Google

Et posita ut glaciet nives,
Puro lumine Iupiter.

Huiusmodi glaciem minus plenam et firmam vidimus, sed concavam et inanem. Maximo impedimento Reip. nimia glaciei crassities, quo maior insumendus est labor incidendis foraminibus, et quaerendis perticis. Observavit Ola. M. suo tempore glacies in densitate habere palmas sex, et 8 et 10. quod *vix ullo forabilis ictu*: ipse expertum habeo, et scio Olaum non modo de Bothnia hoc referre potuisse, verum et de Svecia meridionali; adeo ut facile affirmem glaciem hic fuisse sicuti Anno 1638. et sequentibus dicta mensura tenuiorem, ita Anno 1643. longe crassiorem. Infesta demum est Reipub. nostrae, nivium copia exuberans. Cum videmus *ut alta stet nive candida glacies*, quod omni negotio piscatorio obesse solet. Imprimis si flante vento ninxerit, et posita fuerit nix inaequaliter, in congeries eminentes iuxta spatia aperta: hae nives congestitiae molestissimae sunt, tam euntibus cum trahis, quam inclytae Reipublicae. Vbi iam radii solares et nimbi oppugnare incipiunt Reip. fundamentum, et ingruit *imbriferum ver*, solvitur littoribus glacies, et veluti tempore autumnali prope littus firmissima, in medio infirmior, sic verno, proxima terrae adeuntur, longinquiora diutius cohaerent. Verna glacies fragilior est, Autumnalis lentior. Facilius sub autumno praecaveas ne incidas, cum et cernere et audire licet cedentem dirumpentemque glaciem, veris tempore ex improviso se aperit et disseçat, ut ei tuto vix possis confidere;

Legas

Legas Olai Magni cap. 21. lib. 20. Adeo eſt porosa aut peruſta vi ſolis, aut abraſa fluentibus ſubter aquis ſeu vadis. Quidam lacus non ſunt congelabiles; raro tamen Respub. noſtra intermittitur, ut Olaus quoque tradidit, ante finem Martii. Igitur iam concreta glacie ad eam firmitudinem ut equum ferre poſſit, ex vocatione Seniorum aut novi Magiſtratus Cives conveniunt. Verriculum producitur. Rex, ubi praeſentes paratosque videt ad capeſſenda negotia, iniungit unicuique quod eo die officium ſuſcipiat. Praemiſſa tamen more Imperatorum exercituum oratione, qua imprimis adhortatur ab obſervandum diſciplinam glacialem, ne ſtrepitu et clamore procedendo, terrendoque attonitum piſcem, toti Reip. detrimento ſint. Admonet quoque ut ſtrenue et ſolerter ſuo quisque muneri attendat, ne errore fortaſſis paucorum, ſubſiſtere cogantur univerſi. Vt demum ita ſe gerant, ne in culpa convitiorum, negligentiae, aut furti deprehenſi, et a Cenſoribus notati, infamiam quandam ſubeant. Pollicetur ſuam in dimetiendis foraminibus induſtriam, in diviſione aequitatem, in conducendis denique omnibus fidem et ſollicitudinem. Hunc in modum eos primo expeditionis congreſſu alloqui ſolet, alioqui cum matutino tempore ad opus conveniunt, cum invocatione DEI initium faciunt. Et flexis genubus ſuper glacie, unanimiter omnes benedictionem coelitus exoptant. Quo ſimplicior enim eſt gens ruſtica, eo in metu et cultu divino praeſtantior atque fervidior eſt. Tam proſpera quam adverſa omnia Supremae Cauſae adſcribit. Sic

finitis precibus, properat ad metationem foraminum Rex, adiunctis sibi 4. 6 vel 8. viris, si patitur Resp. e robustioribus; horum alios in sinistro cornu, alios in dextro collocat. Advertere iubet definitiones quas facturus est, et ubi vel in nive pedibus, vel in glacie cuspide praesignaverit, iis locis glaciem perforant. Mensurat ille passibus totum iactum, et secundum naturam aquae animo constituit, ubi duo maiora fiant foramina; Vnum scilicet in quo submergitur verriculum, alterum in quo cum piscibus extrahitur, non refert quae inter illa distantia. Quanto propius poterit, admovet foramen extractionis terrae, ut adimatur suffugium piscibus. Sed ob periculum, ne in lapides, arborum truncos aut vada retia impingantur, nisi probatae experientiae confisus, littus semper reformidat. Figura foraminum maiorum est oblonga, vel fere semicircularis, longitudo forte 4 vel 6. ulnarum, minorum rotunda. Tantum vero inter se distare oportent horum ordines, sive latera iactus, quanta verriculi longitudo, et brachiorum cum iam extensa sunt, extremitatum distantia est. Sed inter singula haec minorum fortassis decem aut duodecim passus relinquuntur, et ad proportionem palangarum designantur. Pene recta in linea ad flexiones ubi facto angulo obtuso, ordine paulatim in curvato ad foramen usque productae sunt. Rex subito absoluta mensuratione, ad laborantes revertitur, imperat, instruit, errantes corrigit. Non me latet quorundam huiusmodi Regulorum consuetudinem esse, ut interea dum onere verriculi occupantur reliqui,

Digitized by Google

reliqui, illi proximis in pagis, potu se reficiant, donec ventum sit ad extrahendum lucrum, accersitis si gratia dignatur quibusdam e cavatoribus, nam hi quoque citius suum negotium ad finem perducunt. Cavatores foraminum procedunt plerumque tres in quolibet latere, singuli gestant tudiculam ferream et rutrum, hoc frustra eiiciunt, illa transforant. Omnes tres simul ordiri solent, certantes utri prius liceat progredi, sic duo priores praetermittunt unum foramen intermedium excidendum tertio qui sequitur. Interim quibus perticarum cura demandata est, perpetuo aut diurno munere, eas sub glacie pangunt. Quod si sufficiens non fuerit profunditas, in ipsa vibratione alveus obsistit. Torquendae igitur sunt, donec fluere libere possint, tum ex uno in alterum foramen usque ad emersionem dirigitur; annexis funibus, qui in omni foramine extrahi et vicissim demitti debent. Perticas paulo longiores esse oportet eo spatio, quod foramina interiectum est, nam ubi postrema eorum pars in uno cernitur, tantum primam partem in altero promotam esse convenit, ut bidentibus protrudi possit. Quando autem qui impellunt, invenire foramen alterum nequeunt, sunt qui oblongis uncis eas investigant, clara vero glacie, facile negotium est, cum ubique pelluceant. Iam funium custodes, seu fanales proiiciunt funes, quos ut eo melius verriculi brachia sequantur, in singulis foraminibus protrahunt, donec bacillum praefixum brachii termino deprehendant; quo viso statim ad proximum se conferunt foramen, ubi

ubi adhuc multa pars funium ſuper glacie eſt; trahentibus forte 20 aut 30. hominibus diverſimode, quidam manibus ſaepe etiam nudis, quidem poſito ante pectus quaſi iugo, plerique reſticula cingulo alligato, cui in extremum lignum rotundum adhaeret, quo involutum funem verricularem circumdant atque conſtringunt. Hi omnes ferreis cuſpidibus ſoleas adverſus lubricitatem gelu muniunt. Tandem Curatores verriculi, cum exciſoribus et ductoribus eiusdem infundunt ordine et lente verriculum Fundi pars ultima, poſtremum et ſubmerſis iam brachiis immittitur. Quod ubi factum eſt, cuncti qui laborant, qui otiati ſunt, ad locum, quo praeda expectatur contendunt;

Tendimus huc omnes, metam properamus ad unam.

Cavetur ne quis in eo ſpatio, quod foramina undique complectuntur, progrediatur. Priusquam perticae attingant locum, quo educentur, oportet foramina ad ſequentem iactum non modo per Regem limitata, verum et exciſa praeparataque eſſe, ut ſtatim atque perticas et funes hic protraxerint, illuc trahis ſuis comportent, ibique rurſum incipere poſſint, ne ullum temporis diſpendium fiat. Simul atque fines brachiorum in emerſionis foramine apparent, adſtat inſtar Neptuni tridentiferi Rex cum fuſte ſuo aquam pulſans. Ex adverſa parte proſpiciens iuſſis obtemperantem plebem. Baſis eius fuſtis ligneo orbiculo transactus eſt, quo vehementius aquam moveat, et ſtrepitu facto piſces evadere

Digitized by Google

dere nitentes cohibeat; brachia iuxta extrahuntur, ne quid intermisso spatio excidat. Ductorum verriculi officium est conglomerare ac complicare retia, quae ii, qui extraxerunt e foramine super glacie relinquunt. Cum enim advertitur tabella fundo praefuta, accurrunt plures ad foramen, margines fundi undique arripientes, tandemque pisces, si quos irretiaverint, omnes in glaciem proiiciunt. Vbi si gelaverit acrius, et quaestores in colligendo tardiores fuerint.

Vidimus in glacie pisces haerere ligatos,
Sed pars ex illis tum quoque viva fuit.

In hunc modum mensibus Decembri et Ianuario, tres aut quatuor iactus per diem, Februario et Martio, quinque vel sex iugiter continuant. Die inclinato deficiente Luce, cum rite convoluti sunt funes, et verriculum sive suspensum, sive demersum sub glacie, quo sequente die tractabilius ac mollius sit, quaestores corbes, sportas et cophinos suos, quibus asservati sunt capti pisces, comportant in medium. Rex orbem designat, intra cuius circuitum; et in centro cumulus congeritur. Inde desumuntur pisces et circum circa in tot ponuntur acervis, quot partes totius Reip. sunt. Et sunt fortassis 40. aut 50. Maximus vero piscis primum sepositus, absque sortitione ad eum pertinens, cuius in aqua eo die piscati sunt. Cum facti deinde e grandioribus piscibus acervi, pro numero partium, quaestores stateram afferunt, simpliciter hinc uncino, illinc pondere fabricato,

cato, ea omnes acervos ponderant. Et minutis piſciculis exaequant aequilibrium, adimentes quid uni, quod loco ſacomatis aut ſuperpondii alteri acervo addant. Cum iam exaequati ſunt omnes, e relicto cumulo Regi honorarium offertur: mediocris piſcis deindé dactoribus vefriculi et perticariis pro facultate praeſente et liberalitate Seniorum remuneratur. Vectoribus elargiri ſolent amplius, ſi per loca nivalia, aut aſpera, ab uno ab alium lacum retia tranſtulerint, eo die iis maius virili portione demenſum conceditur, alias minus. Perticarum curatores conceſſo iure antiquitus, ſibi vendicant piſces glabros, non ſupra debitam tamen portionem. Pauciſſimi quidem capiuntur, ſed eo caſu, quod plures capti ſint, accedunt ad diſtributionem. Intellexi delicatiores Reipub. Cives, hanc curam ſuis miniſtris ambire, quum iudicentur exquiſitiores viſcoſae pellis piſces, ut anguilla; capito, tenca; et poſtremo operariis voluntariis, pro diurno labore manuprecium ex arbitrio donatur. Si plures fuerint, neque magnum eo die lucrum, unicuique participi obvenit partitio perexigua. Ex diverſo, ubi multum praedae, parum extraneorum, his pinguiori mercede ſatis fit. Ad Regem pertinet, cum ſuis primoribus perpendere matutino operam, quam auxiliarii hi et ſpontanei mercenarii praeſentant an ſuſcipiantur? quandoque aſſumitur magnus numerus, interdum non pauci reiiciuntur, prout vel populoſam ſatis Rempub. vel indigentem viris cenſeant. Si quid enumeratis his portionibus et ſtipendiis in cumulo ſuperſit, hoc de

bi

bita publica ſolvuntur. Quem ad modum ſi praeteritis diebus non ſit ſatis factum aut officialium quibusdam, aut conductitiorum. Si aliquis intervenit honorabilis; donatur piſcibus; deinde et pauperibus abſentibus, vel mendicis, partitioni intervenientibus ex gratia aliquantulum impertiri pius mos eſt. Haec omnia non modo quaeſtores ex authoritate praeſentis Regis peragunt, verum et quidam primates, quibus iurisdictio haec fiduciaria committitur. Evacuato itaque piſcibus ſpatio, quod complexum circulo memoravi, extra quem piſcium acervi diſpoſiti ſunt, omnes exinde egredi iubentur. Denominat Rex e promiſcua turba circumſtante aliquem (memorabili iuſtitiae exemplo) nec plus quam ſemel eundem; qui intret et ſortiatur. Hic igitur omnium ſuſcipit ſortes, tot nimirum quot acervi ſunt. Sed cum uno quoque acervo ſint duae portiones, habeantque quidem unicam alii tres vel quatuor videbis tunc aut duos tradere tantum ſortem unam, aut unum ditioris et nobilis ordinis cuiusdam deputatum duas; plerumque Chirothecas et pileos afferunt. Hos ſortitor in urnam absque discrimine nec viſos demittit. Singulas denique ſortes in ſingulos acervos abiicit. Tum ſuam quisque rapit partem. Quando duo, unam inter ſe diuidendam nacti ſunt, aequales partes binas efficiunt, unus piſciculum cauda prehendit, rogat conſortem utram partem malit, aut ad quam caput converſum, aut cauda ceciderit. In altum denique iacit, et litem caſus dirimit. Vbi ſportis aſſervati iam ſunt omnium portiones, in medio proclamat Rex: Conveniens

Digitized by Google

niens et debitum esse, ut DEO propter huiusmodi eius dona statim gratiae agantur; nudato capite primum ipse flectit genua exorsurus supplicationem. Idem ad eius exemplum omnes. Et scimus quendam, quod alterum genu non flexerit, damnatum esse ad demersionem ter repetendam. Fiscalium sive Censorum, qui ordinarie duo sunt, utrique brachio unus munus est, huius modi peccata annotare, reos accusare, ad iudicium producere, et latae sententiae urgere executionem. Pro turpissimo delicto habetur, et notabili dignum poena, quando quis furti convincitur. Nulla ei gratia speranda est, quin sub glaciem mittatur. Persuasum enim est rusticis, ob impunitum furtum pisces evanescere, ut Hesiod.

Saepe viri malefacta mali populus luit omnis.

Accusantur et blasphematores, litigatores, negligentes, contumaces, pro diversitate criminum, legibus poenae statutae sunt. Absentia unius diei alicubi paucula pecunia redimitur; apud alios panem solvunt: optimam eorum legem invenio, qui portiones absentium toto die, coeteris portionibus immiscent. Vnicuique tamen civi petenti indulgetur venia unius diei. Pecunia multatitia in fiscalium custodia deponitur. Iam opus est referre, quot sortitarum iam portionum sint genera. Vna est possessoris aquae, seu proprietarii piscationis, etiamsi neque retibus neque opera adiuverit. Secundo loco eorum qui suggesserunt fundum verriculi. Tertio horum qui funes suppeditarunt. Quarto promiscue omnes portiones, ob subministratam aliquam

aliquam partem retium. Quinto emptitiae, cum qui neque aquam habet, neque rete, neque operam sustinet, pro pacta pecuniae summa ex favore, portionem nanciscitur. Sexto operariae, iis, quibus nec ius retium, nec piscationis competit, ob collatam operam conceduntur. Vltimo loco portio curionis paroeciae tanquam decimae relinquitur. De iure horum omnium dissertabimus peculiariter, cum prius diurnam actionem absolverimus. Finita partitione et gratiarum actione, Rex negotia publica, quaedam universo coetui, quaedam abductis quibusdam e Senatoribus communicat. In deliberationem venire solet, quo ducendum postridie verriculum, an suspendendum et resarciendum sit. Quid denique huiusmodi e Rep. sit, consultatur. Postremo per Regem denunciatur, qui postera luce verriculum vehant, qui excidant, qui cavent foramina. Si quis officialium ob causam sonticam, adesse non poterit, substituitur in eius locum aliquis idoneus. Hoc peracto, salutatoque Rege, per itinera diversa propere dissipantur omnes. Cornices forte subeunt, reliquias pisciculorum ovorumque perquirentes. Vnde proverbium: diffugiunt omnes, cornix tantum remanet. Iam satis superque dictum arbitror, quo ordine, et qua disciplina Respub. nostra geratur. Simul demonstrata species Reipub. quod etiamsi Rex ubique sit magnae autoritatis (ut hic necesse est) Summa tamen iura ad universos cives pertinere. Nec horum obstat inaequalitas, neminem enim scio, qui cum ius littoris, fundi, finis et maximi piscis habeat, quod ultra quin-

que portiones sibi arroget, ea libertas est sociorum. Factiones potentiorum, non adeo timent, quoniam adempta plebi libertate, Resp. ipsa perit. Sed summatim hic repetendum esse videtur, quid ad dignitatem Regiam pertinere diximus, ut uno intuitu perspicuum sit salutarem esse Reip. mixturam. Rex igitur est nomine, re vera director. Praesidet iudiciis, cum de iure aquae, maximo pisce aut portionibus, deque aliis minoris momenti rebus disceptatur. Vnam tantum habens vocem, pariter ac Assessores eius. Praeest deliberationibus, quae Reip. Causa habentur, cum Senatu sed Reip. liberae. Assumit voluntarios, et hoc ex consilio Procerum. Dimetitur foramina piscatui. Imperat durante negotio, laborantibus cunctis, in immorigeros nonnunquam extemplo animadvertit. Auspicatur tanquam summo iure Pontificio, matutinas vespertinasque preces. Auxilio est Fiscalibus in exigenda multa, puniendisque delinquentibus, partitionibus ac sortitionibus praeest. Indicat refectionem aut confectionem verriculi. Confert Magistratus, indicit dies piscandi, hoc vero maxime ex approbatione et consensu totius populi. Valde ab omnibus, ut par est, honoratur, nec absente eo magnum quid suscipitur. Caeterum soluta glacie, Respub. omnisque eius eo anno dignitas dissolvitur. Nunc ad propositum superest, ut quod promisi demonstrem, quae in Respub. nostra glaciali controversiae oriri soleant de iure aquae seu piscationis, quod singuli sibi Cives arrogant. Nam ut hyberna piscationis magnae commoditates sequuntur eos, qui latiora lacuum

lacuum ſpatia ad ſe pertinentia habent; Ita crebrius de iisdem lites exercentur, quamvis Legibus Suecicis abundantius de hiſce rebus cautum eſſe, quam ullius gentis iure expreſſum exiſtimem. Inter quas Bygb. Cap. 26. omnia praedia ruſtica ſuis limitibus diſtincta eſſe debent. Ibidem ſi fuerit flumen inter praedia, in eo termini ſint, nullis aliis limitibus exiſtentibus. Id ipſum in eodem lib. cap. 27. cautum reperitur, ſi defuerint lapides finales aut ſepes, qui praedium limitent, ſint termini in medio flumine, aut in medio freto. Secundum has leges unusquisque proprium agrum, a vicino diſtinctum habere ſtudet. Quod cum ob varias cauſas non factum eſſe deprehenditur, res arbitrio iudicii territorialis ſubiicitur. Lapides enim et ſepes concaedibus Sylvarum aduri aut deiici, lapſu arborum abſcondi, ſolent. Tunc et uſucapionem praetendunt. Quo modo LL. Jordb. cap. 1. de quintuplici rerum acquiſitione ſtatutum eſt hac clauſula. Nam quicquid iuſte acquiſitum, recte acquiſitum eſt. Quicquid vero iniuſte, hoc pro recte acquiſito non eſt habendum, antequam praeſcriptio immemorialis interveniat; hanc nemo in dubium vocat iure Roma. Inſtit. lib. 2. tit. 6. Error falſae cauſae uſucapionem non parit. Ibid. Si quis loci vacantis poſſeſſionem propter abſentiam aut negligentiam domini, aut quia ſine ſucceſſore deceſſerit, ſine vi nanciſcitur, ipſe mala fide poſſidet. Praeter uſucapionem, menſuram agrorum obſervant, pro magnitudine fundi quem quis poſſidet. vid. LL. Jordb. cap. 27. Idem Grotius de iure belli ac pacis. Ager menſura compre-

Digitized by Google

hensus hac in re paris iuris est cum limitato. Igitur neque permittunt cuiquam, intra limites suo praediorum piscari vetante Lege L. L. Bygb. cap. 25. Si quis in aliena aqua retibus piscatus fuerit, sive sit tempore foeturae piscium sive non: occupet tum possessor aquae in satisfactionem vestes eius, retia aut quicquid cum eo deprehenderit; ille mulctam trium marcarum solvat, quod sine permissione in non propria aqua piscatus est. Idem in Inst. l. 2. tit. 1. Alveus fluminis eorum est, qui prope ripam praedia possident. Nam et flumen publicum est, tamen ius piscandi in diverticulo fluminis occupari a privato potest. Qvibus concordat Lex nostra L. L. Jordb. cap. 26. Vbi duo praedia longe ad lacum sita sunt, possideat unum quodque dimidium lacum. Et insula in medio lacu, dimidiam quod libet habeat, quod si insula alterutri terrae propior fuerit, sit illius insula; cuius est aqua. Ibid. Si praedium angulo Lacus adiaceat, possessor eius pro magnitudine praedii sui, partem Lacus sibi vendicet. Et eodem lib. cap. 25. disceptantibus duobus de communi piscatione, querente alter minus se accipere e piscibus, attamen magis possidere aquae, et rogante separationem: Sc[illegible] cupio, quae pars iure mihi competat in litto[illegible] in piscatione, tunc illi qui separationem pe[illegible] indulgendum est; a vicinis autem et iis qui in[illegible] dem parochia habitant, deinde a iudicio terr[illegible] riali ille petere debet. Huc etiam pertinet q[illegible] dicto libro cap. 34. legitur, nemini licet alie[illegible] aquam aut piscationem a consveto deriv[illegible] eive damnum inferre, et cap. 25. qui re[illegible]

cu[illegible]

cuiusquam detrimentum infert. tres marcas luat. Qui vero ea dissecat, ita ut nulli deinceps sint usui, damnum rependat, addicta 40. marcarum mulcta. Plurima in variis iuris Suecici libris reperiuntur huc spectantia, quae omitto, cum videantur aptius alibi collocari posse. Sufficit paucis probavisse Rempub. non carere bonis legibus. Per quas annuatim circa autumnum restauratur, et durabit quamdiu pisces, glacies et homines superfuerint.

II.

LESSVS
IN GLORIOSISSIMOS MANES AVGVSTISSIMI POTENTISSIMIQVE PRINCIPIS AC DOMINI
FRIDERICI I.
SVECORVM GOTHORVM VANDALORVMQVE REGIS etc. etc. etc.
HASSIARVM LANDGRAVII etc. etc.

IN ACADEMIA VPSALIENSI A. 1751.

DEVOTISSIME HABITVS

A

PETRO IVLIN

NOB. SVECO.

Augustos manes, et Regia funera, magna
Sacratas umbras animae, cineresque beatos,
Parrhasiumq; gravi concussum turbine sceptrum,
Hassiacasque fera quassatas clade tiaras,

Dum queror, Andinum fas eſſet tangere plectrum
Threiciasque animare tubas, fortique cothurno
Vincire imbelles ſuras, ad tantaque buſta
Cantare aeternum concinno pectine leſſum.
Sed ſtupet ad tantos mens conturbata dolores
Os titubat, tremulosque ſonos, truncataque verb
Vix profert, dimittit ebur tremefactaque dextr
Ad Regis conſiſto rogos nec poplite firmo,
Terret et clingvem vel pallens purpura vatem.

Profica Melpomene, ferali carmine planctu
Incipe Tu triſtem, vittisque comisque ſolutis
Horrida te nigris infer lugubrior undis,
Per Gothici magni gemebunda Palatia regni,
Ad divi Friderici et Mauſolea reſiſtens,
Cinnama grata adole, vernantes ſparge cupreſſo
Herois quoque facta refer, quibus ultimus orb
Perſonat, et ſeris ventura nepotibus aetas
Praedicat, arctoum quo non felicior alter
Temperat imperium, regnique potentis habena

Vos, Patres moeſti, Tuque o! triſtiſſima Pin
Incola, nunc noſtris gemitus miſcete querelis,
Et lacrimas lacrimis largis, quibus ultima Thu
Atque Arctos ſubmerſa iacet, Cattique remo
Veſtraque turicremis pietas iam ferveat aris,
Haec pia continuo reſonant dum pulpita planct
Sint quoque, quos canitis, monumenta perenni
leſſus,
Quae tanto ſtruitis Regi, ſint marmora dura,
Inclita geſta quibus memori ſervabitis aeuo,
Veſtraque ſublimes feriant epicedia coelos.
Magnifico auguſtum tumulo dum Suecia funus
Decernit, vaſtaque ſtruit dum mole coloſſos.

Qq

Digitized by Google

Qvocunque aspicio, nihil est, nisi luctus et horror,
Omnis in hoc busto visa est natura dolere,
Inque graves gemitus coelumque solumq; coire.
Parrhasis Vrsa suos non circum volvitur axes,
Et negat obscurae sua splendida lumina terrae,
Luna suam, sol ipse suam nunc lampada condit,
Totus et imbriferis nigrescit nubibus aether.
Terribili boreas strepitu sua murmura prodit,
Multaque stridenti contra qvoque nititur austro,
Dumque gravi lucta superat, maria omnia miscet.
Haec inter trepidans gemino se gurgite Balthis
Solvens, ex imis consurgit ad aethera fundis,
Incusatque polos, sua quod diademata cernat
Nutare, et tanto orbatum rectore tridentem.
Annuit et Melerus, Venerusque, et Saima palustris,
Dum vastos volvunt per turbida littora fluctus.
Fulda paludosis properat se tingere stagnis,
Et *Gothicum* verrit lutulentas flumen arenas.
Cetera disruptis prorumpunt flumina ripis,
Fortius ut plorare queant, exhaustaque terrae
Ora dolore novo lacrimarum fonte rigare.
Riphaeae in liqvidos glacialia culmina rivos
Alpes convertunt, imis ruptisque cavernis,
Igniferosque globos, liquefactaque saxa sub auras
Cum gemitu glomerant, et flammea fulgura vibrant.
Interea tensis ad sidera Suecia palmis
Vnanimis presso geminat suspiria corde,
Quod suas tergeminas cernat decora alta coronas
Non magis e canis capere ornamenta capillis.
Horrisonisque Leo Gothicus rugitibus auras
Implet, et indomitus quatiens caudamq; iubasque,

Triplicia intactis transcurrit flumina ripis.
Eliciunt Sueonum gemitus lamentaque Fennis.
Oraque Gens Pomerana Gothis lacrimantia iungit
Afflictis, coeunt distincti fidere toto
In luctus populi unanimes, Norrmannus et Hassus,
Vandalus, atque iugis vagabundus Lappio scabris.
Ante omnes tanto sed Regia moesta dolori
Succumbit, nescitque modis solarier ullis,
Vidimus immensum lacrimarum flumen Adolphi
Exundare genas, aliter nec flere vel Ipsum,
Quam solet ingenuus natus lugere parentem.
Ex animis Ludovica, rogos dum spectat equestres,
Deliquium patitur mentis, sensuque relicta
Omni, virgineis cadit excipienda ministris.
Qvis teneras siccis lacrimas perviderit oris
Gustavi, Carolo et Friderico fratribus orbum
Dum se lamentatur Avo, velut alter Tulus
Anchisen queritur, iacturam dumque profundam
Explicat ignaris, plenis vagitibus aulam
Hi complent, mittuntque vagis crepitacula palmis
Consiliis prodesse suis prudentibus aegre
Iam possunt proceres, pressis suspiria labris
Emittunt, humeris tollunt dum grande cadaver
Et tumulo credunt servandum rite fideli.
Insequitur, longa populi stipante caterva,
Fortis Eques, magno et primo nunc iusta magistr
Solvens, inversos moestus dum baiulat enses,
Aligeras facies dum tristibus induit oris.
Humectatque crebris borealia sidera guttis.
Holmia dum tantas dum fundit et aula querelas
Vndique concurrunt diverso cardine regni
Attoniti ci es, laribus domibusque relictis,
Regia tecta petunt, per centuriata potentum

Agmi

Digitized by Google

Agmina, et exequias Auguſtas ducere certant.
Nobilitas viduata ſuo nunc vindice, ſcuta
Et genus, et proavos, et ſtemmata clara recuſat
Oſtentare, pio tota involuta dolore.
Myſta ſacram tremula dum dextra tractat acerram,
Longa ſalutiferis miſcet ſuſpiria verbis.
Mercator, medio dum vectat in aequore merces:
Immenſas guttis exauget grandibus undas.
Arida conſpergit lacrimoſis arua colonus,
Roribus, incurvo dum vertit vomere ſulcos.
Certatim lacrimaeque fluunt, ſudorque per ora
Monticolae, ignivomam dum verſat forcipe maſſam.
Inter tot lacrimas et tot lamenta ſuorum,
Magnificum Divi Friderici Mauſoleum
Exſtruitur, circum galeae lituique tubaeque,
Telaque robuſtis toties vibrata lacertis:
Heu geſtata ſacris et equeſtria ungula lumbis,
Quotque thronum Gothicum decorant inſignia clara,
Candida marmoreis inciſa et geſta columnis.
Sed neque Wilhelmus monumenta minora fidelis
Ponit amicitiae, pietatis et Haſſia gratae,
Dum ſua flebilibus deplorant fata querelis
Ingemuit tantis Europa doloribus, orbis
Heic etiam, quod ploret, habet, ſtupeatque, tegique
Vno tot dotes queritur natura Sepulcro.
Sic moreris, Rex magne, tuis ſic corporis exis,
Magna anima, exuviis, et maieſtate perenni
Iam frueris, noſtras ſpernis fragilesque corollas.
Sic fugis Europae ſplendor, ſic gloria mundi,

Sic Regum subsidis honos, populique volupt
Quassatam medio sic deseris aequore navem
Carbasa nostra feris sic dilanianda procellis.
Quo Noster, quo Nestor abis, quo pergis Achill
Quo mitis gradiere Pater, quo perderis astro
Heroum praelustre iubar, quo vindice laeti
Crevimus, et placidas Sueo-Gotthi carpsim
auras.
Eheu! quae nos fata premunt, quae culpa reosq
Nos miseros fecit superis, quo crimine tantum
Nostra merere malum potuit gens, occidit ehe
Noster Amor, Spes nostra, decus tutelaque nost
Optimus Arctoi Rex et mitissimus orbis.
Quo feror ast lacrimis submersus et imbrib
udis
Vsque adeo, ut fletus claudat Singultibus ora,
Assiduas cohibe tantisper moesta querelas
Melpomene, et paullum lacrimarum flumina sist
Torrida Castaliis tingit sua labra fluentis
Dum mea Calliope, aeternasque ebuccinat or
Herois laudes, lauros et mille triumphos,
Et quae sub tanto Saturnia tempora Rege
Suecia ter felix, atque aurea secula vidit.
Vestra Patres bonitas faveat tam grandib
ausis.
Hassia laurigeris toties decorata triumphis,
Clara puerperio magis hoc sed reddita tanto,
Qua datus Hassiaco est Fridericus coelitus orbi
Ipsa tuas celebres urbes et pinguia rura,
Arvaque laeta refer, vinetaque dulcia, messes
Frugiferasque, et opes magnas, viresque t
mendas,
Et quae Casellis opulentia splendeat omnis.

T

Digitized by Google

Tu Proavos etiam, Atavosque et stemmata celsa
Enumeres longa seriae, Regesque Ducesque
Wilhelmos, Carolos, Henricos atque Philippos,
Magnanimos, fortes, felices et Sapientes.
Prae cunctis Carolus memorandus et alma Maria
Aemilia est, magni magna tam Prole Parentes.
Illa dies memori sedeat tibi pectore semper,
Qua primas hausit Fridericus luminis auras.
Qua vigili cura gyrosque rotasque notasti
Anxia cunarum, quae pignus amabile versant,
Ipsa etiam memora, memora, quo fomite vivos
Fovisti igniculos animi mentisque sagacis,
Tam cito per totum spargant ut lumina mundum.
Dic Puer ut iuvenes, Iuvenis superaverit acer
Vtque Viros, ut virque senes, seu ludere circis,
Seu iuvat assiduis animos intendere curis.
Nec meminisse grave est, sed et alta mente repostum,
Primus ut oppositam semper contingere metam
Est solitus, iaculo pavidas et figere damas,
Tendere nec vanis unquam successibus arcum.
Quam celer Aonias rupes, quam praepete cursu
Culmina transcendit Pindi, cunctasque recluſit
Gazas, Phoebe tuas, avidisque exhauserit oris.
Bellerophonteos latices, civilibus aeque
Artibus ac studiis animum coelestibus ornans.
Quam vigil ipse tuas Iuvenis moderatur habenas,
Dum Pater Ausonias opulentas visitat urbes,
Te melius nemo referet, quae sceptra minora
Iam dudum sensisti humeris tua splendida tantis,
Quos etiam summis olim supponere regnis
Sors dedit, augurio nec vaticinata siniſtro.
Quantaque de nobis quoq; mutua commoda sumis

Dum

Dum Tibi, post Caroli funus, Fridericus avita
Sceptra tenens, et iura dedit legesque perennes.
Haec Tu, sed tecum Germania tota triumphos
Innumeros, claris de tot quoque gentibus actos,
Quadrifido aeternis celebravit laudibus orbi.
Calcar ut Eugenius Dux Marlboroughius addit
Vt stimulos menti, quae tantarum aemula laudum
Longe trans Rhodani, Rhenique Padique fluenta,
Alta triumphales agitat per strata virorum
Agmina temones, et sub iuga missa potentum
Colla Ducum, subitis et desolata ruinis
Oppida, et eversas imis de sedibus arces.
Gallia ut expavit, totusque exhorruit Hesper,
Dura ubi Tallardum Friderici vincla fatigant,
Hochstadiique fera fugientes caede phalanges
Heros insequitur, dum Malplaquetia claro
Imbibit effusos tot Gallis ense cruores,
Nutat ad igniferos et Telo Martius orbes,
Quos fortis valido Fridericus ariete torquet.
Nec pugnas tantum, referas Herois amores
Et primos, quos Brandenburgica Regia Virgo
Ignibus accendit castis, Ludovica iugales
Dum thalamos scandit, divinis dotibus aucta;
Gaudia magna ferens, sed proh! quinquennia tantum.

Haec ubi cuncta refert affabilis Hassia, nostros
Nunc implere decet numeros, exponere dignis
Et verbis cumulos meritorum Principis amplos
In Patriam, cuius patulis secura sub alis
Laetas ter denas numeravit Suecia messes.

Sustinet arctoum magnis cervicibus orbem
Altas Suecanus Carolus fortissimus, oris

Iam

Iam rediens Getticis, Fridericus ut obvius adstat
Stralsundae, cupiens tanto sub Marte mereri,
Si modo spes Augusta suas soror impleat altas.
Dixit, at Ille Viri laudans animumque decusque
Armorum, aeterno gaudet sibi foedere iungi.
Protinus ingentes accendit et Holmia taedas,
Suecia solennes hymeneos laeta frequentat,
Connubioque ligat stabili Vlricam Eleonoram,
Illud Hyperboreae decus immortale coronae
Nec mora, traiecto magno discrimine ponto.
Vix alacer Gothicas contingit Carolus oras,
Vt nova bella parat, fracturus cornua Cimbro.
It comes in rupes celsas Fridericus et Alpes
Norvagiae impavidus, per mille pericula, casus,
Et mille, eructat, quas Hala nefaria, mortes.
Proh! scelus augustum lethali glande cerebrum
Traiicitur Caroli, simul omnis Suecia diro
Turbine concutitur. Sola Vlrica Eleonora
Spes posita est Suecum, quae sceptra capessere dextra,
Non dubitat nivea, et fractas sarcire carinas,
Dum patrium scandit concordi voce tribunal
Gentis Hyperboreae, votisque petita modestis,
Qua Sala per liquidas sua flumina volvit arenas.
Vidimus Vpsaliae tunc lata virescere prata,
Ipsaque festivo resonare haec pulpita plausu,
Totumque accensis Helicona nitescere flammis.
Iamque throno sublime sedens Regina paternum
Prospiciens late imperium, tot fluctibus atris
Oppressum, illos ut possit compescere dextra
Vix bene foeminea, Heroa et conscendere secum
Nunc solium regale iubet, sic poscere fata,
Sic populi, flagitantis opem, pia vota, vel ipsam

Connubii

Connubii fidem, sella consideat una,
Et qui conclavi thalamoque quiescit eodem.
Vix ea fata fuit, cum circum fusa corona
Plebsque Ducem validis sublatum, rite lacertis
Evehit in solium, et magnis clamoribus urbem
Exhilarant dominam, quae, circumsepta catervis
Vndique barbaricis, nunc spes extollere certas
Incipit, amplificas rursusque expandere portas,
Accipe Gustavi sed nunc heroica facta
Vindicis et Patriae alterius: Fridericus ut altum
Conscendit solium, gladiis quod quinque petitum
Belligerum Regum sentit natare, ruinas
Et toti imperio minitari fulmina dira
Hostis in humani cernit, nec posse cruentas
Exhaustas regni vires avertere caedes.
Protinus e propria depromens tela pharetra,
Vsus quae rerum longus sapiensque ministrat,
Condensas acies citius, quam nubila Phoebus;
Dissipat et Gothico revehit iam lumina coelo
Pacis, inauditum facinus, cunctisque triumphis
Maius, et Herculeae quam facta perardua clavae.
Scilicet in campos educere Marte favente
Dum licet armatas acies, stipendia larga
Qveis stimulant animum atque usus corroborat artus.
Implent dum fiscos nummi, granaria fruges,
Agger et hostiles copias a finibus arcet,
Non operis tanti est praeclara referre tropaea.
Ast ubi iam portis hostis gravis imminet ipsis.
Caedibus ac diris ferit intima pectora regni;
Miles at exhaustus validam vix sustinet hastam,
Horrea nuda stipem, dum non aeraria reddunt;
Dum media iam parte sui mutilata superstes

Patria

Digitized by Google

Patria vaſtatur flammis, dum clauſa marique
Et terra viſa eſt ſpiramina ducere ſumma,
Et tamen in magnum renovare haec rudera regnum
Poſſe, opus eſt omni humano molimine maius.
Talis erat facies Patriae triſtiſſima noſtrae,
Et quis adhuc referens, memori vel corde revolvens
Temperet a lacrimis, trepidoq; vibramine cordis.
Dum vigil imperii Fredericus ſceptra capeſſit:
Eripit extremis laceratáque regna ruinis,
Conſilio pariter velut inſuperabilis armis.
Sicut enim prudens obſeptus nauta procellis.
Denſis, quae certam minitantur et undique mortem,
Non contra fluctus tendit, quos vincere neſcit,
Contrahit aſt ſubito cautus circumvaga vela,
Liberat et nimio ſuppreſſam pondere navem,
Tota ne vesanis undis ſubmerſa fatiscat.
Sic etiam ſapiens Fridericus viribus impar
Hoſtibus et tantis et tot, qui ſceptra fatigant
Suecia, fert ſatius motus componere mentes
Nunc pactis, dubio quam non compeſcere Marte
Praecipuas claro ſervare et foedere terras,
Quam totum audaci bello disperdere regnum.
Primus amicitiae veteris nunc vincula firma
Auguſtus renovat, rigidis dans iura Polonis.
Et ſocias claſſes copiasque Georgius offert,
Semper Hanoveriae modo ſit contermina Brema
Iuncta, perinſigni pretio redimenda ſed Anglis.
Nec vili venit Boruſſis terra Stetini,
Dum magni Affines iungunt ſua foedere corda
Rite novo. Captas ultro nunc Danus et arces
Reddit,

Digitized by Google

Reddit, Codani modo vectigalia ſolus
Exigat ille freti, ſedeat quoque tutus in alga.
Durus adhuc Moſchus flammis et caedibus inſtat,
Qua patet, arctoum regnum vaſtare, delubra
Oppida, ſublimes, pariterque mapalia, turres
In fumos abeunt, caris nunc ſedibus exſul
Civis inhumanis tormentis ponere vitam
Cogitur et miſeram, furibundus et hoſtis in ipſos
Irruit Holmiacos muros et viscera regni
Intima, ubi ad ſolium trepidanti Suecia greſſu
Adrepit, tremula et vix talia voce precatur.
Affer opem. Rex magne, tuis mox mollibus ulnis
Eripior, duroque iugo ſubiecta tyranni
Exſpiro, ſatis eſt caedis, ſat ſanguinis atri
Hauſi, bis denos dum ſol ſe volvit in orbes,
Conſumtas liceat nunc pace reſumere vires.
Haec ubi dicta dedit, ſubito languore prehenſa
Deficit, adque thronum praeceps collapſa procumbit.
Iuſta movet triſtem nunc indignatio Regem,
Et dolor et fervor validos ſimul occupat artus,
Temperat aſt motam conſtans prudentia mentem,
Inſanos liceat modo nunc componere fluctus,
Et veniet, ſi fata velint, felicior aetas,
Qua commiſſa luent ſimili quoque caede Rutheni.
Dixit, et ingenti confortans numine pectus,
Conſiliis animos, humeros corroborat enſe.
Accepta ad Stekas et Balthica littora clade,
Foedere Neuſtadico terris ſic hoſtis abire
Cogitur imperii, volucreſque reducere claſſes,
Non modico captas aurique rependere praedas
Pondere, quas aquilae extorquere rapacibus atrae
Vnguibus, accepto Gothicus Leo ſaucius ictu

Non

Non valet, Ingriacae ergo arces, Vallumq; Viburgi
Et Sueonum celebres urbes, et Lettica rura
Russorum obscurae faciant nunc nomina genti,
Fennia sacrilego verum hospite libera, pacis
Participet laetos, quos carpit Suecia fructus.
Reddita sic Suecis, sic pax est reddita Fennis,
Fennia dum periit, peritura et Suecia certe
Esset, et in magnum, Friderico vindice, surgit
Imperium rursus, modo vix quae rudera regni
Praebuit, ex imis sic diruta sedibus Arctos.
Fervet opus pacis, dum libertatis honores,
Exosus foedi Rex turpia sceptra tyranni,
Asserit et Genti, potiori cui libera semper
Conditio fuerat, carae quam munera vitae.

His gradibus provecta suum nunc Suecia culmen
Scandit, inoffenso properans ad sidera gressu,
Delectatque suum imperium nunc longius arte
Et studiis claris, olim quam finibus amplis.
Finibus immensum mundi nunc scinditur aequor,
Gnavus et extremos discurrens Suecus ad Indos
In Patriam classes gazis orientis onustas
Deducit, cunctisque facit commercia terris.
Extera fastidit Tyriae velamina lanae
Suecia nutrus, proprio confecto stamine peplo
Altior incedens, deducere pollice filum
Rite levem, et tenues percurrere pectine telas,
Doctior Eois socris et matribus Indis,
Eruta visceribus terrae pretiosa metalla
Artificis clari multo cum foenore dextra,
Nobilitat, varios et vitae formet in usus
Materies, quorcunque, rudes, natura ministrat.
Nunc seges est, ubi silva fuit, limosa salicetis

Atque obſeſſa palus virides ſe vertit in agros,
Aſſueſcit Gothici ſufferre et frigora coeli
Nata ſub auſtrali ſerotina ſidere ficus.
Tota ſub hoc poſuit tam fixas vertice mundi
Docta cohors ſedes, credas aquilonis ut Alpes
In totidem Pindos, et Suecica flumina fontes
Caſtalios, Arcton mutatam et in Hellada totam.
Ipſa Themis iuſtas veneratur candida leges,
Quas Solon Arctous Friderici codice ſanxit,
Iuſſit ut et populis ſit conſtans regula cunctis.
Et pietas tanto ſub vindice tuta nefandas
Omnes contemnit, quas fundunt tartara, ſpumas,
Numinis et ſummi purum per regna timorem
Seminat, et miſeris divina oracula Lappis.
Surgunt finitimis munimina firma, triremes,
Et pelago, ut caſtella natant numeroſa, cohortes
Et formidatas vicinia ſuſpicit omnis.
Hiſce brevi ſurrexit apex et culmen honoris
Gentis hyperboreae veteris, quo Suecia ſummo,
Celſior Europae communis ut arbitra ſemper
Eſt ſolita exortas Regum decidere lites.
Ambit amicitias namque omnis terra fideles
Iam Gothicas, et quiſque regens tunc pondera rebus
Credit abeſſe ſuis, atque irrita foedera pangi,
Dum non ſignantur Friderici nomine ſacro.
Paccatum Arctoum tantis et viribus auctum
Et tantis, Friderice, regis virtutibus orbem,
Vt dubium fuerit, fueris Rex maior an ipſe,
Anne tuo factum maius moderamine regnum?
Europam quae fata rotent, quo cardine regna
Stentque cadantque ſuis Dominis, quo Marte gerendum

Sit

Digitized by Google

Sit bellum felix, reddant quae foedera pacem
Iudicii fuit omne tui. Tu perſpicis alte,
Curia quid ſtatuat, num ſanciat aequa tribunal,
Arces num miles, num ſervet templa Sacerdos.
Quid mercator agat, quo tendat navita curſum.
Quid beet agricolam, quo floreat incola montis.
Quid faciant Proceres, quo ſplendeat aula decoro,
Omnia perluſtras vigilanti ſemper ocello,
Quid potius ponto vel ſit tellure gerendum,
Regna quid exterius reddant ſecura, quid intus
Multiplicet vires, Suecanae et Gentis honores.

Continuat noſtras coeli clementia lauros,
Creſcimus inque dies maiores ſurgimus omnes,
Donec Hyperboreas terras Vlrica relinqvit,
Perpetuis cuius precibus nunc regna Gothorum
Quatuor extiterant immota per integra luſtra.
Conficitur gravibus magnisque doloribus arctos,
Et cruciant pectus ſic haec diſpendia Regis,
Invalida ut teneat vix ſceptra perardua dextra.
Tunc bellum fatale Gothis, tunc ire retorſum
Omnia praecipites agitare et turbida curſus
Incipit imperii plebs effrenata, ſitire
Horribile! et fratrum tepidos Procerumque cruores
Auguſtos quatiens canos Rex fervidus enſem
Tunc primum ſtringit rigidum, civeſque rebelles
Caſtigat, rurſuſque Gothis grata otia reddit.

Tantane verum iterum turbet ſua regna procella,
Et ſua, quae ſupereſt, vigeat tranquilla ſenectus,
Ipſe etiam videat, cui ſceptra celebria credat,
Inſtruat et Regem monitis rite ipſe futurum.

Propitio Sveçis, et fauſto ſidere Fennis,
Concordi eligitur voto Fridericus Adolphus,
Qui ſit et auguſtae ſolamen dulce ſenectae,
Dirigat et Gothicum poſt regia funera ſceptrum
Vtque thronum firmet numeroſa prole nepotum,
Tranſit et in ſocii conſortia foedera lecti,
Omnes Europae Virgo celebrata per aulas,
Et Soror et Neptis, Regum quoque filia celſa,
Nunc etiam Regis Coniux Ludovica futura.
Floridus e tanto Guſtavus ſtipite ſurgit
Surculus, hinc fratres Carolus Fridericus
Adolphus,
Et totidem Gothico pellucida ſidera coelo.
Tunc Rex confectus ſenio revireſcere viſus
Deliciis tantis, laetari et pectore toto,
Tanta quod Arctoum ſeries auguſta Nepotum
Suſtineat ſolium, tantis et amoribus ardet
In teneros Pueros, pariter magnosque Parentes,
Quantis proſequitur natos vel ſanguinis auctor.
Vidimus ah! quoties Guſtavum Regis in ulnis
Haerere, accipere et mulcentis munera labri,
Dum lambit veſtes, Atavique dat oſcula palmis,
Optat et ut vigeant aeternum haec gaudia tanta.

Ingruit aſt febris, certae praenuntia mortis
Auguſtamque Domum circumdat opaca procella,
Dum ſua ſceptra ſuo Fridericus tradit Adolpho,
Extremumque vale dicturus, talia fatur:
Dilecte en! ſenſim lubrico diſcedimus aevo,
Sceptra iubet Numen nos et mutare ſepulcro,
Huc Te fata vocant, quo nos decedere mandant,
Celſum ſcande thronum, ſublimia ſceptra capeſſe,
Protege ptopenſo dilectaque regna favore;

Fac,

Digitized by Google

Fac, populos animosque regas simul, optima credas,
Pectore quae fidi surgunt munimina civis.
Tu quoque Gustavi crescentis habere memento
Sollicitas curas, iucundum erit ille levamen.
Namque Tuae longae, dum venerit aegra, senectae,
Tu nostrae ut fueras. O! pignus amabile coeli,
Care Puer, propera, suprema ut suavia carpam.
Plura locuturus balbo praecluditur ore,
Morbus et imbelles instans depascitur artus.
Iamque polo propior coelestia sola quietus
Cogitat, et sacrae melliflua fercula mensae
Flagitat, illa animae divinaque pabula lassae,
Queis fatur, aeternis iam iam splendere coronis
Visus, arenosae reddit sua munera terrae,
Cognatamque animam in patrium transmittit Olympum.

Sic ubi quadrifidum magnis virtutibus orbem
Implesti, et totam meritis ingentibus Arcton,
Nunc radiis, Rex magne, Tuis fulgentibus altos
Illustras coelos, et splendida sidera coeli,
Longe trans aevi metas, et flumina lethes.
Si quis adhuc nostri teneat te sensus, acerbas
Respice, queis premimur, te decedente, querelas,
Qualescunque etiam liceat Tibi nectere lauros.
Dohec Eques Gothicus poterit vibrare sariſſam;
Annua sacra Gothis Tua festaque grata recurrant,
Decessus, Rex magne, Tuus lugebitur oris
Irriguis Suecum, Virtus subvecta quadrigis

Famae perpetuos agitabit celſa triumphos.
Quisque Tibi grates ſolvit, quod libera rurſus
Oppida poſſideat, colat et ſecurior agros,
Lactius aedificet, Friderici et nomina cara
Poſtibus inſcribat domibuſque celebria facta.
Per Te proſcripti repetunt ſua rura coloni,
Et profugi cives vacuas cultoribus urbes,
Sparſiſti nebulas, tempeſtatesque fugaſti,
Clara reduxiſti tenebroſis lumina terris.
Per Te Suecanum pax alma reviſerat orbem,
Per Te libertas caput extulit aurea coelo;
Per Te nunc redit in terras Aſtraea relictas,
Conſtat honos Phoebo, ſuperum reverentia templis
Per Te regna vigent erectaque conſtitit Arctos,
Per Te quod ſummum, Fridericus regnat et alter,
Altera et Arctoas Vlrica illuminat oras,
Fulciet et ſolium ſeries non rupta Nepotum.
O DEus, a cuius nutu ſtat nixa poteſtas
Regum, quaſſatae ſi quidquam conſulis Arcto,
Auguſtam tutare domum, quo vindice rurſus
Hoſtis in invidiam nunc ſurget Suecia, perque
Solis utramque domum victricia porriget arma;
Nec niſi poſt ſeclum faciat diſpendia tanta
Quanta ego nunc triſti leſſu lugubria planxi.

III. M.

Digitized by Google

III.

M. IOH. VVILHELMVS GOLLING
ALVM. NORIC. ET OECON. INSPECT.

DE CATASTA SERVORVM
ALTORFII 1730.

---

§. I.

Cataſta Martyrum tormentis maxime celebrata eſt. Dubitant uero et multum uarieque fluctuant eruditiſſimi Viri, quid ea deſignetur. Contulimus loca, quae ueteres auctores de ea collegerunt, nosque aliquid ad antiquiores ſacros et profanos receſſus afferre poſſe ſumus arbitrati, ſi poſt tot tantorumque uirorum meditationes, illud etiam, quod ſentimus, in medium proferamus. Ac primum quidem uix dubium erit, nomen *Cataſtae* ex Graeco deſcendere καθίζημι, cui et ſonus et ſignificatio uocis ſuffragatur, qua ubique notionem conſtituendi includit. Terminationem graecae communiori linguae non admodum congruentem fatemur, ex *Sicula dialecto* ortam fuiſſe arbitratur SAM. PITISCVS *Lexico Antiqq. Rom.* voce *Cataſta*; qui *eam uocem Romanam, ſed Graece, uel potius Siculae originis dicit, quae ut aliae non paucae ab iſtis ad Romanos corruptae et ſemibarbarae tranſierint, reliquis Graecis omnino incognitae.* conf. etiam CASAVBONVS ad *Perſii Satyr. VI.* et GER. IOH. VOSSIVS *Etymologico*, hac uoce. Certe multa eiusmodi occurrunt bocabula in Plauto, quae ex Graecis corruptiſſima

Digitized by Google

Latio efferuntur ore, sic PLAVTVS *Mostell. Act. III. sc. 1. v. 34.*

Sed Philolachetis eccum seruum Tranium,
Qui mihi neque foenus, neque sortem argenti danunt.

Item in *milite glor. A. I. sc. 2. v. 62.*

Tibi ego dico aneuritatusne *sis.*

Et reuera Romanam usu, Graecis incognitam *Catastae* uocem esse, suadent locupletissimi Graecae linguae Thesauri, in quibus CATASTAM frustra quaesiueris; cum tamen ab optimis Latini sermonis cultoribus frequenter satis adhibeatur. Graeca tamen habet incunabula, quoad externam quidem faciem ualde mutilata: Eam uero non a καθίσασθαι ut haesitanter PITISCVS l. c. statuit, sed a κατάσασις aut κατάστημα, quae ambo STATVM aut COLLOCATIONEM inferunt, (*a*) deriuarem. Consentit RADERVS ad *Epigr. XXIX. L. VI. Mart.* et LVCAS HOLSTENIVS in *notis ad passionem sanctarum Perpetuae et Felicitatis, ex collectione actorum primorum Martyrum sincerorum et selectorum*, DOM. THEODORI RVINARTI.

§. II. Frequentissima quidem *Catastae* est appellatio apud Latinos, non tamen desunt et alia nomina, quibus, idem fere significantibus, exprimitur. *Machinam* uocat Q. CICERO de *Pet. Consul. c. 2.* sic censente PITISCO l. c. *Septa* dicuntur MARTIALI *L. IX. Ep. 60.*

In

a) Sic Aelianus *var. Hist. L. XIII. c. 37.* Γέλων ὁ τῶν Συρακουσίων τύραννος τὴν τῆς ἀρχῆς κατάστασιν πραότατα ἔσχε. *Gelon Syracusanorum tyrannus statum imperii habuit mitissimum.*

In septis Mamurra diu multumque uagatus
Hic ubi Roma suas aurea uexat opes,
Inspexit molles pueros, oculisque comedit:

Graecis τὸ πρὸ τȣ̃ δικαςȣ̃ βῆμα, *gradum* aut *Catastam coram iudice erectam* uocari ex *Eusebii* nonnullis locis probabile esse putat idem HOLSTENIVS *l. c. notis ad §. 6.* Quid quod et *pulpitum* et *suggestum* translatis uocibus dicitur, de quo inferius, ubi de usu sacro agendum, disputabimus. Plane differt a nostra, *Genus tributi* apud Florentinos olim introductum, de quo NIC. MACHIAVELLVS *Historiae Florentinae L. IV. p. m.* 212. *et* 213. haec habet: *Tractum fuerat bellum istud, ab anno* XXII. *ad annum* XXVII. *usque, ciues igitur tam diuturnae exactionis pertaesi, in id conuenerunt, ut ea ad aequalitatem reducerentur, atque ex cuiusque fortunarum ratione deinceps poterentur, singula centena dimidium florenum penderent. Cum igitur, hac ratione, exactionis norma a lege, non ab hominum libidine, penderet, ea ratione factum est, ut ea potentiores potissimum premeret, eamque ob causam, etiam nondum promulgata, ipsis improbaretur, solus Iohannes Mediceus eam publice laudabat, adeo, ut ea tandem perficeretur, uocatumque a Florentiae id genus exactionis, peculiari uocabulo,* Catasto *fuit, quod nimirum omnium fortunae, aequali ratione ea notarentur, quod ipsi* accatastare *appellabant.* Affine huic et ICtis usitatum *Catastrum* dicitur, *id quod extimum est*, et significat *librum, in quo tributa et census aestimari solent, ipsam quoque aestimationem*, vid. *Lex. Iur.* et IOH. IOACH. MVLLERVS *Diss. de Catastris* von Steuer-Anschlägen.

§. III. Iam uero, ubi ad uim et notionem uocis accuratius eruendam nos accingimus, merito distinguendum esse censemus inter acceptionem profanam, et quae in sacris reperitur antiquitatibus. *Aliter* enim adhibetur, ubi *de seruis*, *aliter*, ubi *de Christianis*, iisque a Tyrannis grauissime uexatis, loquuntur Auctores. Notione generali *Lexicon Iuris Catastam* dicit *locum, ubi serui uenales exponebantur.* Et profecto, cum hac significatione auctores consentiunt; sic MART. *L. VI. Ep.* 29.

Non de plebe domus, nec auarae uerna catastae,
Sed domini sancto dignus amore puer:

ad quae RADERVS sic commentatur: *Non es uerna uenalitius, ita natus domi, ut uenum in catasta cum reliquis seruis componerere.* In *catasta* enim serui uenales exponebantur, teste PLINIO *L. XXXV. H. N. c. ult. Talem in catasta uidere Chrysogonum Syllae.* Seruus enim erat Chrysogonus, teste CIC. *Orat. pro Sexto Roscio Amerino p. m.* 226. manumissus deinde a Sulla. Loquitur enim PLINIVS de seruis, qui, cum olim in *catasta* expositi, brevi tempore apud dominos ita gratia floruerint, ut, tantum non cum laureatis fascibus illo remittantur, unde cretatis pedibus aduenissent. *b*) Et de hac emebant antiquiores mancipia

b) Seruos peregre et trans mare aduenientes hoc distinguebant charactere antiquiores, ut eorum pedes dealbarent, siue creta inficerent, unde IVVENAL. *Sat. I. u.* 109. 110. 111. de libertino diuite loquitur, qui, propter diuitias sacrosancto tribunitio honori fuit praelatus: cum tamen haud ita diu Romam aduenisset pedibus albis. *Exspectent*

Digitized by Google

cipia utriusque sexus, quod patet ex SVETONIO *de Ill. Grammat. c.* 13. *Laberius Hiera suo hero emptus de cataſta, et propter literarum ſtudia manumiſſus.* Et ex Q. CICERONE *de Petit. Conſulatus. c.* 2. *quo tamen in magiſtratu amicam, quam palam domi haberet, de machinis emit.* Non dubium eſt, quin hic machina cataſta ſit, ex qua ſerui ſeruaeque uendebantur. *c*) Praeſtabant uero hanc

Exſpectent ergo Tribuni
Vincant diuitiae: ſacro nec cedat honori,
Nuper in hanc urbem, pedibus qui uenerat albis.

Creta uero pedes fuiſſe dealbatos oſtendit PLINIVS L. XXXV. *c.* 17. *Eſt et uiliſſima, qua Circum praeducere ad victoriae notam, pedesque uenalium trans mare aduectorum denotare inſtituerunt maiores. Gypſatos* uocat pedes TIBVLLVS L. II. *Eleg.* III. *u.* 41. 42. OVIDIVS *Amor.* L. I. *Eleg.* 8. *u.* 64. conferatur omnino LAVR. PIGNORIVS *de ſeruis ed. Amſtelod. ann.* 1674. *in* 12; et IAC. DALECAMPIVS *ad Plinii loc. citat.*

c) Non ingratum erit Beneuolo Lectori, ſi, quae ad hunc locum annotauit VIR ſupra laudes meas poſitus, CHR. GOTTL. SCHVVARZIVS, Praeceptor olim, nunc Fautor honoratiſſimus, in Lectionibus Academicis MSCtis ad Librum Q. CICERONIS, cum ipſo communicauero, ſic autem: *Quemadmodum Q. Cicero hucusque maxime notauit egeſtatem et contemtum Antonii: ita nunc his uerbis eius quoque libidinem et impudentiam reprehendit; utpote qui in magiſtratu praeturae, in quo debuerat eſſe continentiſſimus, amicam uilem emerit, nullaque pudoris ratione habita palam habuerit domi. Quid uero hoc loco dicatur emere de machinis, nonnullum negotium fecit Philologis.* VALERIVS PALERMVS *in ſuo Commentario cenſuit, hunc locum eſſe corruptum, et pro machinis legendum drachmis; illud ue-*

Digitized by Google

hanc utilitatem, ut et asseruari et conspici, ab emptoribus possent mancipia, id quod uidetur EILHARDO LVBINO *ad Persii Sat. VI. u. 77.* Atque de hac *catasta catasti* dicuntur serui VITRVVIO *L. 8. c. 4.* MARTIAL *L. XII. Ep. 75.*

Cum

ro De *pro numeri nota habuit, ut* CL *uel* D, *quae nota significat aut centum quinquaginta aut quingentis drachmis, quibus emta sit illa mulier, ut ex pretii uilitate personae conditio indicetur. Est uero drachma centesima pars minae, ideoque generatim pro parui ualoris nummo ponitur. Quam suam suspicionem* Palermus *confirmare nititur loco quodam* HORATII *L. II. Sat. 7. u. 42. 43. ubi ille de seruo ait:*

me stultior ipso
Quingentis emto drachmis deprenderis.

At enimuero iam GRVTERVS *animaduertit, male* Palermum *cupere hunc locum mutatum, utpote qui omnium Codd. MSS auctoritate se tueatur. Varias itaque loci interpretationes collegit* CORRADVS *in Quaestura: Sunt*, inquit, *qui putent emere de machinis esse idem pene, quod emere de lapide. Alii malunt ad machinas sceniças, de quibus tam multa* Pollux *scribit, referre, ut* Q. CICERO *significet eam, quam Caius Antonius emit tibicinam uel mimam fuisse. Nec desunt, qui per Machinam credant, pergulam significari, in qua res uendi solebant, ut* VLPIANVS *L. V. et IX. ff. satis osterdit. Quin Lenones in pergulis olim meretrices prostituebant.* Οἰκήματα *certe Graeci uocant, in quibus Solon omnium primum, ut* ATHENAEVS *refert, meretrices prostare uoluit. At* TVRNEBVS *L. XXV. Aduersariorum c. 3. putat significari amicam, quam emerit Antonius in ergastulo uel pistrino compeditam fuisse, uel in catasta alligatam ad machinam, quae sane seruorum conditio fuit deterior, quam eorum, qui iuncti non er-*

Digitized by Google

Cum tibi Niliacus portet cryſtalla cataſtus. *Cataſtum* dicit ſeruum ex *cataſta uenditum.* Niliacum, quod in Aegypto natus et ex eadem aduectus ſit. conf. omnino TITVS POPMA *de operis ſeruorum p. m.* 175.

§. IV. Non abs re erit, ut hoc in loco *Cataſtos* iudicemus. VITRVVIVS. *L. VIII. c. 4.* ſic ſcribit: *Ideoque ſemper transmarinos* cataſtos *emere formoſos et puellas maturas, eosque coniungere, ut qui naſcerentur ex iis, non ſolum egregia uoce, ſed etiam forma eſſent non inuenuſta.* Ambiguum eſſe locum et difficiliorem fatetur PHILANDER. Hinc in uaria abeunt uarii commentatores: HERMOLAVS BARBARVS *in Caſtigationibus ad Plinii L. V. c. 4.* et COELIVS RHODIGINVS *Ant. Lect.* L. XIX. c. 15. *Calaſtri* legunt (*d*) id quod *Voſſius* in *Etymologico* a καλιζειν deducit, quod HESYCHIO eſt καλεῖν, cui lectioni ex

ant. Sed et machinam dicit apud Graecos Παντικάπην *fuiſſe, qua ſerui impediti manum ori admouere inter molendum atque pinſendum non potuerunt. Pauciſſimis igitur ut rem expediamus; nobis eorum potiſſimum ſententia probatur, qui docent: Machinam hoc loco dici cataſtam, in qua ſerui et ſeruae coudebantur, et qua incluſi proſtabant. Quae ſententia etiam eſt Cl.* SALMASII *in Exercitt. Plinianis, et Caſauboni ad Perſium.* Hucusque ille.

d) Nollem cum PHILANDRO huc referre REROALDVM nott. *ad Apulei de Aſino aureo.* L. XI. p. m. 679. *Baſileenſis edit. apud Sebaſt. Henric. Petri* 1597. is enim ueſtem cataclistam illuſtraturos, ſententiam eorum, qui locum Vitruuii huc applicare conantur et legere Chorum cataſtilitam, reiicit, nihil autem minus agit, quam ut lectionem approbet cataſtilorum.

ex sua lectione Florentina 1498. Domitius Calderinus aliquid addit ueriſimilitudinis. Magis autem cum ueritate conuenire videtur Vossio et Adr. Turnebo *aduerſar. L. XXIV. c.* 7. (qui hanc coniecturam Gvilielmo Pelisserio, *Montis Peſſuli Epiſcopo* in acceptis refert) et Yvon. Villiomaro hoc eſt Scaligero, legere *Catlaſtros*, uoce deducta a *catulire*, quod ſignificet aliquam ad Venerem inclinationem: unde Plinius H. N. L. XVI. c. 25. *Catultionem*, (pro quo legendum uult Catlitionem;) *ruſtici uocant, geſtiente natura ſemina accipere, eoque animam inferente omnibus ſatis.* At mihi, qui non temere emendandum aliquid cenſeo, quam diu ſaltem commodus ſenſus ex Autore poteſt elici, neutra placet in textum animaduerſio. Coelivs enim fatetur, alios codd. et forte plures prae ſe ferre *Cataſtlos*, quod grauiſſimam menti praebet ſuſpicionem, quaſi mendum ſit exſcriptorum, qui *Cataſtum* in *Cataſtlum* mutauerint, cum nihil ſit facilius, quam in celeriori τϑ T. ſcriptione lineolam extremitati addere, quam alii pro L. legerunt. Sufficit autem, multos codices cataſtos legere, ut adeo et codicibus et coniectura de mendo uerior confirmetur ſententia. Accedit, difficile futurum Coelianae emendationis defenſoribus, ulla auctoritate probare uocabulum *Calaſtri*, aut *Calaſaſtri*, uel *Cataſtli*, de quo bene Philander *ad hunc locum* Vitrvvii: illud uocabulorum genus nusquam me memini legere aut fando audire; cum uero a καλιςρέω deducunt, nihil profecto, quod operae pretium ſit, agunt; Nam ut taceam καλιςρεῖν teſte *Heſychio*, ſaltem

sitem significare clamare, quod ab ipsa *Vitruuii* mente nimium quantum abest; uel ea, quibus cum uox *Calastrorum* connexa est, neutiquam hanc admittunt lectionem. Non enim transmarinos emere calastros opus habent, siue seruos eleganti uoce praeditos, quoniam uel ipsi fontes uocis elegantiam satis promouent. Altera VOSSII et TVRNEBI coniectura multo minus mihi arridet, cum destituatur et suffragiis codicum, et nihilo melius cum sensu conueniat. Quid enim sibi uelit: emunt sibi pueros prurientes in Venerem, aut, ut VOSSIVS explicat, Aegyptiae uernilitatis et leporis, non uideo. Cum et aquarum uirtus antecedat, et puerorum ab iis genitorum formositas cum suauitate uocis coniuncta postea commemoretur. Planissima est et uerissima sine dubio ea acceptio uocum, quemadmodum a PHILANDRO sunt exscripta. Fundunt enim hunc sensum: *Aquarum Zamensium et Ismucensium hanc esse uim, ut canoram efficiant uocem, si quis eas biberit. Ideoque solitos esse harum urbium incolas, cataslos* (seruos de catasta, qui peregre adueniant) *transmarinos eosque formosos emere, et puellas maturas, eosque coniungere, ut, qui nascerentur ex iis, non solum egregia uoce,* (propter aquas, quas semper bibunt, et harum uirtute limpidam uocem accipiunt) *sed etiam forma essent non inuenusta.* Fortes enim ut plurimum fortibus creantur et bonis, neque dubium est, quin, cum maturum utrumque coniunxerint coniugem, non debilis exinde, sed robusta et formosa, ex formosis genita fuerit proles. Cupiebant autem hanc eo magis Zamenses, quod maximum

ximum ad se luerum ex iis redundaret. Serui enim gignebant suo hero, id quod gignebant; iam uero notum est, quanto in pretio fuerint elegantes pueri, et praecipue, qui aliqua arte instructi essent, ut hi, canendi disciplina praediti, cum elegantissima uoce. Quae, quomodo lectori se approbabit coniectura, ego quidem nescio; mihi saltem plana uidetur Vitruuiani loci explicatio. Legendus est, cui eadem fere mens sedet, PHILANDER ad *hunc locum*. Vindicato VITRVVIO defendendus quoque hic est MARTIALIS *Lib. XII. Epigr.* 75.

Cum tibi Niliacus portet crystalla catastus,
Accipe de circo pocula Flaminio.

Vocem *Catasti* in mendo cubare TVRNEBVS arbitratur *L. XXX. c.* 26. Et cum eo VOSSIVS *l. c.* Legendum uidelicet censent *Cataplus*. Praeiuerat istis DOMITIVS CHALDERINVS, cui contrarius est GEORGIVS MERVLA qui in editione impressa *Venetiis* 1495. *Catastus* legere mauult, prout VITRVVIVS eo loco, quem modo integritati suae restitutum dedi, scripsisse ipsi uidetur. Significat uero *Cataplus* nauigationem uel appulsum, idem locum ubi appelli solet; sensus ergo erit: nauigationem Aegyptiam ipsi portare crystalla; ut adeo Aegyptia et peregrina crystalla opponat fictilibus e Circo Flaminio petitis, quo uenit ueterum nonnullorum librorum fides ab ipso TVRNEBO allegata, ubi *Cataplus* legitur. Non inelegans haec coniectura est, fateor; nondum tamen omnino hoc a me impetrare possum, ut emendandum *Catasti* nomen suspicer.

Valde

Valde enim subolet, *e*) si vox *Cataplus* in foemininо genere usurpetur, et ὁδὸς aut ἐπιδημία subintelligatur, quo me ducit MARCELLVS SIDITES *de medicina* quem ex VOSSIO cito:

Et quicquid confert mediis Lalagaea (Lagea) *cataplus.*

Vbi haud difficile est suspicari infirmiori genere hoc in loco adhiberi *catapli* vocem. Deinde cur Niliacae prae ceteris meminit navigationis? Num ex Aegypto potissimum crystalla adferebantur? contrarium PLINIVS in *H. N. L. XXXVII. c.* 2. Qui *nasci crystallum in iis locis asserit, ubi maxime hibernae niues rigent: glaciemque esse certum est, unde et nomen Graeci dedere.* Qui nec mentionem quidem fecit, ex Aegypto crystallum uenire, ut potius laudatissimam eius speciem in Europae Alpium iugis inueniri affirmet. Et quamuis autore *Iuba* scribat, *nasci in quadam insula rubri maris, ante Arabiam sita*, pro rumore tamen hoc, non certa mercatorum narratione profert. *f*) Ex contraria parte seruos ex Aegypto frequentissime aduectos, discimus ex STATIO *L. II. Sylvar. I. u.* 72. 73.

e) Dubitans haec affirmo, potest enim genere communi accipi, ut intelligatur ὁ καὶ ἡ κατάπλους. Locus Ciceronis pro Rabirio Postumo, anceps est, et nonnulli aliter legunt.

f) Equidem STRABO L. XVI. meminit τῶν ὑαλεργῶν uitriariorum, qui Alexandriae erant, qui narrauerint, εἶναί τινας κατ' αἴγυπτον ὑαλίτιν γῆν, ἧς χωρὶς ἐκ οἵου τε τὰς πολυχρόους καὶ πολυτελεῖς καταστάσεις ἀποτελεσθῆναι, non tamen haec probant, ex Aegypto pretiosissima uitra aduecta fuisse, quin et de Roma

Non te barbaricae uerſabat turba cataſtae
Nec mixtus Phariis uenalis mercibus infans.

Item ex IVVENALI *Satyr. I. u.* 26. ubi Criſpinus dicitur: *pars Niliacae plebis uerna canopi.* Quid igitur eſt, quod alium ſenſum expoſcat? cum hic clariſſimus ſit: quamuis tibi ſeruus Aegyptius cryſtallo miniſtret, non tamen aegre feres hoc fictile ex Circo Flaminio uaſculum.

§. V. Conſtructae hae *cataſtae* ex ligno, tabulata enim uocat MART. *L. IX. Ep.* 60.

Quos arcanae ſeruant tabulata cataſtae.

Erat uero tabulatum ex ligno aut tabulis conſtructa machina, uel pegma ad certam quandam altitudinem. Vnde in nauibus primum, ſecundum, tertium tabulatum, et Antonii naues, quae propter magnitudinem ſingularem recenſentur, *turribus et tabulatis alleuatae dicuntur* FLORO *Hiſt. Rom. L. IV. c.* 11. AVSONIVS *Ludo ſept. ſapient. u.* 32. 33.

Aedilis olim ſcenam tabulatam dabat
Subito, excitata nulla mole ſaxea.

Tabulae

ſtatim ſubiungit, multa ibi inueniri, καὶ πρὸς τὰς χρέας καὶ πρὸς τὴν βασάνην, καὶ κατασκευὴς καθάπερ ἐνδεῖ τῶν κρυσταλλοφανῶν. Pluris eſt CICERO *Or. pro Rabirio Poſtumo*: *ductae naues Poſtumi Puteolis ſunt, auditae, uiſaeque merces. Fallaces quidem et fucoſae, chartis et linteis et uitro delatae:* at enim uero, ut taceam alia exempla hic legere nitro, obſeruante hoc ADR. TVRNEBO *Aduerſ.* L. X. cap. XXIII. quod non improbabile uidetur conferenti PLIN. *H. N.* L. XXXI. cap. 10. qui dicit: nitrum in Aegypto confici abundantius; non negaui uitrum in Aegypto confici, ſed tam praeſtans ſaltem, praecipue cryſtallina uaſa, ut exinde Poeta additicium nomen deſumſerit.

Digitized by Google

Tabulae autem asseres sunt, ex quarum compage struebantur tabulata, unde *tabulam ex naufragio arripere* dicitur, qui ex asseribus, ex quibus nauis est constructa, aliquem apprehendit, uid. CIC. *L. III. de off. c.* 23. Clarior inde erit PLAVTI locus in *Poenulo Sc. ult.* ubi adolescens, cuius leno futurus erat seruus, aut saltem pro seruo, usque dum trecentorum Philipporum summam exsoluisset, ita loquitur:

\- - - *Tantisper quidem,*
Vt sis apud me lignea in custodia.

Asseruabatur enim cum seruis et apud seruos in cataста, quam sine omni dubitatione et eleganti emphasi ligneam dicit custodiam. Nescio vero an huc referri mereatur, quod obseruat M. IOANNES BENZIVS *Bruxellens.* in *Thesauro novo eloquutionis oratoriae Graeco - latino loco* 51. *p. m.* 549. qui ξύλον *catastam*, *compedem*, *tormentum*, significare adseuerat. Consentit catastam ex ligno fuisse nobiscum PITISCVS et VOSSIVS *locis cit.* RADERVS *ad L. VI. Ep.* 29. *Mart.* Distinguenda etiam cum auctoribus *catasta* in *arcanam* et *uulgarem*. Haec seruis quibuscunque uilissimis dummodo non poenam promeriti fuerant, adseruandis et uenum exponendis inseruiebat: illius mentionem facit MART. *L. IX. Ep.* 60. Dubitari nequit, quin hic arcana catasta plane diuersa a uulgari innuatur, quando MARTIALIS Mamurram diu multumque uagatum, pueros uenum positos inspexisse dicit; non uero uulgares, sed molles,

Sed quos arcanae seruant tabulata catastae
et quos non populus, nec mea turba uidet.

Serui hi erant molliores et elegantiores, quos luxuriae deditissimi Romani ad nefanda adhibebant stupra, et τὴν χρῆσιν παρὰ φύσιν. *Rom. l. u.* 26. Hos speciatim adseruabant mangones, neque publice omnium oculis exponebant. Quemadmodum enim lenones meretrices minus formosas, aut dum necessitas habendae pecuniae, in pergulis prostituebant omni hominum generi, uid. PLAVT. in *Pseud. Act. I. Sc.* 2. *u.* 79. *et* 96: Pulchriores autem uel priuatis contractibus alicui concedebant uel in mercatu, cuius ad Veneris aedem celebrati meminit PLAVTVS in *Poenulo Act. I. Sc.* 2. *u.* 126. 127.

Quia apud aedem Veneris hodie est mercatus meretricius.

Eo conueniunt mercatores, ibi ego me ostendi uolo.

Ita etiam cum seruis comparatum uidetur, quorum aliqui in primis casis prostituebantur, id est in tabernis mangonum quasi primo loco et sub ingressum uenales erant, alii maiori cum cura in interi-

g) Vendebantur etiam serui sub hasta aut corona, vid. ALEXANDRI AB ALEXANDRO *Dierum genialium L. III. cap.* 16. De lapide emti dicuntur, ubi praeco lapidem ascendebat, et publice uenales proclamabat, et auctionem faciebat. Sic PLAVTVS, *Bacchidibus Act. IV. Sc. VII. u.* 16. 17.

O stulte, stulte, nescis nunc uenire te
Atque in eo ipso astas lapide, ubi praeco praedicat.

confer BERGALDVM ad *L. II. Apulei Metamorph p. m* 273. inde lapide emti uilissimos hominum significant, uid. DESID. ERASMVS *Adagiorum Chil. II. Cent. X. n.* 77. et de lapide noxius Columellae *lib. IV.* 3. seruus de lapide emtus non frugi bonae sed noxae, qui deditus est, ideoque uenditus, uid. COELIVS RHODIGINVS *Antiqu. Lectionum L. XXV.* c. 22.

Digitized by Google

interioribus aedium partibus, ut non ab omnibus videri possent, seruabantur. g) Facillimum nunc nobis est coniectura paulo accuratius determinare, quid cataſta fuerit. Videtur enim fuisse ex tabulis compactum conclaue aut potius casula, ubi commorabantur serui uenales, et quo introducti emtores seruos aspicere et explorare poterant. Eadem ratione arcana cataſta uidetur fuisse in interioribus aedium partibus: quemadmodum et apud nos merces optimae maiori cum cura interius asseruantur. Communis erat itaque seruis custodia in cataſta, in qua una uiuebant uenales. Vnde non dubium est, quin maximus strepitus ibi fuerit, tum, quod garrirent inuicem, tum, quod quisque aliud quod sibi placebat, ageret. Vnde MARTIAL. *in Epitaph. Philenis L. IX. Ep. 30.*

Heu! quae lingua silet, non illam mille cataſtae
Vincebant, nec quae turba Serapin amat.

§ VI. Differt tamen a *cataſta pistrinum*, quod cataſta ordinaria seruis uenalibus custodia fuit, pistrinum poenae loco datum est; Sic TERENTIVS in *Phormione Act. I. Sc. V.*

Herus si redierit,
Molendum usque in pistrino, uapulandum, habendae compedes.
Opus ruri faciendum,

hic molam manuariam ducebant. PLAVT. in *Asin. Act. I. Sc. I. u. 16.*

Num me illuc ducis ubi lapis lapidem terit?
Idem v. 18. Vbi flent nequam homines qui polentam pinsitant.

Digitized by Google

Vnde pistori dabantur poenae loco, qui sine dubio ipsis praefectus erat; in *Epidico Act. I. Sc. II. u.* 18.

Quem quidem ego hominem irrigatum plagis pistori dabo.

Iniiciebantur compedes ferreae, ne facile effugerent, ita in *Bacchidibus Act. IV. Sc. VI. u.* 10. 11.

Vt tua iam uirgis latera lacerentur probe
Ferratusque in pistrino aetatem conteras.

Idem in *Menaechmis Act. V. Sc. VI. u.* 8. 9. 10.

Detur a suis heris, ignauis, improbis,
Viris, uerbera, compedes, molae, magna
Lassitudo, fames, frigus durum.

Quin et, ubi quicquam irae incesserat herum, pendentes uapulabant: SENECA *de ira L. III. c.* 24. hanc crudelitatem improbat. *Quid est, quare ego serui mei hilarius responsum, et contumaciorem uultum et non peruenientem usque ad me murmurationem flagellis et compedibus expiem!* PLAVTVS *Asinar. Act. III. Sc. II. u.* 18.

Vbi saepe causam dixeris pendens aduersus octo
Astutos, audacis uiros, ualentes uirgatores.

Vnde ludendi occasionem arripit seruus, pondus alterius demonstrandi. *Ibidem Act. II. Sc. II. u.* 37. — 39.

Ad pedes quando alligatum est, aequum centupondium,
Vbi manus manicae complexae sunt, atque ad ductae ad trabem,
Nec dependis, nec propendis, quin malus ne quamque sies.

Digitized by Google

Et eae quidem plagae uel ulmeis infligebantur uirgis, uel uimineis, uel etiam bubulis loris. Primum teſtatur PLAVTVS in *Pſeud. Act. I. Sc. V. u.* 132.

Stilis me totum usque ulmeis conſcribito.

Item *Aſinaria Act. III. Sc. II. u.* 28. 29.

Vbi ſaepe ad languorem tua duritie dederis octo
Validos lictores, ulmeis affectos lentis uirgis.

Secundum affirmat idem in *Epidico Act. I. Sc. I. u.* 26. ubi ſeruus nihil alteri ſeruo deeſſe iactatur, quin praetorem agere poſſit, praeter

Lictores duos, duos uimineos faſces uirgarum.

De loris bubulis uide MOSTELL. *Act. IV. Sc. I. u.* 20. 25. 26.

\- - - *Cum herus reſciuerit,*
Mane caſtigabit eos bubulis exuuiis.

Et *Aſinaria Act. I. Sc. I. u.* 21. 22.

Apud fuſtitudinas ferricrepinas inſulas
Vbi uiuos homines mortui incurſant boues.

Tam miſeram ſeruorum in piſtrino conditionem elegantiſſime deſcribit APVLEIVS *L. IX. metamorphoſεως p. m.* 323. *ed. Beroaldinae, Baſileae apud. Sebaſt. Henric. Petri anno* 1597. in 8. *Dii boni, quales it homunculi uibicibus liuedinis totam cutem depicti, dorſum plagoſum ſciſſili centunculo magis inumbrati, quam obtecti; nonnulli exiguo tegili tantum modo pubem intecti: cuncti tamen ſic tunicati, ut eſſent per pannulos manifeſti. Frontes litterati et capillum ſemiraſi, et pedes annulati, cum lurore deformes et fumoſis tenebris uaporoſae caliginis palpebras adeſi, atque adeo male luminati: et in modum pugilum, qui puluiſculo perſperſi dimicant, farinulento cinere ſordide candi-*

dati. Hic locus poenae erat mancipiis, de *Cataſta* idem non inuenimus, quin uenales potius ſerui, ut uidetur, iique non uincti ibi aſſeruabantur, ut adeo diſcrimen inter utrumque manifeſte ſatis pateat. Cadit etiam TVRNEBI obſeruatio, *Aduerſar. L. XX. c. 4.* qui *amicam* ab Antonio *de machinis emtam*, de qua QVINTVS CICERO *de Petit. Conſ. c. 2.* egit, in *ergaſtulo uel in piſtrino compeditam*, *uel in cataſta alligatam ad machinam fuiſſe* (*b*) affirmat: contra hunc enim iam PITISCVS declarat, ſolutas uenalitias in machina ſiue cataſta fuiſſe.

§. VII. Cum itaque ſeruis aſſeruandis et uendendis deſtinata eſſet *cataſta*, diuerſis quoque

b) Poenam ab ancillis exactam, iisque etiam carcerem fuiſſe, colligi poſſe uidetur ex IVVENALI *Sat. II. u.* 57.

Horrida quale facit reſidens in codice pellex.

Vbi LVBINVS annotat, *ſeruas pellices in adulterio a matrefamilias cum marito inuenta, perpetuo lanificio in codice damnatas.* Videtur autem codex fuiſſe, truncus ualidus arboris, ad quam alligatae ſeruae erant, ſimul autem inſidere poterant. PLAVTVS *Poenulo Act. V. Sc. III. u.* 33.

\- - - *Quos ego iam detrudam ad molas*
Inde porro ad puteum atque ad robuſtum codicem.

PROPERTIVS *L. IV. El. VII. u.* 43. 44.

Noſtraque quod Parale tulit ad monimenta corollas
Codicis immundi uincula ſentit anus.

COELIVS RHODIGINVS *Ant. Lect. L. XVII. c.* 8 codicem cum robore conuenire putat, ſed diuerſum TVRNEBVS *Aduerſ. L. XXIII. c.* 21. quod et uero uidetur ſimilius; *Codicariae* inde dicuntur mulieres, conf. DOVSA *Pater ad Propertii l. c.*

Digitized by Google

que nominibus a Poetis insignitur. *Auara* dicitur MART. *L. VI. Ep.* 29. quod multi quaestum faciebant e seruorum uenditione, uideatur RADERVS ad h. l. praecipue, ubi feminae de machina uendebantur; lenones enim corruptissimi et auarissimi humani generis, omni ratione argentum extorquere soliti erant, id quod passim ex PLAVTO, et uel ex *Pseudolo Act. I. Sc. III. u.* 125. *et seqq.* patet. *Barbarica* dicitur et *Barbara* PAPINIO STATIO *L. I. Sylu. I. u.* 72. *et* 73.

Non te barbaricae uersabat turba catastae
Nec mixtus Phariis uenalis mercibus infans.

TIBVLLO *L. II. Eleg. III. u.* 41. 42.

Nota loquor, regnum ipse tenet, quem saepe coegit,
Barbara gypsatos ferre catasta pedes.

Propterea quod barbari i. e. exteri seu transmarini etiam serui in ea exponebantur. Et quia inter ceteros Cappadoces seruili ingenio praeditit, seruitium saepissime subirent, (*i*) *Cappadocae catastae* dicuntur ex MART. *L. X. Ep.* 76.

Nec de Cappadocis eques catastis.

Rigidae appellantur PERSIO *S. VI. u.* 77.

Cappadocas rigida pingues plausisse catasta.

Quod nomen uel propter seruitutis duritiem, uel propter ipsius catastae rigorem, durissimum-

i) Cappadocia seruitiis locuples erat. Vnde HORATIO *L. I. Ep. 6. u.* 39. teste, etiam Cappadocum rex, mango, qui seruitia uendebat, appellatur. Plura uide apud COELIVM RHODIGINVM *L. XVIII. cap.* 20. *A. L.*

Digitized by Google

que cubile, aut propter frigus etiam, cui expositi erant, inditum uidetur.

§. VIII. Restat, ut, quid de horum sententia habendum sit, paucis expediamus, qui *catastam* compedem ligneum aut forma compedis arbitrantur, qui seruis iniiciebatur; quam tenent RADERVS ad *Epigr.* 29. *L. VI.* MART. VICT. GISELINVS SANFORDIANVS, FLANDER, ad *Prudentii hym. I. Perisstephanon u.* 56. PHILANDER, ad *L.* 8. *c.* 4. VITRVVII, et ADRIANVS IVNIVS, *L. V. Adu. c.* 14. AELIVS NEBRISSENSIS qui *ad Prudentii Perisstepb. hym. XIV. u.* 467. sic commentatur de catasta; *e uinculis sive compedibus.* Huic sese opponit VOSSIVS in *Etymologico.* SCALIGER, ad *Catullum* quem citat DORSCHEVS *in Admirandor. IEsu Christi septenario p.* 295. At enim uero ea loca, quae ex auctoribus adhuc adduxi, hanc significationem neutiquam urgent, quin potius eam, quam statui, diligentissime comprobant. Adfertur quidem pro opinione confirmanda, PERSIVS *Sat. VI. u.* 74.

Cappadocas rigida pingues plausisse catasta.

Nihil uero uideo, quod nouae sententiae faueat. Inuehitur Poeta in malos mores, praecipue auaritiam, et Satyrico sale, quasi concedendo, dicit:

Vende animam lucro, mercare atque excute solers.
Omne latus mundi, ne sit praestantior alter
Cappadocas Rigida etc. - - -

Legit hic EILHARDVS LVBINVS, *pauisse.* Exercebant autem auarissimi mangones quaestum, et dum seruos alebant, ut pingues essent, adeoque specios-

Digitized by Google

speciosiores in catasta apparerent, maius pro iis pretium flagitabant. Quid uero? nonne haec satis de catasta seruorum, ubi uenales asseruabantur, explicari possunt? nec moror, compedibus fuisse saepissime constrictos, quod §. 6. satis ostendi. Poenae enim loco erant, adeoque ad hunc locum non trahi possunt. Sic itaque suffragante contextu, consentiente communiori uocis notione, non opus est ut nouum et minus necessarium exsculpamus significatum.

§. IX. Seruilis ergo haec erat custodia, quantum quidem ex antiquis profanorum monimentis possumus probare. Apud Scriptores Ecclesiasticos et de martyrum cruciatibus alium accipit catasta conceptum, huic uero quodammodo affinem; de quo praesenti exercitatione nihil dicemus.

IV.

M. IOH. GOTTFR. HAVPTMANN
T. T. CONRECTOR IN ILLVSTRI RVTHENEO

DE EXEDRIS VETERVM.

Exedra, quod vocabulum, ab ἐδρεύω vel ἑδράζομαι Graecorum deriuatum, per sessionem, TVLLIVS reddidisse videtur, 1) *locum praecipue* denotat, *ad docentium, disputantium atque*

1) de finibus L. V. §. 2. conf. VAL. CHIMENTELLII marmor Pisanum cet. c. 23. in GRAEVII A. R. T. VII. p. 2109.

Digitized by Google

atque audientium, *conſeſſus*, *aptatum*. 2) IVLIVS MINVTOLVS, 3) cum baſilicis et oecis, idem plerumque ſignificare hoc ipſum nomen, arbitratur, quod autem, quo iure fiat, non adſequor. Quamuis enim, de oecis quandoque id verum eſſe, conceſſerim, quatenus ſcilicet amplam illam domus partem indicant, vbi conuiuia celebrari ſolebant; lautiores nimirum iſti, atque delicatiores, frigere, vt ita loquar, ſine Cerere et Baccho, Suadelam, exiſtimabant; baſilicas tamen eſſe adiectas, minime vellem; quippe, quae multo amplioris conditionis erant, et iudiciis potius, negotiationibuſque publicis, conſecrabantur. Neque autem verba deſunt, eamdem rem deſignantia, quibus, παστάδων nominationem, prae ceteris, adnumeramus. Expreſſis enim verbis, POLLVX. 4) παστάδας, inquit, ὁ Ξενοφῶν ἃς οἱ νῦν ἐξέδρας, *porticus vero Xenophon*, *quos nunc conſeſſus vocant*. Hanc adpellationem, non omnino quidem temere, in ſubſidium vocavit VAL. CHIMENTELLIVS, 5) quando, conviuia ibidem celebrata, demonſtrare, laborat; πάσσομαι enim SVIDAE eſt τὸ γεύεσθαι, et παστάδα vocatam monet etymologici auctor, διὰ τὸ, ἐν αὐτῇ σιτεῖσθαι παρὰ τὸ πάσασθαι. At enim, poteſt etiam,

2) vid. IAC. GOTHOFR. ad Cod. Theodoſ. L. XV. Tit. 1. leg 53. T. V. p. 326. ed. MARVILL. conf. POLLVX L. I. c. 8. Segm. 79.

3) diſſ. IV. de domibus in ALB. HENR. de SALLENGRET. I. Antiq. Rom. p. 87.

4) L. VII. c. 27. Segm. 122.

5) Marmor Piſanum in honorem Biſellii l. c.

Digitized by Google

etiam, quod plures, vero similius forte, tradunt, a πάσσομαι deriuari, quatenus *conspergere* notat; ita, ut, per ποικίλην στοαν *variam porticum* exponatur: quem ad modum HESYCHIVS quoque, παστάδα per στοαν, cuius nimirum haud spernenda pars erat exedra, iterum iterumque est interpretatus. Multo adhuc minori utitur robore, quod adiecit vir eruditissimus, argumentum; quando in 6) *exedra heluatur*, scripsisse CICERONEM contendit, vbi tamen, *orchestrae* aut *exostrae*, vocabulum codices praeferunt. Id, quod, eum in finem, monuimus, ut indidem eliciamus, accidisse tantum, quicumque fuit, exedrarum, in conuiuiis celebrandis, usum, et, nisi solidiora accesserint fundamenta, vix, ac ne vix quidem, demonstratum esse, quod, huncce solum in finem exstructum, conclave, exedrae aliquando nomen obtinuerit. Eumdem ad modum, ALEXANDRI ab ALEXANDRO 7) sententiam refutare possumus, quando, per *cubiculum* describit, exedram. Licet enim, lecti ceteris sedilibus miscerentur, locique opportunitas quieti saepius, in primis postmeridianae, concederet; haud tamen propterea verus ille, atque praecipuus, exedrarum finis exstitit, unde etiam, manifesto discrimine, separari ab exedris cubicula, reperimus. 8) Manet ergo proprius exedrarum, quem in descriptione notauimus, finis, doctrina atque exerci-

6) Orat. XXXVI. siue de prouine. consul. c. 6. §. 14.

7) L. V. genial. dier. c. 11.

8) e. g. ap. VLPIANVM L. V. §. interdum 2. π de his qui deiecer.

Digitized by Google

exercitatio. Hunc, ut eo commodius adſequerentur, Graeci, prae ceteris, ſingularia eius modi auditoria conſtruebant, quorum hodieque Piſis veſtigium ſupereſſe *campi ſancti* titulo adfectum PANCIROLLVS memorat. 9) Condebantur autem ad porticus, vt ambulationes diſtinguerentur quiete. Rem ipſam ita deſcribit VITRVVIVS. 10) *Nunc mihi videtur, tametſi non ſint Italicae conſuetudinis, palaeſtrarum aedificationes tradere explicate, et, quem ad modum, apud Graecos, conſtituantur, monſtrare. Conſtituuntur autem in tribus porticibus exedrae ſpatioſae, habentes ſedes, in quibus philoſophi rhetores reliquique, qui ſtudiis delectantur, ſedentes diſputare poſſint. In duplici autem porticu*, ad meridianas regiones conuerſa, *collocentur haec membra. Ephebeum in medio, hoc autem eſt exeara ampliſſima, cum ſedibus quae, tertia parte, longior ſit, quam lata.* cet. Habemus hic nudam ſtructurae deſcriptionem. Ad exornationem vero earundem, quod adtinet; iſthuc elegantem praecipue ſellarum poſitum referemus. Eminebat, inter ceteras, docentis cathedra, quae, *celſa* inde *ſedes*, a PERSIO, 11) nuncupatur. Circumponi ſolebant alia, non vnius generis, ſedilia, ſuper quibus, commoditatis gratia, puluini iacebant. 12) In primis vero conſiderationi noſtrae ſubiicii

9) Rerum memorabilium L. I. p. 159. ex interpret. HENR. SALMVTHI ed. 1599. conf. CHIMENTELLIVS l. c.
10) L. V. c. 11.
11) Sat. I. v. 17.
12) LVD. CRESOLLIVS Theat. Rhet. III, 12. conf. THEOPHR. Char. περὶ κολακείας

Digitized by Google

iici merentur hemicyclia, quae sellae fuerunt, ita iunctae, vt sigmatis, aut semicirculi, formam exhiberent, quod, eam ob caussam, fiebat, vt disputantes, pariter atque audientes, inuicem omnes adspicerent. Sic, de Cephali Athenienſis aede, in qua, de re ciuili disputaturi, conuenerant sapientes, SOCRATES apud PLATONEM, 13) ἔκειντο γὰς, inquit, δίφροι τίνες αὐτόθι κύκλῳ et CICERO 14) etiam Q. Mucium augurem, in eius modi hemicyclo sedentem, cumque familiaribus disputantem describit. Accedebant variarum formarum lectuli σκίμποδες a Graecis adpellati, cuius rei SVIDAM testem excitamus, qui simul ARISTOPHANIS illud ἱερὸν σκίμποδα ita explicauit, quasi philosophorum sellam respexisset comicus, τὴν τῶν Φιλοσόφων καθέδραν. Id ipsum coniecturae locum facit, GELLIO 15) fortasſis de exedra sermonem esse, quando, *offendimus eum*, ait, *cubantem in scimpodio Graecienſi, circum undique sedentibus multis, doctrina, aut genere aut fortuna, nobilibus viris.* Quod vero, etiam apud Latinos, lectulorum in exedris usus fuerit, vel ex CICERONIS loco adparet, ubi Crassum nobis, lectulo posito recubantem, proponit. 16) At enim, de cathedrarum adparatu, commodior, alioquin erit, differendi ratio. Iam cetera sunt adtingenda, quae mirificum exedris ornamentum conciliarunt, signa puto atque imagines,

13) L. I. de re publ.
14) de amicitia c. I.
15) N. A. XVIIII, 10, conf. CASAVBONVS. ad Aug. c. 78.
16) L. III. de Orat. §. 17 conf. PLINIUS L. II. ep. 17.

Digitized by Google

nes, quibus, tanta cum cura, utebantur, ut παστάδων nomen, si recte coniicio, istis indidem locis contingeret. Heic vero praecipue studebant, ut, quoad fieri posset, accommodatissimae essent, figurae, quod, ex CICERONIS ad Gallum epistola, 17) facili negotio, perspicietur. Hermathena in primis comparabatur; quoniam suauissimam, Mercurii cum Minerva, coniunctionem existimabant. Documentum praebet Ciceronis Tusculanum, cuius *pergratum* haec atque *proprium ornamentum* praestitit. 18) Mercurium nimirum Gymnasiorum antistitem habebant; 19) quantum vero Minervae tribuerint artes, qui nesciat, habebimus forte neminem. Apollo praeterea, cum Musis, addebatur; neque eruditissimorum hominum statuae negligebantur, quas, magno pretio, coemebant, magno studio, collocabant curiosi. Non vero una eius modi locorum species quondam existitit; cum, praeter diuisionem, in publicas atque privatas, exedrarum, sub tecto, aliae, aliae, sub dio struerentur, 20) quarum posteriores, verno potissimum atque aestiuo tempori, consecratae fuisse, adparent. ANDREAS praeterea BACCIVS, 21) clausarum atque patentium, illam facit differentiam,

17) L. VII. ad diversos Ep. 23.
18) CIC. L. I. ad Attic. ep. 1. et 3.
19) LUCIL. in Anthol. L. II. ep. 3. conf. IOS. LAURENTIUS, de Professoribus oratoribus cet; c. l. T. X. thes. GRONOVIANI.
20) VITRUVIUS L. VII. c. 5. ALEX ab ALEX l. c. et BERNALDINUS BALDUS in Lexico Vitruv. voce exedra.
21) de thermis veter. c. 6.

Digitized by Google

ferentiam, quod gravioribus istae, hae leuioribus studiis, fuerint destinatae. Quas publicas nuncupavimus, exedrarum, apud Graecos, potior, usus erat, unde ad Aegyptios derivabatur; 22) privatarum contra apud Romanos. 23) Quem ad modum enim plurima Graiorum aemulabantur Latini, ita etiam, in aedificando, imitatricem operam demonstrabant. Sed, non nullorum saltem initio fuit, ista voluptas, qui, litterarum causa, in Graeciam profecti, Graeciam, in Italiam, transferre studebant. Interveniebat tamen tempus, quo, publica etiam auctoritate, publicisque in locis, eius modi auditoria condebantur. Testantur id ipsum Athenaeum Romanorum et Capitolinae eorumdem scholae: 24) manifestum etiam huius rei documentum legitur in CODICE THEODOSIANO, 25) ubi, de gymnasio novae Romae constituto, A. C. CCCCXXV. sequentia praeceperunt Augusti: *Exsedras, quae septentrionali videntur adhaerere porticui, in quibus tantum amplitudinis et decoris esse monstrantur, vt publicis commodis possint capacitatis ac pulchritudinis suae admiratione, sufficere, supradictorum concessibus deputabit. Eas vero, quae tam orientali, quam occi-*

22) Ita enim de museo Alexandrino STRABO. Geogr. L. XVII. p. 1143. ed. Amstel. 1710. τῶν δὲ βασιλείων μέρος ἐστὶ καὶ τὸ Μουσεῖον ἔχον περίπατον καὶ ἐξέδραν κ. τ. λ. conf. LVDOLPHI NEOCORI de museo Alexandrino diatribe in GRONOVII T. VIII. p. 1774.

23) VAL. CHIMENTELLIVS l. c.

24) LVD. CRESOLLIVS l. c. L. IIII. c. 4. sub. init.

25) L. XV. tit. I. lege. 53. T. V. ed. Marvillianae p. 385.

Digitized by Google

dentali lateri copulantur, quas nulla a platea aditus adque egreſſus patamen, ipſisque humiliores aliquanto adque anguſtiores putantur, vicinarum ſpatia cellularum ex utriusque lateris portione oportet adiungi cet. Neque, tunc temporis, in re publica tantum literatorum; verum in ſacra etiam civitate, exedrarum fuit nomen celebratum. Cum enim Chriſtianorum doctrina imperium nanciſceretur, templaque, vero NVMINIS cultui dicata, magnificentius ſtruerentur; ad eiusmodi pariter loca titulus iſte tranſiit, ſquando quidem excelſior eorumdem pars, ſacerdotum in primis uſui deſtinata, hoc nomine dicebatur. Iſta enim, peculiaribus inclusa cancellis, non cathedrarum ſolum frequentiam habuit; ſed doctrinis etiam, colloquiis et diſceptationibus, antiſtitum atque ſeniorum, inſeruiuit, ſuggeſto ſigillatim, ad orationes ſacras inſtituendas, ornata. Huic adſerto, vel unus Hipponenſium praeſul, fidem conciliabit; qui non ſolum, cum Emerito diſputationem, ita auſpicatur: 26) *Glorioſiſſimis imperatoribus, Honorio duodecimum et Theodoſio octavum conſulibus, duodecimo Kal. Oct. Caeſareae in eccleſia maiori, cum Demetrius Epiſcopus metropolitanus Caeſareenſis una cum Alypio Thagaſtenſi, Auguſtino Hipponenſi, Poſſidio Calamenſi, Ruſtico Cartenitano, Palladio Tigabitano, et ceteris epiſcopis, in exedram proceſſiſſent, praeſentibus presbyteris, et diaconibus, et univerſo clero, ac frequen-*

26) AVGVSTINVS T. VIIII. Opp. p. 425, ed. Benedict. Antvverp.

Digitized by Google

frequentissima plebe, adesset etiam Emeritus partis Donati Episcopus, Augustinus Episcopus ecclesiae catholicae dixit etc. Sed alibi quoque 27) *in gradibus*, inquit, *exedrae, in qua de superiore loquebar loco, feci stare ambos fratres, cum eorum legeretur libellus.* Dum barbaries postea grassabatur, in varias abiit, idem illud nomen, significationes, quarum potior pars, ex acuta scilicet huius vocabuli derivatione, nascebatur. Putabant nimirum, dici exedram, quasi *extra haereat.* 28) Inde factum esse videtur, ut nomen illud, *genus fenestrae, quae exterius dilatabatur, et interius coartabatur, absidam quandam separatam modicum a templo, exteriorem papae populum concitantis sedem*, tunc temporis indicaret. 29) Sed verum redeamus ad usum, quid hodieque cum veterum illis exedris comparari queat, vel momento, contemplaturi. BVDAEVS, 30) PANVINIVS, 31) PHILANDER, 32) illas claustrorum partes adducunt, quae *capitula* vulgo nuncupantur: nos vero academiarum et gymnasiorum auditoria,

27) de C. D. L. XXII. c. 8. T. VII. p. 507.

28) Gloss. MS. eccles. Parisiens. ex VVALAFRIDO STRABONE L. de reb. eccles. c. 6.

29) CAR. du FRESNE in glossario ad scriptores mediae et infimae Latinitatis voc. exedra.

30) vid. GVIL. BVDEI annotat. ad XXIIII. pandectarum libros fol. 84. fac. 2. ed. Paris. 1508.

31) ONVPHR. PANVINIVS de ludis Circensibus L. II. p. 306. T. VIIII. thes. A. R. GRAEVIANI.

32) ad VITRVV. L. V. c. 9. conf. IO. ARGOLVS ad PANVINII. l. c.

Digitized by Google

non immerito, conferenda esse, arbitrabimur. Fulserunt hanc nostram sententiam GVIDO PANCIROLLVS atque IACOBVS GOTHOFREDVS, 33) qui exedrae vocabulum, iure quodam suo, per scholam interpretantur. Accedunt PHILOXENI glossae, ubi ita legitur: ἐξέδρα, εἴλημα, σχολή.

33) ll. cc.

V.

DE INFVLIS SACRAE DIGNITATIS INSIGNIBVS

ADRIANVS STEGER
PH. ET. I. V. D.
SVPR. CVR. REG. ELECTORALIS ET CONSIST.
ASSESSOR. CIVIT. LIPS. SENATOR.

LIPSIAE 1739.

§. I.

QVanquam eorum studium non admodum probandum censeo, qui, qua feruntur, diligentia in minimis nimia, aut copiosi nimis aut ingeniosi in originatione vocum nominumque investiganda sunt, tamen nec illos puto non reiiciendos, quibus ratio originem vocum ex suis elementis et fontibus repetendi ac derivandi prorsus repudiatur. Neque enim quenquam adeo delicatum dicam, an superbum fore existimo, quin mecum faciat, si discesseris ab iis, qui, criticis derivationibus, alto supercilio despectis

Digitized by Google

deſpectis, et ultra Sauromatas et glacialem Oceanum ablegandis, ſublimioribus, quas iactant, ſcientiis intenti, vocabulorum naturam, non ſuſtinent perſcrutari. Itaque non dubito, quin rerum intelligentes aequi boni ſint facturi, quod et mihi propoſuerim in Commentationis, *de Infulis, dignitatis ſacrae inſignibus*, limine paucis in originem vocis *Infula*, inquirere, atque id mihi hoc potiore iure videor facere, quod criticis hac in parte, non ſatis convenit, quemadmodum diverſae hac de re ſententiae, quas mihi obſervare licuit, ſatis manifeſto ſunt indicio. Namque alii a Graecis, alii ab Hetruſcis, alii a Latinis ortum trahere hoc nomen volunt.

§. II. Qui a Graecis natales vocis *Infula*, arceſſunt, ad verbum πιλόω ἢ πιλέω recurrunt, hac addita ratione, quia filum ſit contortum aut condenſatum. Fila vero ex ſententia ISIDORI *Lib. XIX. c. XVIII.* dicta, vel quia ex pilis animalium ſunt, vel quia lanificium filis tenuibus conſtat, in modum pilorum, id eſt, quaſi filorum. Quam ſententiam in primis tuetur MARTINIVS *in lexico.* DIONYSIVS VOSSIVS *ad Iul. Caeſ. de bello Civili Lib. II. c. XII.* ad Hetruſcis petendam iudicat vocabuli originem, quando, *Ego*, inquit, *ab Hetruſcis petendam vocabuli*, ſcilicet Infula, *originem arbitror, a quibus pleraque ſacra Romani accepere. Interea deducere non male poſſis a* Φαλὰ, *quomodo vocatur* κόσμος τῆς περικεφαλαίας, *aut a* Φαλιὸς, *quod album notat; nam Infula, inquit Iſidorus, eſt faſciola ſacerdotalis capitis alba in modum diadematis.* Haec VOSSIVS. Ab Infilando verbo

Digitized by Google

latino deducit ſummus SCALIGER *in Coniectan. ad. Varronem de L. L. Lib. VI. p.* 122. *Infularum*, inquit, *nomen latinum eſt, infilare veteres dicebant amicire et velare, ut puto, quum contra exuere dicerent exfilare.* Sed huic liceat opponere, quae doctiſſimus VOSSIVS dicto loco excipit: *Non Infulam inde*, ſcilicet ab infilando, *deduci patiar. Infula breuem mediam habet. Scio ſubinde compoſita primitivi naturam amittere. Sed huc non temere recurrendum.* Idem in hac derivatione praeter alios requirit CASP. BARTHIVS *ad Statii Thebaid. Lib. II. v.* 46. *Nec accedimus ſummo Scaligero, infulas a filis deducenti, cum maxime ſyllaba adverſetur, licet filamenta lanea etiam Feſtus interpretetur.* Quamobrem quum viris in arte critica maximis non conſtet, unde nomen *Infula* ſit deducendum, nobisque hac in parte idem ius, quod ſibi ſumſerunt, non abnuere videantur, eadem, qua illi, coniectura ductus, ſuſpicabar, *Infula* a nomine latinorum *folium* deſcendere; quia ſic et ſyllabarum quantitas ſibi conſtat, et gloſſae MSC. laudati antea VOSSII habent, *Infola vittae ſacerdotum*, et *infola adminiſtratio ſacerdotalis.* Infula vero a *folium* ideo dicta, quod inſtar foliorum ambierit caput ſacerdotum, vel quia antiquiſſimis temporibus ex foliis ſumta fuerit. VIRGILIVS *Aeneid. VIII. v.* 276. Sed paene praeteriiſſem, quod omnium hic minime praetereundum puto, VARRONEM ab *Infra* hanc vocem deduxiſſe ex ſententia Voſſii: verba VARRONIS *Lib. VI. de L. L. p.* 76. *edit. Stephan. Infulas dictas apparet in hoſteis, quod velamenta e lana*,

ra, quae adduntur, infulae, intra hoſtiarum cornua velamenta erant. De quo loco ita commentatur ſaepius adductus VOSSIVS: *Locus mire depravatus? quid illud velamenta prius ſibi vult! Deinde an vittae intra cornua hoſtiarum? ementitum locum, Infulas dictas apparet, quod lamenta e lana, quae adduntur Infulae, infra oſtiarum cornua velamenta erant, ut putave- Varro, Infulas quaſi inferulas dictas ab in- , quod credidit quoque Perottus, nimirum ae vittae infra cornua pendebant.* Sed ſatis origine vocis.

§. III. Quod ad rem ipſam attinet, Infulae fuerunt filamenta ex lana alba, quibus partim res, partim perſonas ſacras antiquis temporibus moris erat velare, ad res ſacras referebant hoſtias, aras, imagines deorum, ſacraria denique ipſa. Perſonarum nomine intelligo homines ſacros, ſupplices, puta, immolandos, ſacrificantes, ſacerdotes, magiſtratus ac principes. Quum igitur dicendorum ſeries requirat, ut omnium primum de materia, ex qua olim infulae confectae fuerunt, dicam, paucis rem peragam, adſtruamque, lanam ad eas fuiſſe adhibitam. Lanam generatim diis quaſi convenientem fuiſſe, exinde intelligere licet, quod proverbio dici quondam conſuevit: Deos laneos pedes habere, de quo videatur MACROBIVS *Saturn. L. I. c. VIII.* Infulas vero laneas clamant ſcriptores ex inſtituto materiam earum perſequentes. Sic VARRO *Lib. V. de L. L. p. 76. Infulas dictas apparet in hoſteis, quod velamenta e lana, quae adduntur Infulae intra*

Digitized by Google

hostiarum cornua velamenta erant. Sic FESTVS *p.* 300. *Infulae sunt filamenta lanea, quibus Sacerdotes et hostiae templaque velabantur.* VIRGILIVS *Georg. Lib. III. vers.* 487.

Lanea dum nivea circumdatur infula vitta.

Filamenta, quae infulae adscripsimus, aliis vocari solent *fascia.* SERVIVS *ad Virgilii Aeneid. Lib. X. vers.* 538. *Infula*, inquit, *fascia in modum diadematis, a qua vittae ex utraque parte dependebant, quae plerumque lata et plerumque tortilis de albo et cocco.* Eodem spectat ISIDORVS *Origin. L. XIX. c. XXX. Infula est fasciola sacerdotalis capitis alba in modum diadematis, a qua vittae ab utraque parte dependent, quae infulam vinciunt.*

§. IV. Quibus quum satis et materiam et formam infularum nobis probasse videamur, ad colorem earundem, locis maxime Grammaticorum modo adductorum admoniti, sine ulla mora pergimus. Atque hunc quidem album fuisse, nemo forsitan mirabitur, nisi qui solide ignorat, album colorem in sacris olim quam maxime receptum fuisse. Nolo hic longius euagari, et de diis colorem album quasi proprium demonstrare, quum vel unicus locus CICERONIS *de Legibus Lib. II. c. XIX.* ex Platone ad verbum expressus, huic negotio sufficere queat: *Color*, inquit, *albus praecipue decorus Deo est, tum in ceteris, tum maxime in textili.* Nec fusius commemorabo et disertius explicabo albas sacerdotum vestes, de quibus multa multi iam tradiderunt, et in primis IOH. SCHMIDIVS in diss. *de usu vestium albarum, Lipsi.* 1704. et IO. CASP. KRAVSE

Digitized by Google

KRAVSE in diss. *de Colore sacro, et speciatim vestitus sacerdotalis*, *Witteb.* 1707. omitto quoque sacrificantium amictum candidum, quem praeter alios evincit OVIDIVS *Metam. Lib. X. vers.* 431. Silentio denique victimas albas praetereo, de quibus ita STATIVS *Thebaid. Lib. VI. vers.* 330.

Ipse habitu niveus, nivei dant colla iugales.

Sed in praesenti habebo satis brevissimis indicasse, infulas ab auctoribus assiduis vocari albas. Instar omnium nunc erit nobis poeta gravissimus, qui ita *Thebaid. l. c. vers.* 331.

Concolor est albis et cassis et infula cristis.

Ibidem Lib. IV. vers. 418.

Albaque puniceas interplicat infula cristas.

§. V. Inter res sacras primo mihi nominandas censeo esse hostias, infulis coronatas albis, iisque laneis. Varronis verba, quoniam iam adfuerunt in antecedentibus, hic superfluum foret denuo repetere. Insignis est locus VIRGILII *Georg. Lib. III. v.* 486.

Saepe in honore Deum medio stans hostia ad aram,
Lanea dum nivea circumdatur infula vitta,
Inter cunctantes cecidit moribunda ministros.

Idem *Aeneid. Lib. II. v.* 132. *seq.*

Iamque dies nefanda aderat, mihi sacra parari
Et salsae fruges, et circum tempora vittae.

ubi vittae infulam in se complectuntur, id quod semel monuisse sufficiat. OVIDIVS eodem trahendus *Metamorph. Lib. VII. vers.* 428.

Feriuntque ſecures
Colla toroſa boum, vinctorum cornua vittis.

et *Metam. Lib. XV. v.* 130.

Victima labe carens et praeſtantiſſima forma,
Siſtitur ante aras vittis praefignis et auro.

Vnde eleganter FLORVS *Lib. IV. c. II. n.* 92. *p.* 788. *edit. Dukeri*, *Quae omnia, velut infulae, in deſtinatam morti victimam, congerebantur.* Peculiaris ANTON. AVGVSTINI ſententia hoc loco non omittenda, qui originem nimbi ſanctorum ab hoſtiarum infula deducit. verba ipſius in *Dialogo de Numiſmatibus Dial. VIII. p.* 122. haec ſunt: *Nimbus ſanctorum inde deduci poteſt, quod forte olim martyres infula hoſtiae ornati ad ſupplicium ducerentur.* conf. IOH. BEHM. diſſ. *de nimbo Sanctorum: Regiomont.* 1716. *§. XVII. p.* 34.

§. VI. Hoſtias ſuo iure excipiunt arae infulis veſtitae. Atque hic quidem provoco ad PROPERTIVM *Lib. IV. Eleg. IV. v.* 6.

Terque focum circa laneus orbis eat.

Scio equidem interpretibus hic aquam haeſiſſe, ex quibus unum audire iuuabit PROVKHVSIVM ita diſſerentem: *Paſſeratius vittam laneam in orbem circum actam exponit, qua ara fuerit circumcincta: Scaliger hunc ſibi ritum eſſe penitus incognitum ultro fatetur, habent itaque, in quo dilucidando ſeſe exerceant ingenia eruditorum, neque enim nihil refert inquirendum ac ſedulo excutiendum in noſtro poeta, ſaepe parum claro, ſive id legentium vitio accidit, ſive longa temporum iniuria. Ego ſane, ubicunque mihi aqua haeret, numquam erubeſcam fateri inopiam meam, meritas*

Digitized by Google

tas etiam gratias agere paratus, si quis comiter viam erranti monstrare dignatus fuerit. Licet autem Viro doctissimo hic omnino aqua haereat, nec Scaligero, at quanto Viro! notus fuerit locus, qui aras infulis vinctas doceret, tamen Passeratii sententiam atque interpretationem veram arguit VIRGILIVS, poetarum in Latio princeps *Eclog. VIII. vers.* 64.

Effer aquam, et molli cinge haec altaria vitta.

Nec abludit illud, quod memorat PAVSANIAS *Phoc. pag.* 341. *edit. Sylburg.* lapidem quendam in templo Delphico singulis diebus et festis oleo perfundi, et succida lana velari: vt nihil dicam de ἐκεσιώνη, seu ramo, vitta lanea comto, de quo praeter alios PASCHALIVS *de coronis Lib. V. c. XV. pag.* 332. *seqq.*

§. VII. Ad templa infulis conspicua dum pergo, occurrit locus FESTI *pag.* 300. *Infulae sunt filamenta lanea, quibus Sacerdotes, et hostiae templaque velabantur.* Quem locum, quod ad ultima verba attinet, quam maxime suspectum habet DIONYSIVS VOSSIVS *ad Caesarem Civil. Lib. II. c. XII.* quando scribit: *Verum ad Festum ut redeamus, de Sacerdotibus et hostiis notum, eos infulis velari solitos; at templa velari vittis quis prodidit; Profecto nihil unquam tale legi, et sanum locum esse, ne ipsa quidem ὑγεία mihi persuaserit. Emendo confidenter hoc modo: Infulae sunt filamenta lanea, quibus sacerdotes, et hostiae tempora velabantur.* Sed quid fiet de loco VIRGILII *Aeneid. Lib. IV. vers.* 457. *seqq.*

Prae-

Digitized by Google

Preterea fuit in tectis de marmore templum
Coniugis antiqui, miro quod honore colebat,
Velleribus niveis et festa fronde revinctum.

quod Maroni templum dicitur, OVIDIVS vocat aedem, de eadem re scribens *Heroid. Ep. VII. v.* 99.

Est mihi marmorea sacratus in aede Sichaeus,
Appositae frondes velleraque alba tegunt.

Quemadmodum igitur templum apud Virgilium notat sacrarium, id est, ut exprimit RVAEVS, locus in privata domo, sic non video, cur locus Festi non pariter accipiatur, non de templis publicis, sed privatis seu sacrariis. Ceterum vellera alba et nivea in utroque poeta satis luculenter demonstrant infulas huic sacrario ab Elisa datas.

§. VIII. Deorum imagines infulis redimitas videre licet ex illo VIRGILII loco *Aeneid. Lib. II. vers.* 166.

Palladium, caesis summae custodibus arcis
Corripuere sacram effigiem, manibusque cruentis
Virgineas ausi Divae contingere vittas:

conf. IOH. GE. ROESERI Diss. *de Palladio*, *Francof. ad Od.* 1688. Nec alienus plane locus MACROBII, *Saturnal. Lib. V. c. VIII.* *Saturnum*, inquit, *Apollodorus alligari ait per annum laneo vinculo, et solvi ad diem sibi festum, id est, mense hoc Decembri. Atque inde proverbium, Deos laneos pedes habere, Significari vero, decimo mense semen in utero animatum in vitam grandescere, quod, donec erumpat in lucem, mollibus naturae vinculis detinetur.* Nam licet hic locus infulas aperte non prodat, vinculum tamen laneum, quo

quo Saturni imago dicitur affigari, non usque adeo discedit ab infula, ut pro ea accipi nequeat. Interim infulas expresse tribuit Apollini MARTIANVS CAPELLA, *Lib. I. p. 8. Subdenda tamen Clario fidibus personati, atque inter serta laurigera infularum labrico implexoque crine redimito.*

§. IX. Sed relictis rebus, quas infulae consecrabant, ad personas infulis sacras transimus. Atque hic in antecessum monemus, personas sacras nobis esse duplicis generis, quorum unum constituunt supplices, immolandi, sacrificantes, sacerdotes: alterum vero complectitur magistratus ac summos rerum principes: Ex quibus simul unicuique patebit, quo sensu inscriptionem, *Infulae dignitatis sacrae insignia*, intellectam velim. Scilicet eo redit sententia nostra, infulas vel proprie vel improprie omnibus illis tributas esse olim, qui venerandi quacunque ratione et inviolabiles esse debebant populis. Propria huius vocis notio locum habet in primo personarum sacrarum genere, quod paullo ante definivimus, impropria contra in altero; quibus, ne, dum brevis esse volo, obscurus fiam, de industria praemissis, ac fundamenti quasi loco positis, facilis nunc per reliqua momenta erit veluti decursus.

§. X. Supplicibus primum locum in primo genere sacrarum personarum assignavimus; a supplicibus itaque ordiendum: qua quidem in re tot tamque copiosa exsant scriptorum testimonia, ut non tam de inopia, quam de copia conquerendum, et modus magis, quam seges,

in

in dicendo quaerendus sit. Itaque ex multis pauca delibare quasi nobis licebit. Prodeat ergo CAESAR *de bello Civili Lib. II. c. XII.* de Massilienſibus deditionem ſimulantibus: *Tum hoſtes, turris repentina ruina commoti, inopinato malo turbati, Deorum ira perculſi, urbis direptione perterriti, inermes cum infulis ſeſe porta foras univerſi proripiunt.* Ipſe Aeneas, apud VIRGILIVM *Lib. VIII. v. 127. ſeq.*

Optime Graiugenum, cui me fortuna precari,
Et vitta comtos voluit praetendere ramos.

LIVIVS *Lib. XXX. c. XXXVI. Haud procul aberat, quum velata infulis ramisque oleae Carthaginienſium occurrit navis. Decem legati erant, principes civitatis, auctore Annibale miſſi ad petendam pacem, qui quum puppim praetoriae navis acceſſiſſent, velamenta ſupplicum porrigentes, orantes, implorantesque fidem et miſericordiam Scipionis.* IVSTINVS *Lib. XI. Cap. X. n. 6.* de Alexandro Magno: *Tunc in Syriam proficiſcitur, vbi obvios cum infulis multos Orientis reges habuit, ex his pro meritis ſingulorum, alios in ſocietatem recepit, aliis regnum ademit, ſuffectis in loca eorum novis regibus.*

§. XI. Homines diis immolandi, cum eiusdem, cuius victimae, eſſent conditionis, mirum videri debet nemini, eos quoque infulis coronatos ad aras more victimarum adductos fuiſſe. Iphigenia, Agamemnonis filia, res ex tragicis poetis eſt notiſſima. Tangit eandem LVCRETIVS *Lib. I. verſ. 81. ſeqq.*

Illud

Digitized by Google

Illud in rebus vereor, ne forte rearis
Impia te rationis inire elementa viamque
Endagredi sceleris. Quod contra saepius olim
Religio peperit scelerosa atque impia facta,
Aulide quo pacto Triviai virginis aram
Iphianassai turparunt sanguine foede
Ductores Danaum, delecti, prima virorum.
Cui simul infula virgineos circumdata comtus
Ex utraque pari malarum parte profusa est,
Et moestum simul ante aras adstare parentem
Sensit, et hunc propter ferrum celare ministros.

Fratri Iphigeniae Oresti idem imminuisse fatum praeter ceteros testatur OVIDIVS *trist. Lib. IV. Epist. IV. vers.* 69. *seqq.*

Quo postquam, dubium pius an sceleratus Orestes
Exactus furiis venerat ipse suis,
Et comes exemplum veri Phocaeus amoris
Qui duo corporibus, mentibus unus erant,
Protinus evincti Triviae ducuntur ad aram
Quae stabat geminas ante cruenta fores.

Huc pertinet Massilienſium Gallorum mos, quem his verbis memorat SERVIVS *ad Virgilii Aeneid. Lib. III. vers.* 57. *Massilienses quoties pestilentia laborabant, unus se ex pauperibus offerebat, alendus anno integro publicis ac purioribus cibis; hic postea ornatus verbenis et vestibus sacris circum ducebatur per totam civitatem cum execrationibus, ut in ipsum reciderent mala totius civitatis, et sic proiiciebatur.* De Caligula SVETONIVS *in eius vita cap. VI.* narrat: *Caligula aliquem, qui se pro salute ipsius devoverat, cunctantem pueris tradidit verbenatum infulatumque,*

Digitized by Google

que, qui votum reposcentes per vicum agerent, quoad praecipitaretur ex aggere. Conf. CHRIST. SCHOETTGEN V. C. diss. *de devotionibus veterum Romanorum*, *Starg.* 1720. et IOH. PETR. MILLER. diss. *de devotionibus veterum in bellis*, *Lipsi.* 1730.

§. XII. Sacrificantes omnes velato capite adeoque infulatos sacris interfuisse, nos dubitare non sinunt, quae habemus, testimonia auctorum clarissima. IVVENALIS *Satyr. VI. vers.* 388. *seqq.*

Medicis quid tristibus erga
Filiolum? stetit ante aram, nec turpe putavit
Pro cithara velare Caput.

VIRGILIVS *Aeneid. Lib. III. vers.* 403. *seqq.*

Quin, ubi transmissae steterint trans aequora classes
Et ppsitis aris, iam vota in littore solves,
Purpureo velare caput adopertus amictu
Ne qua inter sanctos ignes in honore Deorum
Hostilis facies occurrat, et omnia turbet.

ubi Commentarius SERVII haec refert: *Sane sciendum, sacrificantes diis omnibus caput velare, consuetos ob hoc, ne se inter religionem vagis aliquid offerret obtutibus, excepto tantum Saturno, ne numinis imitatio esse videretur, quia Saturno velato capite incenditur.* Inde nata est quaestio PLVTARCHO *in Quaestion. Roman. Tom. II. p.* 266. *Cur Deos velato capite adorant, quum alioquin obviam factis venerandis, caput, si forte eo tecto incedunt, detegant?* cui ita respondet auctor: *Narrant Aeneam, cum*

tum rem ſacram faceret Diomede praetereunte caput velaſſe, itaque ſacrificium abſoluiſſe, hoc ſi verum ſit, non eſt alienum a ratione, ſed conſentaneum, ut quemadmodum adverſus hoſtem caput tegimus, ita amicis et praeſtantibus hominibus obviam dati, idem nudemus, et quod Deos nudato capite venerantur; non proprium id eſt, ſed fit per accidens, facto iſto Aeneae in conſuetudinem tracto. Quamvis PLVTARCHVS ipſe in ſequentibus hanc quoque rationem reddat, vel quod ea re, animi demiſſionem confiteantur, vel potius, quod verentes, ne qua vox mali ominis foris accideret, usque ad aures veſtem ſurſum attrahant. Sed ſatis multa de velato capite ſacrificantium, quae ſilentio praeteriiſſem penitus, niſi lucem inde nonnullam accendi poſſe credidiſſem, quae dicenda erant de infulis dignitatis ſacrae inſignibus; plura hac de re qui evolvere deſiderat, legat IO. WILH. BERGERI diſſ. *de Capitis in Sacris operiendi ritu*, *Witteb.* 1703. it. V. C. SAM. FRID. BVCHERI diſſ. *de ritu antiquo caput retegendi.* GODOFR. BVCHNERI diſſ. *de ritu caput retegendi antiquis receptiſſimo*, *Witteb.* 1688. EBERHARD. RVDOLPH. ROTH. diſſ. *de velamine capitis virili*, *Ien.* 1673. HENR. RVDG. MALINKROTII epiſt. *Expoſitio ritus capitis velandi apud veteres*, *Lipſ.* 1735. GE. WOLFFG. WEDELII progr. *de nummis capite velato*, *Ien.* 1692.

§. XIII. Potiore, quin maximo iure huc pertinent ſacerdotes, quibus infulae ita propriae fuerunt, ut non ultimam veſtitus Sacerdotalis partem confecerint. Nolo autem hic ad Pan-

dictas sacras confugere, ex iisque infulas Pontificis Summi, aliorumque Sacerdotum repetere; Huius potius rei studiosos delego ad IO. BRAVNII Librum *de Vestitu Sacerdotum Ebraeorum.* IO. FRISCHMVTHI diss. *de Pontificum Ebraeorum vestitu sacro.* ERN. CHR. BOLDECH diss. *de pontifice maximo Ebraeorum*; ut alios ne attingam. Circa alias, quae olim floruere, gentes tantummodo morabor. Atque hic iterum ingens se locorum in Scriptoribus antiquis offert cumulus, qui Sacerdotibus infulas adscribunt. Ac primo quidem generatim *Infula* dicitur *Sacerdotii insigne.* Sic glossae *MSC.* DIONYSII VOSSII: *Infola vittae Sacerdotum*, et *Infola administratio Sacerdotalis.* SPARTIANVS *in Iuliano c. VI. Haec quum Iulianus videret, Senatum rogavit, vt Virgines Vestales et ceteri sacerdotes cum senatu obviam exercitui Severi prodirent, et praetentis infulis rogarent.* Vnde infula pro Sacerdotio, quin ipsis Sacerdotibus apud PRVDENTIVM ponitur *Apotheos. vers.* 486.

Genus hoc hominum tremit infula et omne
Pulvinar Divum. totus procul absit et unctus.

Inde apud eundem Poetam reperitur *sacerdotum domus infulata Peristephan. IV. vers.* 79. et *infulatus sacerdos, Cathemer. IX. vers.* 4. *seq.* nec non *summus sacerdos mitra infulatus, Peristephan. X. vers.* 1013. Deinde speciatim etiam de Cereris, Apollinis, Dianae, reliquorumque deorum sacerdotibus, infulas annotare, cuilibet erit facile. Sacerdotes Cereris infulis sibi obvios narrat CICERO *in Verrem Lib. IV. c.* 50. *Dies ille, quo ego Ennam quum venissem, praesto mihi sacerdotes Cereris cum infulis ac verbenis fuerunt.*

Digitized by Google

runt. De Veſtalibus idem videre eſt ex PRVDENTIO *in Symmachum Lib. II. verſ.* 1035. *ſeqq.*

Interea dum torta vagos ligat infula crines,
Fatalesque adolet prunas innupta ſacerdos,
Fertur per medias, ut publica pompa, plateas.

et OVIDIO *Faſtor. Lib. III. verſ.* 29.

Ignibus iliacis aderam: cum lapſa capillis
Decidit ante ſacros lanea vitta focos.

MAIOLVS *Dierum Canicul. Tom. II. Colloqu. I. p.* 334. *Veſtales diis ſacra libantes, vittis incedunt redimitae albis.* conf. HENR. HASSEL: *Diſſ. de Veſtalibus Romanorum: Stockholm.* 1732. Frequentiſſime Apollinis ſacerdotes infulis venerabiles leguntur: VIRGILIVS *Aeneid. Lib. II. verſ.* 429. *ſeq.*

Nec te tua plurima, Pantheu,
Labentem pietas, nec Apollinis infula texit:

STATIVS *Thebaid. Lib. VII. verſ.* 717.

Et excuſſis apparuit infula criſtis.

Vel vetus Scholiaſtes, *infulae ſacerdotem Apollinis indicantes.* IVSTINVS *de templi Delphici antiſtibus Lib. XXIII. c. VIII. Repente univerſorum templorum antiſtites, ſimul et ipſi vates, ſparſis crinibus, cum inſignibus atque infulis, pavidi vecordesque in primam aciem pugnantium proruunt.* Ex quo factum eſt, ut poetis pariter ac vatibus, Apollinis miniſtris, hae ipſae infulae deferrentur. STATIVS *Silvar. Lib. IV. verſ.* 90. *ſeqq.*

Parnaſſique iugis, ſilvaque Heleconide feſtis
Thura dedit flammis, et virginis exta iuvencae.
Votiferaque meas ſuſpendit ab arbore vittas.
Nunc vacuos crines alio ſubit Infula nexu.

Digitized by Google

Hinc Tireſias vates infulam, ſed falſam ſumit, apud eundem STATIVM *Thebaid. Lib. II. v.* 98. *ſeq.*

Sed falſa cucurrit
Infula per crines, glaucaeque innexus oliuae
Vittarum provenit honos.

Eodem fine Phemonoe infulam candidam habet apud LVCANVM *Lib. V. verſ.* 144. *ſeqq.*

Virginei patuere doli, fecitque negatis
Numinibus metus ipſe fidem. tum torta prioris
Stringit vitta comas, crinesque in terga ſolutos
Candida Phocaica complectitur infula lauro.

ISIDORVS *in Origin. Lib. XIX. c. XXX. Gentilium vates infula et faſciola ſacerdotali alba in modum diadematis paſſim utuntur.* De Fratribus arvalibus GELLIVS *Lib. VI. c. VII. huius ſacerdotii inſigne erat ſpicea Corona et albae infulae* vid. IOH. HERMANSON. diſſ. *de ambarualibus ſacris, Vpſ.* 1727. *§. V. p.* 9. add. ROSINVM *in antiqu. Rom. Lib. III. cap. VI. p. m.* 194. et *Nieport Rit. Rom. Sect. IV. Cap. II. §. VI.* Fecialibus infulas fuiſſe ſolennes, easque laneas erudite probat V. C. FRANC. CAROL. CONRADI in diſſ. *de Fecialibus et iure feciali populi Romani, Helmſt.* 1734. *Cap. II. §. XI. p.* 22. *ſeq.* it. LAVR. ARHENIVS *in diſſ. de Fecialibus Romanis, Vpſal.* 1728. *Cap. II. §.* 11. *pag.* 28. it. PETR. LAGERLOEFF *in diſſ. de Fecialibus Romanis, Vpſal.* 1698. *pag.* 25. it. V. C. IO. DAN. RITTER in diſſ. *de fecialibus Populi Romani, Lipſ.* 1732. *§. XII. not. dd. pag.* 21. aliique quam plurimi Scriptores.

§. XIV. Nec inter Chriſtianos inauditae plane atque inuſitatae ſunt Infulae Sacerdotum. Sic *Auctor vitae Ludovici Pii; Cui etiam obviam Hildebal-*

Digitized by Google

Hildebaldum, Archicapellanum Sacri palatii, Theodulphum, Episcopum Aurelianensem, Ioannem Arelatensem, aliorumque ministrorum Ecclesiae copiam procedere iussit, infulis indutos Sacerdotalibus. Sic apud CAROL. DV FRESNE *in Gloss. med. et infim. latinitatis Tom. II. pag.* 64. *Charta an.* 1247. *in Hist. S. Mariae Suess. p.* 456. *et Presbyter Canonicus, indutus infula ad preces Thesaurariae Scrinium reliquiarum portabit.* apud quem plura huius generis legere possumus: quid? quod huc ex Pontificiis referri meretur: quum universus ordo Clericorum, Episcoporum puta et monachorum, tum etiam ipse Pontifex Romanae Ecclesiae maximus. Nam quoties in his *Mitra* occurrit, toties *infulae* nomen, quod apud scriptores hoc in genere paria facit, cum voce *mitra*, in mentem revocatur. De Praeside Romano ita disserit CASPAR CALVOER. *Ritual. Ecclesiast. Part. II. Sect. III. Cap. XXX. §. IV. pag.* 526. *apud Christianos, et quidem in Rom. commun. eminet Pontificis triregnum aut Camaurum h. e. Thiara, Cidaris,* Infula *ac Mitra, vario enim nomine venit, triplici corona splendens, a Bonifacio VIII. inventa, qui tamen, cum effigies in Lateranensi unam tantum coronam in camero habeat, secundam, tertiam Vrbanus V. addidisse, Paulus II. tandem tres pretiosissimas coronas, ab antecessoribus praetermissas in camauro renouasse, ab eruditioribus creditur: quin aliis Athanasii I. Imper. Infulam hanc donum faciunt, missam Clodovaeo I. Francorum regi, Alarici et Alemannorum victori, quam hic postea Symmacho Papae transmiserit in Basilica Petri reponendam.*

Digitized by Google

conf. IO. HERMANSON. diſſ. *de Triplici Corona Pontificis Romani: Vpſal.* 1736. *§.* 5. *p.* 15. HENR. PIPPINGII diſſ. *de Triplici Corona Pontif. Roman. in Syntagmate diſſert. academ. Lipſ.* 1723. IOACH. FELLERI diſſ. duae *de Tribus Coronis Imperatoris Germanica, Lombardica atque Romana, I. Lipſ.* 1662. *II.* 1665. Sic infulas Sacerdotales utrinque dependere e Corona Pontificis Romani perhibet modo allegatus HERMANSON. *§. VI. p.* 18. De Cardinalibus, Archiepiſcopis et Epiſcopis MART. SCHMEITZEL *de Coronis tam antiqu. quam modern. Ien.* 1712. *Sect. IV. cap. IV. p.* 202. et CALVOER *d. l. §. VI. p.* 527. idem confirmat, item *§. VIII. p.* 528. hunc in modum verba facit: *Ceterum* Infulae *aut mitrae, ſive Pontificalis, ſive Epiſcopalis uſum ante annum Chriſti milleſimum haud fuiſſe; probant ex tabulis et aliis veterum monumentis.* CAPZOV. *de Lege Regia Germanorum Cap. XI. Sect. XI. n.* 21. actum Coronationis Mariae Hiſp. Romanorum Reginae an. 1636. peractae, ita deſcribit: Gleich bey der Hof-Thür, dadurch man nach dem Kayſerl. Hof geht, haben beyde Churfürſten Maynz und Cöln, und zwar Maynz als Conſecrator in Pontificalibus, Chur-Cöln aber mit einer Chur-Kappen auch Infel und Stab, beneben denen Herren Biſchöffen, Aſſiſtenten und Prälaten, ſo alle infulirt geweſen, aufgewartet. GÜNTHERVS *in Ligurino Lib. I.* de Electoribus Eccleſiaſticis et Secularibus in electione Friderici I. praeſentibus agens, ita ſcribit:

Hinc ſacri, celebresque viri, quos laude ſerena
Infula *et gladius mundo facit eſſe verendos,*

Ex

Digitized by Google

Ex omni ditione fluunt ad publica regni Commoda:

Conf. IO. HENR. FELTZ diſſ. *de Electoribus Eccleſiaſticis*, *Argent.* 1710. *p.* 19. et EIVSD. diſſ. *de Electore Colonienſi*, *Argent.* 1716. De Epiſcopis Herbipolenſibus ſtantibus ad aram ſub *infula* et aliis pontificalibus agit MAGNVS CRVSIVS *Annal. Suevic. Part. I. Lib. II. cap. V. pag.* 301. Sic Innocentius Papa Abbatibus Fuldenſibus poteſtatem dedit, ut mitrati annulatique rem divinam procurarent. Diploma de anno 1133. legitur in IO. FRID. SCHANNAT. *Dioec. et Hierarch. Fuldenſis Codice probat. n.* 27. *p.* 255. vid. plura in IO. WILH. VVALDTSCHMIDII diſſ. *de Auguſtae Imperatricis Archicancellario*, *Marb.* 1715. et PHIL. AD. VLRICI diſſ. *de Archicancellariatu et Primatu S. R. I. Principis Abbatis Fuldenſis*, *Herbipol.* 1724. Abbatem Murbacenſem ſiſtit nobis PFEFFINGERVS *ad Vitriarium Lib. I. Tit. XV. §. XVI.* cum enim tempore inaugurationis Mariae coniugis Ferdinandi III. anno 1636. $\frac{11}{15}$. Dec. Ratisbonae celebratae, Archicancellarius Abbas Fuldenſis abſens eſſet, eius partes Abbas Murbacenſis quidem obivit, verum datis reverſalibus cautum fuit, ne ullum inde praeiudicium naſceretur: verba ad inſtitutum noſtrum pertinentia *ex Protocollo Moguntino an.* 1639. *in Coronatione Reginae* haec ſunt: An ſtatt des Abten zu Fulda, als der Röm. Kayſerin Ertz-Cantzlers, hat hinter Chur-Cöln, der Königin zur linken Hand ſtehend in ſeinem geiſtlichen Habit infuliret, der Abt von Murbach aufgewartet. De privilegio abbatibus Praemonſtra-

Digitized by Google

tenſibus conceſſo, agit IO. ANDR. SCHMIDIVS in Diſſ. *de annulo paſtorali Helmſt.* 1705. *§. VIII. p.* 10. ubi ipſa privilegii verba hunc in modum recenſet: *Volentes ex hoc, monaſterium ipſum ſpiritualibus condecorare inſigniis, ac praevenire honoribus ac favoribus gratioſis, tibi et ſucceſſoribus tuis in perpetuum utendi annulo continue, et ubique in divinis officiis et competentibus locis* mitra, *ſandaliis aliisque pontificalibus inſigniis concedimus autoritate praeſentium facultatem.* De Infula in inſignibus abbatis Campidonenſis perhibet Illuſtriſſ. *Auctor* des Europäiſchen Heroldś *pag.* 348. *b.* Auf dem Schilde ruhet die Abt Inful, nebſt denen gewöhnlichen Regalien: Abbati Averſani Monaſterii Guarino uſum mitrae conceſſit Vrbanus II. Pont. Rom. an. 1092. vid. MABILLONII *Annal. Benedict. p.* 292. qui quoque *pag.* 415. teſtatur, de Alexandro III. anno 1174. Alferio Abbati S. Michaelis in monte Caveoſo uſum mitrae et annulum fuiſſe indultum. Pari ratione abbas Reinhardsbornenſis uſum mitrae ſingulari bulla a Gregorio IX. obtinuit, vid. TENTZEL *Supplem. II. Goth. Hiſt. p.* 577. Abbas Walckenredenſis uſum mitrae a Pontifice Leone an. 1516. per ſpeciale privilegium obtinuit, quod exhibet IO. GE. LEVCKFELD. *in antiqu. Walckenredenſibus pag.* 60. Numum abbatis Hersfeldenſis Hermanni cum mitra exhibet CHR. SCHLEGELIVS: *de nummis Abbatum Hersfeldenſium Goth.* 1724. *f. XI. pag.* 12. Hinc abbates mitrati dicuntur illi, quibus Epiſcopalia ornamenta, id eſt mitram, Sandalia, Chirothecas ac annulum deferendi a Pontif. Rom.

Rom. iura indulta sunt, vid. CALVOER. *l. c. Cap. III. §. VII. p.* 397. et inprimis P. FILIP. BONANI *Gerarchia Ecclesiastica, considerata nelle vesti sagre et civili Rom.* 1720. *p.* 238. *seq.* Mitrae abbatum quoque mentionem facit BERNARDVS CLAREVALLENSIS *in Epist.* 42. *ad Henricum, Senonensem archiepiscopum pag.* 1435. cui iungendus PETRVS BLESSENSIS *in Epist.* 90. *ad Guilielmum abbatem:* Nec ius Canonicum tacet mitras abbatum, ceu apparet in *cap. ut Apostolicae, de Privilegiis in* 6. Finem huic §pho imponat insignis locus ex IAC. ANDR. CRVSII tract. *De Praeminentia, sessione, praecedentia et universo iure πρωτοκαθεδρίας magnatum in Europa, Brem.* 1665. *Cap. XVI. §.* 17. *pag.* 268. Sic autem ille: *abbates ut plurimum ex privilegio aut consuetudine utuntur insignibus Pontificalibus, baculo puta, annulo, sandalibus* et Infula, *quae in his abbatibus, qui episcopalem iurisdictionem habent, i. e. qui exemti sunt ab Episcopis* mitrae *nomen obtinuit, cap. ut Apostolicae de privil. in* 6. *Nec enim existimandum est, omnes abbates, una eadem uti Infula, nam sicut hi sunt in multiplici differentia, ita etiam diversa obtinuerunt signa. Hodie enim abbates maiores, siue qui exemti sunt, Infula seu mitra aurifrisata, minores vero, seu non exemti simplici sive alba utuntur, quae olim erat omnibus Episcopis communis.*

§. XV. Quum igitur ea persecutus mihi videar, quibus Infulae proprie tributae fuerunt, et quibus primum genus personarum sacrarum designavimus, restat, ut alterum genus, ubi

Digitized by Google

Infulas improprie dictas reperire licet, pereurramus. Quo in genere quoniam magiſtratus et principes collocavimus, ab initio id teneri velim, Infulas hac in parte non tam ornatum quendam, quam inſigne dignitatis ſacrae ac venerandae haberi. Nam quamvis facile largiar, diadema regum atque imperatorum nonnunquam nomine infularum indicari, tamen quando de reliquis ſub Imperatore magiſtratibus adhibentur, et praedicantur, pro tegumento proprio accipi non poſſunt, ſed quoties factum legimus, nulla alia de cauſa exiſtimandum uſu veniſſe, niſi, ut et imperantibus hoc nomine ſacroſanctam dignitatem aſſignarent, et ſubiectis religionem quandam ingenerarent. Hanc enim vim nomini *infula* nonnunquam a ſcriptoribus ſubiici, inſignis ille locus evincit SENECAE *Conſolat. ad Helviam cap. XIII. Humilis ac proiectus animus ſit iſti contumeliae opportunus, qui vero adverſus ſaeviſſimos caſus ſe extollit, et ea mala, quibus alii opprimuntur, evertit, ipſas miſerias* infularum *loco habet.* ad quem locum LIPSIVS perquam accommodate diſſertationi meae ita inquit: *Infulae proprie Sacerdotibus, victimis et rebus ſacris, hi tales, et haec talia, ſacroſancta cenſentur, et venerationem habent. Pro ipſa etiam dignitate quavis medii aeui ſcriptores dicunt*, ut praefecturae infulis ornari; tantae maieſtatis, imperii, infulis dignum, *Spartianus Pollio atque alii.* alter locus in SENECA, antea allegato, geminus omnino eſt, ubi *Epiſt. XIV. Hae litterae*, inquit, *non dico apud bonos, ſed apud mediocriter malos* infularum *loco ſunt.* atque haec

haec causa fuisse videtur, cur Pamphilus iste, in infulis docere, affectaverit, teste CICERONE *de Oratore Lib. III. cap. XXI. Pamphilumque nescio quem sinamus in* infulis *tantam rem, tanquam pueriles delicias aliquas depingere.* Quae qui recte secum reputaverit, non difficilis erit in approbanda sententia nostra, qua *infulas sacrae dignitatis seu venerandae insignia*, appellamus.

§. XVI. Neque vero desunt loci clarissimi, ex quibus perspicimus, infulas, iam ab antiquis dignitatis insignia venditatas fuisse, ac nuncupatas. In glossis, quae ISIDORO vulgo tribuuntur, legitur, *Infula sacerdotalis vitta, et administratio iudicialis.* Sic Imperator CONSTANTINVS *l. 1. C. de temp. et repar. appell. si quis per absentiam nominatus, vel ad diumuiratus aliorumque honorum* infulas, *vel munus aliquod evocatus, vel provocationis auxilium cucurrerit, ex eo die interponendae appellationis, duorum mensium spatia ei computanda sunt:* PAPIAS, glossographorum constipator, *Infulas ornamenta honorum et omnium rerum:* quo pacto paria facere videtur cum nomine *taenias.* De quo FESTVS *p.* 234. *Taenias graecam vocem, sic interpretatur Verrius, ut dicat ornamentum esse laneum capitis honorati.* Sic *Infulae administrationis* apud AMBROSIVM *Lib. I. Cap. 1.* et apud CASSIODORVM *variarum Lib. IV. Epist. XII.* Infulae *magisteria dignitatis*, animadvertimus. PETRVS CHRYSOLOGVS *Sermone CXLIV. Fratres hic parant officia, hic decernuntur loca, hic*

honores

Digitized by Google

honores designantur, hic, qui non de Evangelii fide acceperit Codicillos, ibi aeternarum Infulas *non habebit dignitatum.* Quid, quaeso *Infulae Imperii* CICERONI *Orat. I. de Lege Agraria c. II.* sunt aliud, nisi sacrosancta imperii maiestas ac dignitas. *His*, inquit, *insignibus atque* Infulis Imperii *venditis, quibus ornatam vobis maiores vestri rempublicam tradiderunt*, quae prout omnia satis asserunt, infulas dignitatis Sacrae et magistratus insignia, sic et sigillatim de Consulibus, praefectis, quin ipsis Imperatoribus easdem usurpavit antiquitas.

§. XVII. Consulum infulas nobis memorat IORNANDES *de regnorum successione c. XV. sic enim effectum est, ut agitatus iniuriis populus cupidine libertatis incenderetur, mutataque regali dominatione ad Consulum* Infulas *se conferret.* Auctor incertus ad Praesidium de Cereo Paschali, qui scripsit uno anno, post caedem Gratiani Imperatoris, *quanti in mediis opibus, et inter* Infulas *consulatus repentina morte subfracti sunt?* Conf. IO. HENR. VAN DER DOES Diss. *De Consulari potestate. Lugd. Bat.* 1695. IO. EISENHARD. Diss. *De Consulibus Helmst.* 1699. GE. ENGELBRECHT. Diss. *De Consulibus Helmst.* 1699. CHRIST. KLENGEL. Diss. *De Consulibus Romanorum Witt.* 1663. CHR. FRID. FRANCKENSTEIN. Diss. *De Consule Romano Lipsi.* 1660. aliique; Praefectis prouinciarum et administratoribus sub imperatoribus Romanis, communiter quoque tribuuntur Infulae. Imperator ZENO *L. I. pr. C. ut omnes iudices, Nemo ex viris clarissimis,*

Digitized by Google

rissimis, praesidibus provinciarum, vel Consularibus, aut Correctoribus, vel qui administrationis maioris Infulas *meruerunt, id est, viri spectabiles, Proconsules, aut Praefectus Augustalis, aut comes Orientis, aut cuiuslibet tractus vicarius, aut quicunque Dux, aut comes cuiuslibet militis, vel divinarum comes domorum.* SPARTIANVS *in vita Adriani c. VI. Martium Tuberonem post Mauritanae praefecturam,* infulis *ornatum, Pannoniae Daciaeque ad tempus praefecit.* Quae ita illustrat CLAVDIVS SALMASIVS *pag. 55. quum dicit,* Infulis *ornatum Pannoniae, non Pannoniae praefectum intelligit, sed Titulo duntaxat Pannonicae Praefecturae ornatum, quo plus haberet auctoritatis.* Nec incommode hunc locum ita exponit CASPAR BARTHIVS *ad Statii Thebaid. Lib. II. p. 321. hoc est, sanctiorem et pleniorem ipsi potestatem assignauit, talem enim significabant Infulae.* Duumviratus Infulas paulo supra habuimus ex Constitutione Constantini Imperatoris *L. I. C. de temp. et repar. appell.* Infulae Consulatus honorarii aut ordinarii itemque praefectorum praetorio leguntur in *L. 66. C. d. decur. Si quis igitur, vel summum patriciatus honorem fuerit consecutus, sive* Infulis *Consulatus honorarii aut ordinarii fuerit ampliatus, ut vel Consul vel Consularis efficiatur, seu praefectorum praetorio* Infulas *susceperit gubernandas.*

§. XVIII. Augustissimum tandem fastigium scriptioni nostrae imponimus, ipsorum Imperatorum ac Regum Infulis Sacrosanctae maiestatis insignibus: POLLIO *in Gallienis c. X. Gallieno et Saturnino*

Digitized by Google

Saturnino Consulibus, Odenatus Rex Palmirenorum obtinuit totius orientis imperium: idcirco praecipue, quod se fortibus factis dignum tantae maiestatis infulis *declaravit.* Hic iterum audire iuvabit summum SALMASIVM hunc in modum differentem *p.* 228. *Infulas maiestatis dignitatem imperatoriam*, rectius regiam, *appellavit, ut praefecturae infulas, et Consulatus et praefecturae et aliarum dignitatum honorumque ac praepositurarum dicebant.* Huc etiam pertinet, quod Alexander II. Pontifex Romanus, Vratislao Duci Boemorum concessit potestatem, capiti imponendi *Infulam* seu Mitram Episcopalem: vid. FRID. LVDOV. DEBERGER Comment. *de iure Consecrandi atque Coronandi Regem et Reginam Boemiae, ad Archiepiscopum Pragensem spectante, Lipſ.* 1723. *§. X. p.* 20. Infula pariter commemoratur in insignibus et cultu ducis Venetorum: Sic enim scribit BECKMANNVS *in notit. dign. Illustr. Diss. VII. cap. III. §. VI. pag.* 218. *Venerabilis in eo*, sc. duce Venetorum, *est cultus, purpura siquidem et holoserico omni tempore dux vestitur, aureoque interdum pallio, ac stola candida usus, in publicum prodit, Caput tenui* vitta *obtectum habet, et coccinea* Infula, *quam limbus aureus praecingit, decore aptatur.* Sic ipse Imperator IVSTINIANVS dignitatem suam vocat *imperiales infulas*, *L.* 3. *C. de quando praescr. Ex eo tempore valitura, quo nutu divino*, Imperiales *suscepimus* infulas; EVSTATHIVS *Lib. VIII. Hexaemer. ex Basilio Magno: Sed naturae iudicio, qui dignus fuerit*, infulas *accipit principatus, non minus proceritati membrorum*

Digitized by Google

membrorum, quam lenitate morum. Pari ratione *Auctor vitae Ludovici Pii, Rege autem Romam pergente, ibidemque* infulas imperatorias *ſuſcipiente, Rex Ludovicus Tholoſam abiit.* De Friderici III. Imp. coronatione AENEAS SYLVIVS *in hiſt. Frid. III. p. m.* 152. *Poſtremo Corona aurea* infulata *gemmisque cooperta Caeſareo capiti impoſita.* Sic *Infulas imperiales*, coronam deſignantes, legimus apud LVDOLDVM DE BABENBERG. *de iure regni et Imp. p.* 43. HIER. BALBVM *de Coronatione p.* 8 et RVD. A BÜNAV *de ornam. et honoribus Auguſtarum Lipſ.* 1733. *Diſqu. III. §. XXVIII. pag.* 66. Ioviani diadema *Imperialem infulam* nominat BECKMANNVS *loc. cit. Diſſ. IV. Cap. III. §. III. pag.* 100. Coronam *diadematis infulam* appellitat FERRETVS *ap. Felic. Oſium in not. ad Muſſat. hiſtor. Aug. L. I. rubr.* 12. vid IOACH. FELLERI *ſupr. alleg. Diſputt.* et ERN. CREGELII Diſſ. *de infulis et Lipſanis Imperii Altd.* 1659. Coronationem Imperatoris, *ſolenne Infularum* nuncupat HIERON. BALBVS *Lib. Sing. de Coronatione, Heidelb.* 1664. *cap. XX.*

DE

VI.

DE LVDIS SAECVLARIBVS VETERVM ROMANORVM IN GEMARA BABYLONICA COMMEMORATIS

IOH. ANDR. MICH. NAGEL
T. T. LING. OR. AC. METAPH. P. P. O.
ALTORFII. 1743.

PROOEMIVM.

Facile fieri solet, ut ii scriptores in errores rapiantur, et falsis se admisceant sententiis, qui aliorum populorum res gestas, ritus, et instituta, literis mandant, eorumque memoriam posteris tradunt. Ita PLVTARCHVS, TACITVS, MARTIALIS, IVVENALIS, IVSTINVS, aliique, qui rerum Iudaicarum mentionem in libris suis iniecerunt, haud raro in inscitiae tenebris versati sunt; ut a SPENCERO, SCHVDTIO, MAIO, et aliis, ostensum est. Quemadmodum vero Graeci et Latini de Iudaeis passim res falsas narrarunt: sic quoque Hebraei in scriptis suis saepe falsa affinxerunt Graecis et Romanis, et loco veritatis turbulentissimos errores, ac opiniones fabulasque pene aniles exposuerunt. Pertinet huc illa narratio, quae in *Gemara Babylonica de Ludis saecularibus veterum Romanorum*, non sine multis falsitatibus, et rebus mentitis, ac errorum plenis, explicita est.

§. I. Lo-

§. I. Locus Gemaricus, quem nobis hac disputatione illustrandum sumsimus, et quem WAGENSEILIVS in *Sota*, *pag.* 304. *perobscurum* dicit, in מסכת עו״ג, *fol.* XI, *col.* 2, in *editione Talmudis Babylonici* apud EMANVELEM BENBENISTEN *Amstelodami* edita, hoc modo legitur:

אמר רב יהודה אמר שמואל עו״ג
אחרת יש ברומי אחת לשבעים שנה
מביאין ארם שלם ומרכיבין אותו על
אר חיגר ומלבישין אותו בגדי אדם
הראשון ומניחין לו בראשו קרקיפלו
של רבי ישמעאל ותלו לו מתקל זוא
דפיוא ומחפין את השווקים באינך
ומכריזין לפניו סך קירי פלסתר אחוה
דמרנא זייפנא דחמי חמי ודלא חמי
לא חמי מאי אהני לרמאה ברמאותיה
דלזייפנה בזייפנותיה ומסיימין בה הכי
זוי לדין כד יקום דין אר״ אשי הכשילן
פיהם לרשע אי אמרי זייפנא אחוה
דמרנא כדקאמרי דשת דאמרי
דמרנא זייפנא מרנא גופיה זייפנא הוא
ותנא דידן מ״ט לא קחשיב לה להאי
דאיתא בכל שת ושתא קחשיב
דליתא בכל שתא ושתא לא קחשיב

Quum vero hic locus varia contineat, quae explica-

plicatione et illustratione egere videntur, ad eam iam aggrediemur.

§. II. Statim in principio huius orationis formula aliqua occurrit, quae non sine explicatione dimittenda est, et his verbis constat: אמר רב יהודה אמר שמואל Id est: *Dixit* R. IVDAS, *dixisse* SAMVELEM. Quo loquendi genere, secundum Rabbinos, indicatur, ea, quae id in sermone Gemarico, de quo differimus, sequuntur, R. IVDAM A SAMVELE, tamquam praeceptore suo, accepisse; id quod ex libro הליכות עולם, *porta secunda*, *cap.* 1., *n.* 83. discitur, ubi haec legimus: כל היכא דאיכא אמר רבי פלוני כגון אמר רב יהודה אמר שמואל רבו הוה ושמעה ממנו Id est: *Vbicumque exstat, dixisse doctorem quemdam, uti est in illa formula: dixit Iudas, dixisse Samuelem, notat id, posteriorem prioris fuisse praeceptorem, et ab ipso ea, quae hanc formulam sequuntur, audivisse et didicisse.* Allegat quoque IOSVA LEVITA *l. c.* ad testimonium RASCHII, quod is in explicatione מסכת חולין de hac re perhibuit.

§. III. R. IVDAS, cuius hic mentio fit, est is, qui alias IVDAS ELAIDES vocitatur. Docet id nos liber הליכות עולם, *porta* 1, *cap.* 3, *n.* 55 ita: ריבי יהודה סתם הוא רבי יהודה בן אלעאי Id est: *ubicumque R. Iudas simpliciter nominatur, intelligendus est Rabbi*

Rabbi Iudas Elaii filius. Idem teſtantur R. SACVTHVS in *libro* יוחסין *fol.* 60, *col.* 1, et R. DAVIDES GANSIVS in צמח דוד, *parte priori*, *fol.* 29, *col.* 2. Floruit tempore ADRIANI Imperatoris, et praeceptores habuit teſte SACVTHO *l. c. pag.* 41, *col.* 2, ELEASAREM, ACIBAM, et IOSEN GALILAEVM. Laudatur a probitate et eloquentia, ac ADRIANI orator in gente Iudaica fuiſſe dicitur a SACVTHO *pag.* 60. et GANSIO, *l. c.* A nonnullis auctor eſſe perhibetur libri ספרא, ſive תורת כהנים. Vid. GANSIVM *l. c.* et WOLFIVM in *bibl. Hebr. tom. II*, *pag.* 1387, *ſeq.* De SAMVELE vero, qui in loco noſtro Gemarico commemoratur, in praeſenti nihil habemus, quod dicamus, niſi quod ſecundum illam Rabbinorum regulam, quam §. 2. citavimus, IVDAE ELAIDAE praeceptor fuit.

§. IV. אדם שלם ſignificat hominem ſanum et incolumis ſalvique corporis; אדם חיגר vero hominem claudicantem. Illo in oratione noſtra Gemarica ESAVVS innuitur, tamquam vir integri et valentis corporis, hoc autem IACOBVS, qui poſt beatum illud divinumque certamen *Geneſ. XXXII*, 25. *ſeqq.* expoſitum, claudicare coepit. Hinc RASCHIVS ſuper hunc locum Talmudicum ait: אדם שלם כנגד עשו אדם חיגר כנגד יעקב צולע על ירכו Id eſt: *homo bene conſtituti et validi corporis ſignificat Eſauum, claudicans vero Iacobum, qui Iacobus altero latere claudi-*

Digitized by Google

cabat. Quae in עין יעקב *part. II, edit. Berolinensis ord. 8vi, fol. 132, col. 2; Pragensis in folio, col. 4, fol. 151;* et *Prostitiensis in folio, col. 4, fol. 153,* repetita leguntur.

§. V. בגדי אדם הראשון. De vestibus Adami Iudaeorum doctores tradunt, eas die Veneris circa crepusculum a Deo confectas esse, atque ex eo fuisse, quod de pellibus fit, sive ex lana, aut ex re, quae cuti hominum tegendae in primis congruit, id est, ex lino. Conf. עין יעקב *part. II, fol. 40, col. 2,* et notas in hunc locum. Neque desunt, qui dicant, eas ex vellere leporis, aut cervi, paratas fuisse. Vid. RASCHIVS ad *Genes. III, 21;* et *liber Zenna Renna* ad *Genes. XXVII.* In *capitulis* R. ELIESERIS *cap. XX.* legimus, haec vestimenta ex pelle serpentis fuisse, qui EVAM in errorem induxit. Verba loci citati haec sunt: רבי אליעזר אומ׳ מן העור שהפשיט הנחש עשה הקב״ה כתונת כבוד לאדם ולעזרו שנאמר ויעש יי אלהים לאדם ולאשתו כתנות עור וילבישם׳ Id est, interprete GVILIELMO HENRICO VORSTIO: *R. Eliezar inquit: ex pelle, quam exuerat serpens, confecit sanctus Ben. Adamo et adiutorio eius tunicam gloriae; sic dicitur: et paravit Dominus Deus Adamo atque uxori eius tunicas pelliceas; et vestivit illos.* De forma autem, ornatu, vi ac ratione, harum vestium in libro צרור המור

fol.

fol. 28, *col.* 3, in *paraſcha toledhod* ſequentia narrantur: כבר אמרו חכמים ז"ל שהיו אלה הבגדים של אדם הראשון ובם היו מצויירים כל החיות והעופות כאלו היו חיים ובאו לידי נמרוד ולכן נקרא נמרוד גבור ציד לפי שצד החיות והעופות היו באים מעצמם אצל הבגדים וצד אותם נמרוד וחמדם עשו הרשע והרג לנמרוד וגזלם ממנו ולכן נקרא איש יודע ציד גם כן ואותו היום סבב השם שלא לבשם ונתאחר בצידה כענין שקבל יעקב חברכות Id eſt: *Iam ſapientes noſiri, quorum memoriam inviolate pieque ſervamus, dixerunt, has veſtes Adami fuiſſe, et expreſſas figuras atque imagines uiuentium beſtiarum et avium habuiſſe, et a Nimrodo poſſeſſas eſſe, qui inde (Geneſ. X, 9.) valens venator appellatus ſit; cuius omnes beſtiae et aves ad illas ueſtes ſponte ſua acceſſerint, et ſic in Nimrodi poteſtatem venerint et arbitrium. Poſtea uero Eſauum improbum, qui earum obtinendarum deſiderio incenſus erat, eas rapuiſſe, ubi Nimrodum trucidaverit, indeque Eſauum, peritum venatorem Geneſ. XXV, 27 vocatum eſſe. Deum vero effeciſſe, ut Eſauus eo die (quo Iacobus has veſtes induebat) iis ſe non ueſtiuiſſet, et diutius indulgeret venationi, ut Iacobus interea felicitatis ſuae vota et beneficia acciperet.* His ſimilia leguntur in *cabit.* R.

Digitized by Google

ELIESERIS *cap. XXIIII*, ita: רבי יהודה אומר הכתונת שעשׂ הקבה לאד ולאשתו היתה עמם בתיבה ובשיצאו מן התיבה לקחה חם בן נוח והוציאה עמו והנחילה לנמרוד ובשעה שהיה לובש אותה היו כל בהמה חיה ועוף באין ונפלי לפניו כסבורין שהוא מפחד גבורתו לפיכך המליכוהו עליהם מלך שנא על כן יאמר כנמרוד גבור ציד לפני יי Id est: *R. Iehuda ait: Tunica, quam confecerat Deus Adamo et Evae, fuit cum illis in arca; accepit eam (tunicam) Cham, filius Noachi, et secum extulit, atque in hereditatem reliquit Nimrodo. Eo autem tempore quo illa indutus erat (Nimrod) uenerunt omnia iumenta, beſtiae, atque aves. Tum conciderunt coram ipſo, quaſi cogitantes ipſum hoc efficere robore et vi ſua, atque conſtituerunt eum ſuper ſe regem, iuxta illud (Geneſ. X, 9.) Idcirco dicitur, quaſi Nimrod robuſtus uenator coram Domino.* Quibus in eodem *capit.* ſub finem haec adduntur: רבי אומר עשו אחין של יעקב ראה את הכתנת שעשה הקדוש ברוך הוא לאדם ולחוה על נמרוד וחמד אותה בלבו והדגו ולקח אותה ממנו ומיד שהיו חמורו בעיניו שנאמר ותקח רבקה את בגדי עשו בנה

בנה הגדול החמודות וכשלבש אותם
מעשה בם גם הוא גבור שנאמר ויהי
עשו איש יודע ציד וכשבא יעקב
מאת פני יצחק אביו אמ אין עשו
ראוי ללבוש את הכתנת הללו וחפר
וטמן שם שנאמר טמון בארץ חבלו:

Id eſt: *Rabbi inquit: Eſau, frater Iacobi videns tunicam, quam confecerat ſanctus Benedictus Adamo et Evae ſuper Nimrodum, expetiit illam animo ſuo, atque interfecit eum, abſtulitque ab illo. Vnde autem (probas) quod fuerit deſideratiſſima in oculis eius? quia dicitur: accepit Rebecca veſtes Eſaui, filii ſui maioris deſideratiſſimas. Poſtquam autem illis veſtitus erat, factus fuit per illas robuſtus; iuxta illud (Geneſ. XXV, 27) erat Eſau vir peritus venationis. Vbi autem diſceſſit Iacob a conſpectu Patris ſui, dixit; Eſau non dignus eſt, qui induat tunicam illam. Abdidit itaque eam atque abſcondit ſub terra, prout (Iobi XXIII, 10) dicitur: eius funis in terra eſt abſconſus.* Hae itaque ſunt veſtes illae, de quibus locus noſter Gemaricus agit, et quas Iudaei Romam perveniſſe fingunt. Confer porro de his ADAMI veſtimentis VORSTIVM in *animadv.* ſuper *capitula* R. ELIESERIS *pag.* 188; WAGENSEILIVM in *Sota pag.* 339. *ſeq.* EISENMENGERVM in *Iudaiſmo detecto part. I, pag.* 652, *ſeq.* et GEORGIVM ELIEZEREM EDZARDVM in *annot.* ſuper *cap. I. Avoda Sara pag.* 262.

§ VI. Nomen קרקיפל eſſe vocem Graecam facile credimus NATHANI in

ערוך, hac voce, dicenti: פירוש עורות שחפשיטו מן חראש של בני אדם נקראין קרקיפלין בלשון יון Id est: *denotat (dicta vox) cutem de capite humano detractam, quam Graece ita appellant.* Posterior huius verbi pars satis clare testatur, id vocem Graecam κεφαλὴ in se complecti; at prior eius pars קר paullo obscurior est. Nos tamen nulli dubitamus, eam esse Graecorum vocabulum χρὼς, vel χρὼς, quod cutem sonat; unde permutata litera χ cum elemento κ, et omisso ς, κρωκεφαλὴ, ist est, id est, *cutis capitis*, prodit. CASTELLVS in *lexico polyglotto*, *pag.* 3465, censet קרקיפל esse nihil aliud quam καρακεφαλὴν, cui vero ideo non assentimur, quia καρακεφαλὴ aut *caput caput*, aut *caput capitis*, significaret; quod orationi nostrae Gemaricae haud convenit, et ferme omni idea vacuum esse videtur.

§. VII. Historia huius R. ISMAELIS non nihil perturbata est et incerta. Copiose eam tractavit SACVTHVS in libro יוחסין, ubi diligenter ea collecta sunt, quae in utroque Talmude, et aliis libris, de hoc ISMAELE reperiuntur. Nos itaque hic SACVTHVM fere sequemur, et, omissis rebus dubiis, ea duntaxat huc transferemus, quae Iudaei pro certioribus habent. Fuit hic R. ISMAEL filius ELISAE cuiusdam, et iis temporibus vixit, quibus templum Ierusalemitanum a Romanis eversum est. Traditiones eum accepisse dicunt a R. NECHONIA HAÇÇANAE

HACCANAE filio, et pontificem fuisse maximum; eique aliquando tus atque odores incendenti maiestatem divinam apparuisse. Tanta vero excelluisse pulchritudine fertur, ut ea IOSEPHI, qui patre IACOBO, Patriarcha, usus est, formam adaequaverit. Vnde factum est, ut Imperatoris Romani filia eius amore mirum quantum accenderetur. Quum autem, patre Imperatore vetante, deliciis suis potiri et frui non posset, et is carnificina tamquam medicina filiae suae desiderium levare decrevisset, misero ISMAELI vita erepta est, eique adhuc vivo cutis de capite detracta, quam filia Imperatoris odoribus et aromatis condiri iussit, et inter thesauros reponi, ut vel levi cuticula amori suo parentaret. Alii dicunt, cutem hanc usui magico destinatam fuisse, et veneficiis exercendis in bellis. Quid in Gemara, de qua disputamus, de ea tradatur, ex versione ipsius apparet. RASCHIVS asseverare non dubitat, hanc cutem adhuc sua aetate Romae superfuisse. Accidit haec caedes secundum alios ea tempestate, qua templum periit, secundum alios autem, posthac. Vtcumque hoc est, certo constat, Iudaeos ISMAELEM ELISIADEN martyribus suis celebrioribus accensere, qui הרוגי מלכות vocantur, et decem sunt. Vide SACVTHVM *l. c. fol.* 25, *col.* 2; et RASCHIVM ad locum nostrum.

§. VIII. Vox זוז notat nummum argenteum, qui quarta pars sicli est, eiusque pondus. Idem vero quod זוז pretio valet, valet quoque certum quoddam genus denariorum

דינר ; דינר tamen latius patet sua significatione, quam זוז. NATHAN, in libro ערוך, voce זוז, de hoc genere ita dicit: זוז בשבת בסוף גמרא דפרק במה לאשתא בת יומא לישקול זוא חיורא פירוש זוז של כסף צרוף רבע שקל תרגו זוא חד בכספא פי שקל של תורה הוא סלע וכן תרגום שקל סילעא דיש בו ארבעה דינרין ודינר וזוז אחד הן. Hoc est: *Sefa, in loco Talmudico de sabbatho sub finem Gemarae capitis* במה *commemoratur; ubi legimus, eum, qui febri quotidiana urgetur, debere sibi alligare fusam albam, id est, fusam argenti puri;* (vel potius, fusam recens percussam.) *Dicitur vero quarta pars sicli argentei Aramice una fusa argentea. Siclus autem legalis est Aramice sela.; hinc in versionibus sacri codicis Aramaeis pro siclo, sela occurrit. Continet siclus, sive sela, quatuor denarios; denarius autem et fusa unum idemque sunt.* Huic accedit ELIAS LEVITA in תשבי suo, ubi ait: זוז רבע שקל כסף תרגום זוא חד בכספא וכבר כתבתי כי דינר וזוז אחד הוא אלא שזוז הוא של כסף ודינר של זהב ואיבע וזוים הם סלע עיין בישרשו. Id est: ex versione PAVLLI FAGII: *Zuz) Quarta pars sicli argenti. Tha.* זוא חד דכספא. *Et antea scripsi quod* דינר *et* זוז *unum sint, nisi quod* זוז *de argento,*

Digitized by Google

argento, דינר *vero de auro dicitur. Quatuor autem Zuzim valent* סלע; *de quo vide in radice sua.* Quemadmodum vero hic susa, sive quarta pars sicli, non pro moneta, sed pro pondere accipitur: ita quoque siclus pro pondere usurpatus legitur *Exod. XXX, 24; I Sam. XVII, 5 et 7.* Ceterum quia totus siclus vulgo dimidii nummi imperialis pretium habuisse creditur, et susa pars quarta est sicli: facile liquet, susam exiguum pretium et pondus fuisse. Vnde nobis non videtur veri simile, eos denarios, qui susis se aequant, fuisse nummos aureos, uti vult ELIAS LEVITA *loco modo citato.*

§. VIII. Verbum פיזא est idem quod פז, et significat aurum purissimum; de quo KIMCHIVS in libro שרשים, voce פז, sic loquitur: הוא חוהב הטוב המזוקק כי יותר חזק המזוקק. Hoc est; פז *est aurum bonum purumve, et sic dicitur, quia aurum purgatum solidius est, quam aliud.* RASCHIVS in locum nostrum dicit פיזא, esse אבן יקרה id est, lapidem pretiosum. In *loco Talmudico gittin, fol.* 58, *col.* 1 legimus, duo stateres pissae in mundum venisse; quorum alter vbi Romae contigerit, alter autem per totum terrarum orbem sit dispersus. Vnde RASCHIVS super locum, de quo agimus, ait, hunc lapidem pretiosum alibi praeter Romam non reperiri. Quam parum vero Talmudici sibi constent, vel exinde liquet, quod auctor עין יעקב *l. c.* tradit, quatuor susas pissae dictum homi-

nem

nem illum firmi et salui corporis gessisse; quod cum loco citato Talmudico *gittin*, et glossa Raschiana, nullo modo in concordiam redigi potest. Immo etiam locus relatus *gittin* cum nostro loco Talmudico pugnat; quum secundum locum *gittin*, unus stater *pissae* duntaxat Romae fuerit, non autem tota susa, quam duo stateres complecti volunt. GEORGIVS ELIEZER EDZARDVS *l. c. pag.* 262. de hac re ita disserit: *Qua auctoritate fretus autor En Iacob legat* מתקלי ארבעה זוזי פיזא *pondera quatuor susarum auri purgatissimi, non perspicio. Non tantum enim codex Amstelaedamensis, sed et Cracoviensis, Lublinensis, atque Thessalonicensis, constanter legunt* מתקל וחא רפיזא *pondus unius susae auri purgatissimi: Quin imo additimes marginales in h. l. annotant e Cod. Gittin fol.* 58, *col.* 1, *in universum duos tantum stateres auri purgatissimi descendisse in mundum, quorum unus asservetur Romae, alter sit divisus in toto orbe; staterem autem continere pondus dimidiae susae; uti habetur Cod. Kidduschin fol. II, col.* 1; *atque adeo duos stateres unam tantum sussam absolvere. Vnde dubitin movent; quomodo fieri potuerit ut personato Esauo appenderetur Romae pondus integrae susae, cum una sola susa auri purgatissimi in toto orbe detur, eiusque dimidia tantum pars Romae asservetur. Licet vero difficultatem ita solvant, ut statuant,* תרין איסתרי *gittin l. c. non praecise notare duos stateres, sed sensu paullo latiori pauciſſimos; vix tamen*

men conceſſerint, in ſola Roma pondus quatuor ſiſarum reperiri.

§. X. Vox שוקים in *Talmude* cum geminо vau exaratur, in *En Iacob* autem unum tantummodo habet. Vnde factum eſt, ut WAGENSEILIVS, qui in interpretando loco noſtro librum *En Iacob* ſequutus eſt, in *ſota pag.* 340. vocabulum שוקים voce *crura* verteret, id-que ad perſonatum ESAVVM ſpectare cenſeret; quem vero EDZARDVS *l. c. pag.* 263 ita corrigit: *Vir quidam* πολυμαθέστατος *verba haec ex En Iſrael repetens, ubi* שוקים *legitur per ſimplex vau, fabulam hanc in eum ſenſum accipit, quod crura perſonati Eſavi fuerint obtecta gemmis. Verum quod pace celeberrimi Viri dictum ſit, non crura, ſed plateae, dicuntur obtectae, nec gemmis, ſed carbunculo. Vtut enim uox* שוקים, *prout in En Iſrael ſcribitur, ad utrumque ſenſum ſit indifferens, tamen non ſchokaim, ſed ſchevakim, eſſe legendum, vel inde eſt manifeſtum, quod in codice Amſtelaed. Cracou. Lublinenſi, et Theſſalonicenſi, ſcribatur per duplex vau* שווקים, *ubi omnis aequivocatio eſt ſublata. Sed et, ſi de cruribus perſonati Eſaui ſermo eſſet, non diceretur in forma abſoluta* השוקים, *ſed cum ſuffixo potius* שוקיו, *crura eius, quandoquidem etiam in antecedentibus cum ſuffixo tertiae perſonae legitur* בראשו, *caeteraque, quae ad illum reſpiciunt, eodem modo reſtringuntur. Nec dabitur facile ratio, quare crura potius eius quam*

quam pectus, aut brachia, carbunculo dicantur obtegi, cum his potius quam illis ornatus iste congruat. etc. Licet vero tota haec res, de ficto hoc ESAVO, eiusque, et platearum, ornatu, fabula sit: nos tamen non possumus non EDZARDO accedere, eiusque rationes approbare, et asseverare, eum Gemarae sensum in hoc loco melius perspexisse, quam WAGENSEILIVM.

§. XI. אינך carbunculum significare tradit RASCHIVS ad *fol. VIII. Avod. Sar. col.* 2: אינך, inquit, הוא נופך קרבונקלא H. e. *vox* אינך *designat idem quod* נופך, *id est, carbunculum.* Quam explicationem EDZARDVS l. modò citato approbat. WAGENSEILIVS in *Sota* l. c. hoc verbum generalius voce *gemma* interpretatur. BVXTORFIVS in *lexico Talmudico* vocem אינך onychem denotare ait, et in *Versione Aramaea*, quae IONATHANI a Iudaeis adscribitur, אונכא dicl. Vid. *Ionath. vers. Aram. Num. XXXIII*, 8. A BVXTORFIO non discedit CASTELLVS in *lexico polyglotto.* His etiam accedit COHEN de LARA in *libello* suo עיר דוד *pag.* 10. ubi dicit: אונך (*Ion. Num. XXXIII*, 8. *et Aboda Sara f.* 8.) פי אבן טובה מברקת כצפורן g. ὄνυξ, *gemmae nomen, sic appellatae, quod in ea candor conspiciatur unguis humani similitudine. h. Cornerina, piedra preciosa.* Si ex sono huius vocis de eius significatione iudicare liceat, haud difficiliter discitur, eam sonare onycha.

§. XII. סך

§. XII. סך proprie summam rei, et numerum denotat; improprie autem, uti hic, et quasi Germanismo aliquo, spem et opinionem. Notum enim est Germanis verbum *Rechnung* saepe idem esse atque spem et sententiam. קירי est Graecorum κύριος, quod etiam observavit WAGENSEILIVS *l. c.* Alias, verbi caussa in *versione Aramaea Bibliorum Psal. LIII*, pro קירי occurrit קירים. Quod tandem ad vocabulum פלסתר attinet, id ex Graeco πλαστὸς, id est, *falsus*, sive, *fictus*, confectum et ortum est. Legitur id etiam in *loco Tal. Succa fol.* 29, 1. In *vaiikra rab. sect.* 19 haec vox non litera ת sed elemento ט, id est פלסטר scribitur. Conf. BVXTORFIVM in *lex. Talm. fol.* 1749. *seq.* In *midb. rab. p.* 8. loco פלסתר reperitur פלסטון. Vid. COHEN de LARA in עיר דוד *pag.* 67.

§. XIII. ווי לדין כד יקום דין hoc est: *vae huic, quando ille a morte surget. Quae a* RASCHIO ita exponuntur: *uae Esauo, quando* IACOBVS *ad vitam redibit.* RASCHIVM sequuntur WAGENSEILIVS et EDZARDVS locis citatis; sed, ut verum fateamur, videntur nobis hi duumviri a RASCHIO decepti, et una cum duce, qui interpretationem suam ex odio erga Romanos ita constituisse videtur, minus sincerum interpretationem huius loci exhibuisse. Quisquis enim totam orationem loci nostri Gemarici considerat, sine multa opera cognoscet,

cet, haec verba in Gemara referri, tamquam a Romanis elata. Quum autem Romani in toto hoc loco usque ad verba R. ASCHE gloriantes inducantur, et exsultantes, ac verbis, de quibus hic disserimus, dies suos festos finientes: certissimum esse videtur, ea ita potius esse vertenda, ut Romanis, sive, (ex mente Rabbinorum) ESAVI posteris, fausta, ac Iudaeis mala, ominentur. Nos itaque ea sic vertimus et intelligimus: *vae Iacobo, quando reviviscet* ESAVVS.

§. XIV. R. ASCHE fuit rector Academiae Soranae in Babylonia, temporibus IVLIANI Apostatae, et successorum suorum. Functus est munere rectoris sexaginta annos; ad quod quatuordecim annos natus evectus esse dicitur. Laudibus effertur divitiarum, doctrinae, pietatis, modestiae, et magnanimitatis. Constipasse dicitur Gemaram Babylonicam, eamque post aliquod tempus recognovisse et auxisse. Cui studio sexaginta annos impendisse fertur; triginta collectioni, at totidem retractationi et amplificationi. Vixit annos septuaginta quinque, et triginta dies ante obitum suum mortis angelum uidisse traditur. In Gemara saepe ex errore cum R. ASE, אסי, confunditur. Vid. SACVTHVM *fol.* 83, *col.* 2, et *fol. seq.* ac GANSIVM *part.* I, *fol.* 33, *col.* 1 *et* 2: atque IOSVAM LEVITAM *in libro* הליכות עולם *part.* I, *cap.* 2, §. 13.

§. XV. Nullo negotio ex oratione nostra Gemarica comprehenditur, Gemarae auctores statue-

Digitized by Google

ſtatuere, Romanos ESAVI patronos eſſe et cultores, et contra ea IACOBVM odiſſe, et ludibrio habere. Id vero ideo Romanis a Iudaeis adſcribitur, quod credunt, Romanos ESAVI poſteros eſſe. Hinc ABARBANEL in OBADIAM *fol.* 255, *col.* 1, ait: כבר הורעתי פעמים שארום הסמוכה לארץ ישראל משם יצאו המלכים אשר מלכו באיטליא ואשר בנו רומי רבתי בגוים שרתי במדינות ונתמלאה איטליא וכל ארץ יון מבני ארום וגם כל ארצות המערב ומפני זה כנו הנביאים האומה כולה בשם ארום ועשו לפי שהוא היה תחלתן היתם וקראו בשם ארום אם אותם שהיה ארצם סמוכה לירושלם ואם הרומיים אשר נסתעפו ונמשכו מהם כי כולם וכל אחר מהם כנה הכתוב בשם ארום. H. eſt: *iam aliquoties annotavi, Idumaeam terris Iſraeliticis propinquam fuiſſe, in qua orti ſunt reges illi, qui Italiae imperitaverunt, et condiderunt Romam, caput illud populorum, et principem regnorum. Tota vera Italia et Graecia cum omnibus occidentis tractibus tandem Idumaeis repleta eſt. Vnde Prophetae totum hunc populum de Edomi, ſive, Eſaui nomine vocant, quia Eſauus ipſis originem dedit. Appellant itaque diuini vates cum illos, qui terras Iſraelitis finitimas incoluerunt, tum Romanos, quod ab his orti et profecti ſunt, Idumaeos.* Igitur Romani a Iudaeis IACOBI hoſtes

esse dicuntur; quia ab ESAVO primae nativitatis ius ad IACOBVM pervenit, et IACOBVS ESAVVM in obtinendis felicitatis votis apud patrem suum praevenit.

§. XVI. Iam orationem Gemaricam, de qua disputamus, interpretari possumus, ac volumus. Nostrae tamen versioni, ut lectoribus optio iudicii de duabus versionibus fiat, interpretationem EDZARDI praemittemus, quam ex *capit.* I. *tract. Talm. Auod. Sar.* ab eo edito desumimus. Extat ea *l. c. pag.* 83. *seq.* ita: *Raf Iehuda ex ore Samuelis refert, esse adhuc aliud* (festum) *in urbe Roma usitatum*, (cuius h. l. in Mischna non fit mentio.) *Singulis enim septuaginta annis Romanos in scenam producere hominem integro corpore praeditum*, (Esaum repraesentantem,) *eumque imponere homini claudo*, (qui personam Iacobi sustinet, ad intimandum, quod adhuc Esauitae dominentur Iudaeis, licet Iacobus primam benedictionem fratri suo Esauo debitam astu in se derivaverit, dominiumque in fratrem ipsi ab Isaaco fuerit adiudicatum,) *induere etiam isti vestes Adami*, (quibus in deliciis usus olim fuerit Esauus,) *capiti autem illius aptare exuvias faciei R. Ismaelis*, (filii Elisae, pontificis quondam maximi et martyris, cui filia Caesaris ob formae pulchritudinem curavit cutem de facie detrahi, balsamoque condiri, ne corrumperetur, et in gazophylacium Romanum inferri,) *atque appendere illi pondus susae auri purgatissimi, obtegereque plateas* (per quas personatus iste Esauus

Esauus circumducitur) *carbunculo, et proclamare ante istum, computus Domini* (i. e. Iacobi, qui paullo ante mortem praedixit filiis suis, esse ipsos tandem a iugo gentilium liberandos) *est falsus, frater domini nostri* (Esaui) *est mendax; qui videt* (hanc festiuitatem nunc,) *is videt eam; qui autem* (illam) *nunc non videt, is nec videbit illam* (deinceps, quia intra 70 annos non repetetur;) *quid prodest nunc deceptori* (Iacobo) *sua deceptio, et impostori, sua impostura? tandem vero actum hunc theatricum his verbis claudere: vae huic* (Esauo) *quando ille* (Iacobus) *resurget*, (i. e. numquam, quia scil. Iacobus numquam resurget.) *R. Ase dicit, illm proprium os* (i. e. propria confessio) *condemnavit impios hos* (Romanos, Iacobo et posteris ipsius insultantes). *Non enim dixerunt tum, mendax est frater Domini nostri* (Esaui), *quemadmodum dicunt nunc; sed dixerunt, Dominus noster est mendax, id est, Dominus noster* (Esauus) *ipse mendax est.* (Quamvis enim his verbis illi Iacobum ironice designaverint, ut supra ironice itidem dixerunt, computum Domini Iacobi esse falsum, reuera tamen dixerunt, ipsum Dominum suum Esauum mendacem esse). *Sed quare Doctor noster Mischnicus hoc festum non commemorat* (una cum caeteris in Mischna nominatis)? *Resp. Commemorat illa sola, quae anniversaria sunt, quae autem singulis annis non celebrantur, ea non recenset.*

§. XVII. Nostra interpretatio orationis huius Gemaricae haec est: Refert R. IVDAS, se

ex SAMVELE, praeceptore suo, accepisse, esse praeterea Romae septuagesimo quoque anno aliud festum, quo (Romani) producant hominem integri salvique corporis, eumque alius claudicantis humeris superimponant, et vestibus ornent eiusque caput cute capitis R. ISMAELIS obducant ac ei susam impendant auri purissimi. Quo facto, eos plateas (urbis) onyche contegere, et per eas mittere praecones, qui ante illum ita clament: Spes dominum (IACOBVM) fefellit; frater domini nostri (ESAVI) mendax est. Qui (hos ludos) iam videt, vidit; qui vero eos iam non videt, nunquam ipsos videbit. Quid vero utilitatis impostor ille (IACOBVS) ex fraude sua habet, et mendax iste, ex mendacio suo? Tandem vero (id festum) hac formula absolvere: Vae illi (IACOBO) quando hic (ESAVVS) a morte surget! R. ASCHE: hi impii, inquit, suis verbis argui et confundi possunt. Olim enim non dixerunt, mendax est frater domini nostri, quemadmodum iam dicunt; sed dixerunt, dominus noster falax est, dominus noster ipsemet est vanus. Quare autem doctor noster Mischnicus huius festi (in Mischna) non meminit? quia illorum dumtaxat mentionem facit, quae quotannis celebrantur. Nam quae non singulis annis redeunt, ea non commemorat.

§. XVIII. Addemus interpretationi [illegible] monis nostri Gemarici eam orationem, quae compendio Talmudico *En Iacob*, vel *En Israel* dicto, locus noster Gemaricus repetitur. Mos enim est conditori libri *En Iacob*, R. IACOB CHABI

CHABIBI filio, ut orationem Talmudis, additis, omissis, vel permutatis quibusdam verbis clariorem reddere studeat; unde et nos hic eius operam et studium negligere nolumus: ut fortasse etiam ex eo lectoribus nostris aliquid lucis ad intelligendum argumentum nostrum obveniat. Legitur locus, qui huc pertinet, in parte posteriori libri *En Iacob*, quae *Beth Iacôb*, vel *Israël*, dicitur, eo folio, ad quod iam §. II. ratione opportunitate, allegauimus, his verbis:

אמר רב יהודה אמ שמואל עוד א
יש להם בהומי אחת לשבעים
מביאין ארם שלם ומרכיבין אות
ארם חיגר ומלבישין אותו נלב
של אד הראשון ומניחין לו קרקפלו
של ר ישמעאל בראשו ותלו ליה
בצואריה מתקלי ארבעה זוי פוא
ומחפין את השוקים באינך ומכריזין
וקורין לפניו סך קירי פלסתר אחוהי
דמרנא זייפנ דחמא חמא ודלא חמא
לא חמא מאי אהני ליה רמא
ברמאותיה ולוייפנא בזייפנותיה
ומסיימי בה הכי ווי לדין כר יקום דין

Quae WAGENSEILIVS in *Sota pag.* 340. ita interpretatur: *R. Iudas, nomine R. Samuelis, dixit: etiam aliud quid habent Romae: septuagesimo enim quoque anno, selecto homine integri corporis, illum claudicuiusdam scapulis inequitare faciunt,*

faciunt, induentes ei prius tunicam Adami protoplasti, et aptantes capiti eius, exuvias vultus R. Ismaelis, (filii Elisae, qui summo sacerdotio functus est, et tanta erat pulchritudine, ut Caesaris filia, illius interfecti caput, pelle nudaret, eamque aromatibus conditam, in χειμηλιαρχεῖον, aeternum ibi asservandam, reponeret.) *Amplius collo eius appendunt nummos quatuor auri purissimi, crura vero obtegunt gemmis.* (Iste cum sic ornatus vehitur,) *ante eum divulgant voce, inclamantque: supputatio τῦ χρόν* (Iacobi scilicet, qui moriturus, multa de liberatione Iudaeorum, ex ea captivitate, in qua a nobis detinentur, praedicere satagebat,) *mendax est: frater domini nostri* (Esaui, a quo Esauo nos Romani, genus trahimus,) *fuit impostor:* (fratrem enim decipere molieba-tur, atque eius imperium, sibi suisque parare.) *Quibus* (hanc panegyrin) *spectare licet, spectatum adsunto. Nam, qui* (nunc) *eam non videt, haud* (umquam) *eam visurus est:* (quippe quae non nisi post annos LXX iterum celebrabitur, quo tempore nemo eorum, qui nunc inter adultos vivunt, amplius erit superstes.) *Quid iuvat deceptorem* (Iacobum) *deceptio? et impostorem* (hunc) *impostura? Tandem vero, cantilenae huius exodium est: vae huic,* (id est, nobis Esaui posteris) *quando iste* (id est, Iacobi progenies) *resurget.* Nos vero hunc locum de dicendi genere Gemarico ita in linguam Latinam convertimus: Refert R. IVDAS, sibi magistrum suum, SAMVELEM narrasse, esse paganis adhuc aliud festum Romae, quod septua-

gesimo

gesimo quoque anno renovetur. Quo hominem exhibeant, recti validique corporis, eumque humeris alius claudicantis impositum, toga Adami iuduant, ac capiti eius cutem capitis R. ISMAELIS accommodent, et collum quatuor fasciculi puri exornent. Tum eos plateas onyche operire, et a praeconibus ante eum praedicari iubere: Spes domini (IACOBI) infracta est; frustra domini nostri est mendax. Qui (hos ludos) nunc videt, vidit; qui autem eos nunc non videt, videbit ipsos numquam. Quid iam profuit fraudatori (IACOBO) fraus sua, et vano isti fallitas sua? Tandemque (id festum) his verbis terminare: vae alteri (IACOBO,) quando alter (ESAVVS) vitam recuperabit!

§. XVIII. R. IACOBO subiungimus R. NATHANEM, qui in ערוך voce סך magnam partem loci nostri Gemarici exponit. Cuius sensus hic est: סך בפרק קמא בעבודה
סך קרי פלסתר פירוש חשבון של
יעקב האדון פלסתר כזב אח
דמרנא ויפנא אחיו של עשו
כובן שלקח הברכה ברמאות
אהני ליה לרמאה ברמותיה
המלכות שלנו היא רחמא
כלומר מי שרואה השחוק פעם
רואה ואם לא יראה באותו
שוב לא יראהו לפי שאין עושי
שחוק אלא פעם אחת לע

Hoc est: *Nomen* סך *occurrit etiam in capite primo de idolorum cultu; (ubi dicitur)* סך קרי פלסתר, *id est ratiocinatio Iacobi, domini falsa est. Frater domini nostri mendax est, qui callide (se Esauum esse fingens et dicens) felicitatis vota impetravit. Sed quid utilitatis in hunc fraudatorem ex fraude sua redundat, quum nos (Romani et Esaui posteri) nihilominus regnemus (et Iudaeis imperemus?) Qui videt, vidit; id est, qui hos ludos videt, una vice eos vidit; sin ipsos ea una vice, (qua celebrantur) non videat, sibi numquam occasio eos videndi redibit; quia dumtaxat septuagesimo quoque anno eduntur.*

§. XX. Iam in quaestionem incidimus, quinam ludi in loco nostro Gemarico innuantur, de quo genere neque WAGENSEILIVS neque EDZARDVS aliquid definiunt. Nos autem nihil ambigimus, in eo de ludis saecularibus veterum Romanorum disputari; quia hi ludi Romae celebrati esse dicuntur, et praecones eorum causa praedicasse, ac quod haec formula de illis usurpatur: *qui hos ludos iam videt, is vidit spectaculum, quod posthac visurus est nunquam.* Has vero notas, et praecipue postremam, apertissime ostendere, de ludis saecularibus in loco nostro Gemarico sermonem esse, iam uberius declarare instituemus.

§. XXI. Ludos saeculares fuisse Romae celebratos, testis nobis est ZOSIMVS *l. II, c. V*, ubi dicit: ἐξάντος δὲ τοῦ χρόνου τῆς ἑορτῆς, ἐν

Digitized by Google

ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐν τῷ τὸ Ἄρεως ἐπιτελῶσι πεδίῳ, καὶ ταῖς ἴσαις νυξὶ, καθιερῶτο τὰ τελούμενα παρὰ τὴν ὄχθην τὸ Θυμβριδος ἐν τῷ Ταράντι. Id est: *Vbi ludorum tempus adpetiit, quos tribus diebus totidemque noctibus in campo Martio faciunt, hostiae propter ripam Tiberis ad Tarentum diis consecrantur.* Cui accedit HERODIANVS *l. III, c. VIII*, qui de hac re ita loquitur: εἰδομεν δὲ ἐπ' αὐτῶ καὶ θέας τινῶν παντοδαπῶν θεαμάτων ἐν πᾶσι θεάτροις ὁμῶ, ἱερουργίας τε καὶ παννυχίδας ἐπιτελεσθείσας εἰς μυστηρίων ζῆλον. ἀιωνίους δὲ αὐτὰς ἐκάλουν οἱ τότε, ἀκούοντες τριῶν γενεῶν διαδραμουσῶν ἐπιτελεῖσθαι. κήρυκες γοῦν κατὰ τε τὴν Ρώμην καὶ τὴν Ἰταλίαν διεφοίτων, καλοῦντες ἥκειν καὶ θεάσασθαι πάντας ἃ μήτε εἶδον μήτε ὄψονται. ὅτως ὁ μεταξὺ χρόνος τῆς παρελθούσης ἑορτῆς καὶ τῆς μελλούσης ἐδηλοῦτο, πᾶσαν ἡλικίαν ἀνθρώπων ὑπερβαίνων. H. e. *Vidimus item sub illo quosdam omnis generis ludos, cunctis editos theatris, simulque supplicationes, et pervigilia ad formam Cereris initiorum: (seculares hi tunc appellabantur), celebratos, (ut aiunt) decurso trium spatio aetatum. Siquidem urbe tota atque Italia praecones itabant, conuocatum omnes, ad ludos, quos nec vidissent hactenus, nec visuri postmodum forent: ita scilicet intervallum praeteritae futuraeque celebritatis supra omnem esse hominum aetatem significantes.* Ex verbo enim ἥκειν huius

loci facile apparet, ſpectatores ludorum ſaecularium Romam, et teſte ZOSIMO, in campum Martium, convenire debuiſſe.

§. XXII. Praecones, quorum in Gemara noſtra mentio fit, tempore ludorum ſaecularium, circumiuiſſe, et ad eos ſpectandos, formula ſolemni, invitaſſe, liquet ex loco HERODIANI modo citato; itemque ex ZOSIMO, qui *l. II, cap. V*, ab initio ſcribit: περιόντες οἱ κήρυκες εἰς τὴν ἑορτὴν συνιέναι πάντας ἐκέλευον ἐπὶ θέαν, ἣν ὅτε πρότερον εἶδον, ὅτε μετὰ ταῦτα θεάσονται. Hoc eſt: *Circumeuntes praecones, univerſos invitabant ad ſpectaculum, quod neque uidiſſent antea, neque viſuri poſthac eſſent*; atque ex SVETONIO, qui in CLAVDIO *cap. XXI*, ait: *Fecit et ſeculares, quaſi anticipatos ab Auguſto, nec legitimo tempori reſervatos: quamvis ipſe in hiſtoriis ſuis prodat, intermiſſos eos Auguſtum multo poſt, diligentiſſima annorum ratione ſubducta, in ordinem redegiſſe. Quare vox praeconis irriſa eſt, invitantis more ſolemni ad ludos, quos nec ſpectaſſet quisquam, nec ſpectaturus eſſet.* Meminit huius formulae etiam OVIDIVS *l. II. triſt. u. 25, ſeq. ita: Iuſſerat et Phoebo dici; quo tempore ludos Fecit, quae aetas adſpicit una ſemel*; et CLAVDIANVS de *VI. conſ.* HONORII *u. 388, ſeqq.* hoc modo: *iam floreſcentia centum Meſſibus aeſtivae detondent Gargara falces, ſpectatosque iterum nulli celebrantia ludos Circumflexa rapit centenus ſaecula conſul.* Ceterum praecones non ſolum in urbe

Roma

Romae praedicasse, uti in loco nostro Gemarico dici videmus, sed etiam in tota Italia, ex HERODIANO clarissime patet, neque ex ZOSIMO obscure colligitur. Verba autem Gemarae nostrae: quae huc pertinent, sunt sequentia: ומכריזין - - דחמי חמי ודלא חמי לא חמי Hoc est: *et praecones ire iubent, ac praedicare: - - qui hos ludos iam spectat, eos spectavit; qui autem ipsos hac opportunitate non spectat, eos numquam spectaturus est.* Reliqua autem verba, quae in Gemara, de qua agimus, his praeconibus affinguntur, mendacia esse, quisquis sine ulla dubitatione facile concedet.

§. XXIII. Quemadmodum vero ea, quae §. XXI, et XXII tractavimus, satis ostendere possunt, locum nostrum Gemaricum de ludis saecularibus veterum Romanorum agere: ita quoque praeterea in eo nonnulla sunt, quae idem confirmant. V. g. ista: מאי אהני לרמאה ברמאותיה Hoc est: *quid utilitatis habet fraudator ille ex fraude sua?* itemque haec: ווי לדין כד יקום דין Id est: *vae illi, quando hic vitam recipiet!* sive, *vae Iacobo, quando Esauus in vitam redibit!* Quibus Romani significare inducuntur, res suas esse incolumes et florentes, et in posterum quoque ita fore. Licet enim in his verbis id falsum sit, quod tempore ludorum saecularium in precibus Romanorum, eorumque formulis solemnibus, Iudaeorum aliqua mentio facta sit: certum tamen est, ludos saeculares pro incolumitate et felicitate imperii Romani

Romani fuisse peractos, et salutis publicae in iis prae aliis habitam esse rationem, ac pro ea conservata Romanos Diis suis gratias egisse; et simul precatos esse, ut ea perpetua esset; id quod cum verbis citatis Gemarae nostrae in genere consideratis plane congruit. Conf. §. XVIII. *huius diss.* Hinc in HERODIANO *l. c.* legimus, in ludis saecularibus ἱερουργίας, sive supplicationes, esse factas, quarum ratio, teste LIVIO, *libr. XXX, c. XVII*, haec fuit: *uti aeditui aedes sacras omnes tota urbe aperirent, circumeundi, salutandique Deos, agendique gratias per totum diem populo potestas fieret.* Porro ZOSIMVS *l. II, c. V*, testatur, in ludis saecularibus IOVEM in Capitolio hymnis esse celebratum, quod gratiarum actionem simul complectitur. Τῇ δὲ μετὰ ταύτην, inquit, ἡμέρᾳ γυναῖκες ἐπίσημοι, κατὰ τὴν ὥραν, ἣν ὁ χρησμὸς ὑπηγόρευσεν, εἰς τὸ Καπετώλιον συνελθοῦσαι λιτανεύουσιν ὡς θέμις. Id est: *Insequenti die matronae nobiles, ad horam ab oraculo constitutam, in Capitolium convenientes, Deo supplicant, et hymnis eum, ceu fas est, celebrant.* Oratum vero etiam pro futura felicitate in his ludis esse, patet ex HORATII *carmine saeculari*, ubi sub finem eius ita canit: *Si Palatinos videt aequus arces, Remque Romanam Latiumque felix: Alterum lustrum, meliusque semper proroget aevum.* Pertinet huc etiam locus ex *libris Sibyllinis*, in quo Romanis, si ludos saeculares rite celebrent, communis felicitas et perpetuum Italiae dominium, promittitur. Exstat ille apud ZOSIMVM *l. II. c. VI.* ita: Ταῦτά τοι

τοι ἐν Θρεσὶν ἦσιν ἀεὶ μεμνημένος ἔναι, καὶ σοι πᾶσα χθὼν Ἰταλὴ, καὶ πᾶσα Λατίνη, Αἰὲν ὑπὸ σκήπτροις ὑπαυχένιον ζυγὸν ἔξει. Id est: *Haec adeo tibi sint memori bene condita mente. Itala sic tellus, omnis tellusque Latina Aeternum tua sceptra colet, tua iussa capesset.* Confer PETRVM TAFFINVM de *veterum Romanorum anno saeculari, part. I, c. V,* ubi copiose ostendit, *quid Romani anni saecularis celebritate a Diis suis exspectarint, aut petierint.*

§. XXIIII. Tandem intervallum temporis, post quod ludi, de quibus in Gemara nostra disseritur, institui solebant, argumento est, in ea de ludis saecularibus sermonem esse. Etsi enim verum non sit, eos אחת לשבעים שנה, sive, septuagesimo quoque anno praecise iteratos esse, id tamen certum est, quod hominis aetate saepius quam semel ordinarie fieri non poterant, uti in Gemara nostra statuitur. Vnde CENSORINVS de *die natali c. XVII, 13,* ait: *Quod si quis credit, ludis saecularibus saecula discerni, sola nominis origine inductus: sciat saeculares dici potuisse, quod plerumque semel fiant hominis aetate; ut multa alia, quae raro fiunt, post saeculum evenire, loquentium consuetudo usurpat.* Fiebant autem Romanorem ludi saeculares nec semper una duntaxat vice hominis aetate, nec constanter et perpetuo post unum idemque temporis annorumque intervallum, sed varie et confuse. Vnde in SVETONII CLAVDIO, c. XXI, haec legimus: *Fecit et saeculares, quasi anticipatos ab Augusto, nec legitimo tempori reservatos:*

tos: quamvis ipse in historiis suis prodat, intermissos eos Augustum multo post, diligentissime annorum ratione subducta, in ordinem redegisse. Quare vox praeconis irrisa est, invitantis more solenni ad ludos, quos nec spectasset quisquam, nec spectaturus esset: cum supereſſent adhuc qui spectaverant, et quidam histrionum producti olim, tunc quoque producerentur. Quicum facit PETRVS TAFFINVS, cum teste suo POMPONIO LAETO *l. c. part. II, cap. VII, pag.* 37, ubi ita scribit: *sicut, et temporibus posterioribus saepe non observatum tempus legitimum deprehendet lector, qui annos, quos ludis quibusque saecularibus, ab Imperatoribus exhibitis, assignatos, attentius considerabit: illud diserte notavit Pomponius Laetus in historiarum Romanarum compendio, ubi loquitur de Philippi imperio sub libri initium: de saecularibus, inquit, pauca referre haud abs re est. Eos instituisse fertur exactis Regibus M. Valerius Poplicola (corrigendum est: P. Valerius,) et appellatos, quod plerumque hominis aetas semel intueri potest: idque aliquamdiu servatum est; postea ambitione Caesarum cupientium, id solemne suis temporibus exhiberi, ordo corruptus est, et pro libidine seculares habiti.* CENSORINVS autem *l. c. §. 7. temporum*, inquit, *intervalla, quibus ludi isti debeant referri, non modo quando fuerint retro, ignoratur: sed ne quanta quidem esse debeant scitur;* et *§.* 10: *At enim, temporum si veterum revolvantur annales, longe magis in incerto invenietur;* itemque *§.* 12: *Hinc animadvertere licet, neque post centum annos, ut hi referrentur ludi,*

ludi, ſtatum eſſe, neque poſt centum decem. Vt autem Gemarici ſtatuerent, hos ludos ſeptuageſimo quoque anno iterari ſolitos eſſe, ſine dubio exinde factum eſt, quod audierunt, eos hominis vita ordinarie ſemel, et non ſaepius, inſtitui, atque ex ſacro codice noverunt, hominis vitae ſeptuaginta annos adſcribi. Ita *Pſal. LXXXX*, 10 dicitur: ימי שנותינו בהם שבעים שנה Id eſt: *tempus annorum vitae noſtrae complectitur ſeptuaginta annos.*

§. XXV. De ludis ſaecularibus in Gemara noſtra differi, vidimus, ſed adhuc diſceptandum reſtat, de quibusnam ludis ſaecularibus in ea ſit ſermo; quum duodecim eiusmodi ludi apud Romanos facti ſint, quorum octo CENSORINVS *c. XVII*, commemorat, omnes vero duodecim TAFFINVS *l. c. parte II.* Auctores narrationis de ludis ſaecularibus Romanorum in Gemara noſtra ſunt R. SAMVEL, et R. IVDAS ELAIDES, qui, uti §. III. oſtenſum eſt, tempore ADRIANI vixerunt. Quum autem huius Imperatoris tempore ludi ſaeculares non ſint celebrati, cenſemus, SAMVELEM et IVDAM ELAIDEN de iis loqui, qui proxime ante ADRIANVM inſtituti ſunt; qui, ut ex hiſtoriis patet, ludi ſaeculares DOMITIANI fuerunt. De vetuſtioribus enim ludis ſaecularibus Romanorum, id eſt, de iis, qui ante Iudaeos a Romanis victos, et cum iis commixtos, acti ſunt, Iudaeos ſollicitos fuiſſe, aut multa audiviſſe, et poſtea in Gemara mentionem feciſſe, nemo facile opinabitur. Fuerunt autem ludi ſaeculares DOMITIANI, huius generis ludi apud Romanos

Digitized by Google

manos septimi, et editi sunt secundum TAFFINVM *l. c. part. II, p.* 45. *seqq.* anno V. C. DCCCXXXXVI, FL. DOMITIANO XVI, et VOLVSIO SATVRNINO II, consulibus.

§. XXVI. Admodum vero celebres ludi saeculares a DOMITIANO acti sunt; unde etiam apud veteres scriptores frequens eorum est mentio. Hinc TACITVS *libr. XI. annal. c. XIII*, *§.* 2. ait: *Vtriusque principis rationes praetermitto, satis narratas libris, quibus res imperatoris Domitiani composui. Nam is quoque edidit ludos saeculares; iisque intentius affui sacerdotio Quindecemvirali praeditus, ac tum praetor*; et SVETONIVS in DOMITIANO *c.* 4: *Fecit et ludos saeculares: computata ratione temporum ab anno non quo Claudius proxime, sed quo olim Augustus ediderat*; item AVRELIVS VICTOR *epitome, capitis XI fine*, in *vita* DOMITIANI: *Huius tempore saeculares ludi celebrati sunt*; ac CENSORINVS de *die natali C. XVII*, *§.* 11. *Septimos Domitianus; se XIIII, et L. Minucio Rufo Coss. anno DXXXXI.* His addimus STATIVM, qui *libr. I. silu.* in *soteria v.* 14. *seqq.* de hoc genere ita canit: — — *sileant prioris murmura famae; Quippe manet, longumque aevo redeunte manebit, Quem penes intrepidae mitis custodia Romae. Nec tantum induerint fastis nova saecula crimen, Aut instaurati peccaverit ara Terenti.* Id est, paraphraste TAFFINO *l. c. part. II, pag.* 46: *Rutilius Gallicus post ludos saeculares, a Domitiano instauratos in Terento, non morietur; eo quo laborat morbo: non enim novum*

novum saeculum, quod sequetur, volet indere suis fastis, eum statim a factis ludis saecularibus, e vita excessisse; cum ludi illi fiant pro incolumitate reipublicae, cuius ille praecipua pars erat: unde id esset Deos, qui in ara Terentina coluntur, graviter peccare vitio ingratitudinis, qui post tot sacrificia, Reipublicae columen, Rutilium non servarent. Alios de his ludis testes iam tacemus.

§. XXVII. In fine huius qualiscumque nostrae dissertationis, nobis monendum est, nos arbitrari, praeter ea, quae a §. XXI *disputationis* huius usque ad §. XXV ex narratione Gemarae nostrae de ludis saecularibus DOMITIANI proposuimus, et ex Romana historia illustravimus, reliqua omnia, quae in hoc loco Gemarico referuntur, esse falsa et a Iudais ficta; ac illas fabulas de personato ESAVO et IACOBO Iudaeos odio adductos DOMITIANO tribuisse, quod ipsos vehementer afflixit, eorumque haud paucos e medio sustulit. Coniectavimus quidem ab initio, ea, quae in Gemara nostra de ESAVO et IACOBO traduntur, ita esse intelligenda, DOMITIANVM inter alias festivitates et lusiones ludorum suorum saecularium etiam hoc habuisse, ut Iudaeis publice vexatis illuserit: sed quum de ea re nihil in historia Romana reperire potuerimus, temere aliquid statuere nolumus. DOMITIANVM vero IVDAEIS admodum fuisse inimicum et hostem, discimus ex SVETONIO, qui in DOMITIANO c. XII. ait: *Praeter caeteros, Iudaicus fiscus acerbissime actus est: ad quem deferebantur, qui vel improfessi Iudaicam intra urbem viverent vitam, vel*

dissimulata origine imposita genti tributa non pependissent. Interfuisse me adolescentulum memini, cum a procuratore frequentissimoque consilio inspiceretur nonagenarius senex, an circumsectus esset; itemque ex SVIDA, voce Δομετιανὸς, ubi ita scribit: Ἐπὶ τούτου καὶ Ἰωάννης ὁ εὐαγγελιστὴς εἰς Πάτμον ἐξορίζεται, καὶ τοὺς ἀπὸ τοῦ γένους Δαβὶδ, ἀναιρεῖσθαι προσέταξε. Id est: *Sub hoc et Iohannes evangelista in Patmon relegatur; et Davidici generis homines tolli iubentur.* Licet enim hunc SVIDAE locum etiam ad Christianos trahere, et de iis quoque, qui in Christiana gente tunc ex genere Davidico adfuerant, intelligere, velis, nullum tamen est dubium, quum in genere Davidis stirpi exitium quaesiisse dicatur DOMITIANVS, Iudaeos quoque istam calamitatem et DOMITIANI furorem sensisse.

VII.

DE PRENSATIONE, OSCVLO, FASCIVM ET SIGNORVM IN NAVIBVS SVBMISSIONE.

IO. MATTHIAS GESNER,
ELOQ. ET POES. P. P. O.
GOTTINGAE 1745.

---

§. I.

De venusta humanissimorum qui quondam fuere hominum humanitate, gestu quoque corporis, verbisque, et actionibus ei rei pri-

Digitized by Google

priis declarari exhiberique solita, cum Lipsiae viverem, aliquot publicis scriptionibus certa de causa egi. Illud sepositum per plures annos argumentum resumere placuit et disputandum proponere: cum rogatus sum a Nobmo. Respondente ut materiem suppeditarem, in qua ille et inquirenda, et publice defendenda, ingenii ac doctrinae aliquod specimen, ex lege Seminarii philologici cui adscriptus est, posset edere: cumque de variis salutandi in publico generibus adhuc sit a nobis disputatum, *decedendi de via*, *ex equo descendendi*, *aperiendi caput*, *et* προσκυνήσεως iam δεξίωσιν a Graecis dictam paullo diligentius iuvat persequi et ostendere, Latinam illi *prensationem* respondere. Ac primo repetimus, quod nemo ignorat, dextram manum, agendi validissimum et aptissimum instrumentum, ab antiquissimis iam mortalibus tanquam signum omnis potestatis esse adhibitum, ut hodie quoque adhibetur. Qui igitur manum suam dextram alteri porrigit et quasi tradit, ille modo significat, suam se vim, et quidquid possit, alteri permittere, eique se dedere, quod est *benivolentiae*; modo indicat, se pignori velut dare alteri optimum instrumentum suum, quae *fides* est; modo sua protensa dextra alterius, dextram velut evocat, eamque, id est potentiam et copias alterius, sibi accommodari petit, hoc est *auxilium* rogat. Omnia ista, id est officiorum suorum delationem, fidem, mutuorum officiorum petitionem, complectitur nonnunquam δεξίωσις illa s. *prensatio*, quae adeo *amicitiae* ipsius et concordiae, coniunctionisque fidelis, et unionis virium sym-

bolum est. † Sed age in rem quasi praesentem venientes, humanissimarum gentium consuetudinem dextra petendi et firmandi amicitias inspiciamus.

§. II. Fons humanitatis etiam hic est, Homerus, apud quem Il. K. 542 alii duces Graecorum redeuntes a periculo Vlyssem et Diomedem

Δεξιῇ ἠσπάζοντο, ἔπεσσί τε μειλιχίοισι,

Interpretatur Eustathius p. 749 v. 28 Basil. verbum ἀσπάζεσθαι per περιπλέκεσθαι καὶ ἕλκειν εἰς ἑαυτὸν σπᾶσθαι, nosque ablegat ad ea, quae monet Od. Γ p. 111, 11 χερσὶν ἠσπάζοντο, nempe positum esse, ἀντὶ τοῦ ἐπεσπῶντο καὶ εἵλκον διὰ δεξιώσεως εἰς ἑαυτοὺς γενομένης τῆς λέξεως ἀπὸ τοῦ σπᾶσθαι κατὰ πλεονασμὸν τοῦ α κ. τ. λ. Repetit ad Od. T, 415. p. 705 8. * Hoc quidem apparet, de

† Non familiare modo in ipsa vita, omnibusque fere illius actibus, ubi fide et consensu opus est: sed figuris etiam expressum frequentissime in nummis. Exempla laudare supervacuum. Sed ne quis diu quaerat, inspicere poterit nummos Antonii, Lepidi, Caesaris triumvirorum.

* Vtroque loco Eustathii usus sum ad Lucia. Rhet. Praec. c. 12. T. III. p. 13. 54. ubi editum adhuc est ἀσπασάμενος ὀπίσω ἔτι λοιπὸν τῆς κόμης, *vbi prius quantum adhuc supereſt comae demulserit.* Repositum nunc est ex MSS. ἐπισπασάμενος. Cui refragari equidem nolim: licet putare aliquis possit, ἐπισπασάμενος esse glossam Eustathianae, quam vidimus, simillimam. Ceterum pulchre convenit haec

de Euſtathii ſententia, Homericum iam eſſe, in ſalutationibus, et amicitiae ſignificationibus dextra prehendi prenſarive, et leniter ad ſe trahi, quibus ille honos haberetur. Ponamus alium Homeri locum, non quo is valde ad rem noſtram pertineat; ſed propter Euſtathii annotationem. Il. Ω, 671 Achilles cum firmaret inducias XII dierum Priamo ſepeliendi Hectoris cauſſa promiſſas

-- -- ἐπὶ καρπῷ χεῖρα γέροντος
Ἔλλαβε δεξιτερήν, μήπως δείσῃ ἐνὶ θυμῷ.

Ponit primo Epiſcopus p. 1511, 42 quod certum eſt, μέγα δὴ εἰς πίστωσιν τὸ δεξιοῦσθαι, ὅ ἐστι τῶν δεξιῶν χειρῶν ἅπτεσθαι. Sed viderit, quam verum ſit, illud, quod addit, ὅρα δὲ, ὡς ὁ θέναρος οἱ δεξιούμενοι, ἀλλὰ καρπῶ ἥπτοντο. Fatetur ipſe, οὐδαμοῦ δὲ τοῦτον σαφέστερον ἡρμήνευσιν ὁ ποιητής. Sit ita, Medici καρπὸν interdum pro exteriori parte compagis illius oſſeae ſumant, cui reſpondeat interius pulpoſum illud et molle θέναρ. Et illa facies exterior intelligatur Od. Ω, 397 ubi Dolius heri ſui Vlyſſis λαβὼν κύσε χεῖρ' ἐπὶ καρπῷ, quae oſculi manu apprimendi hodie etiam ſolennis ratio eſt, et fuit Plinio prodente:

haec declaratio verbi ἀσπάζομαι ad illud epiſtolae ad Ebr. II. 13. ἀσπασάμενοι τὰς ἐλπίδας. Fides ea quae ſperantur amplectitur, *ad ſe trahit*, ſibi applicat. Ita Plutum illum iam videntem, ut mox ex Ariſtophane videbimus, ἠσπάζοντο ἅπαντες, *ad ſe trahere* blando illo complexu ſtudebant κ. τ. λ.

dente ; ita enim II, 45 f. 103 *Dextra oſculis averſa appetitur.* Sed in hac quidem δεξιώσει Achillis, Priamum dextra illius prehenſa confirmantis, videtur non alterutra facies manus, ſed ipſa tota illa compages cum digitis prehenſa. Haec Homerica δεξίωσις, quae locum etiam habet in ſalutatione, ut Iλ. Σ, 423 ubi Vulcanus Thetin hoſpitem ſuam ſalutans ἓν τ' ἄρα οἱ φῦ χειρί, ex Od. A, 121 ubi Telemachus ſimili hoſpitalitate Minervam ſub Mentoris facie latentem intro vocans χεῖρ ἕλε δεξιτερήν. κ. τ. λ.

§. III. Apud Ariſtophanem Pluto v. 753 de ipſo Deo Pluto viſum conſecuto narratur αὐτὸν ἠσπάζοντο καὶ ἐδεξιῶνθ' ἅπαντες id eſt, in publico verſantem appetebant, adoriebantur, ſalutabant, conciliare ſibi omni modo ſtudebant homines. Apud Xenophontem Cyrop. 3 p. 197 Hutch Chaldaei ex hoſtibus pacati et amici πολλὰ δεξιωσάμενοι τὸν κῦρον ᾤχοντο οἴκαδε. Cyrop. 6 p. 454 Cyrus Araſpan redeuntem videns ὑπήντα τε αὐτῷ καὶ ἐδεξιοῦτο. Quod exemplum ſecuti amici ἠσπάζοντο Ἀραάσπαν καὶ ἐδεξιῶντο. Tum mox p. 462 Cyrus Abradatam ἀγαασθεὶς καὶ δεξιωσάμενος. Omnibus locis dextram prehenſam, complexumque adeo, ſignificat. Cyrop. 71 p. 505 mortuum etiam in praelio Abradatem ἐδεξιῶτο Cyrus. Sed hic locus totus ponendus eſt cum proprietatem verbi declaret. Alloquitur mortuum, φεῦ ὦ ἀγαθὴ καὶ πιστὴ ψυχή, οἴχῃ δὲ ἀπολιπὼν ἡμᾶς; καὶ ἅμα ἐδεξιῶτο αὐτὸν, καὶ ἡ χεὶρ τοῦ

τῦ νεκρῦ ἐπηκολούθησεν ἀποκέκοπτο γὰς κοπίδι ὑπὸ τῶν Αἰγυπτίων. Prenſantem cadaver Abradatae manus abſciſſa (ſed repoſita, ut falleret Cyrum) ſequitur. Δεξιῦσθαι igitur eſt *manum prehenſam ad ſe trahere.*

§. IV. Mutuum quiddam et reciprocum eſſe in δεξιώσει, oſtendit inter alia locus Dionyſii Halic. Antiq. 8 p. 515, 12 ſeq. ubi primo Marcium Coriolanum δεξιωσομένη προσῆλθεν ἡ μήτης ſalutandi cauſa accedit, quam ipſe περιλαβὼν ἀσπάζετο --- ὡς δὲ τῶν ἀσπασμῶν τῆς μητρὸς ἄλις ἔιχε, τὴν γυναῖκα δεξιωσάμενος ἅμα τοῖς τέκνοις, ἔιπε, *uxorem et liberos dextra porrecta* excipiens, forte etiam amplexus. Nimirum bene Pollux 2, 160 Δεξίωσις τὸ δοῦναί τε, ἢ καὶ λαβεῖν. *Et* ὑποδοχὴν interpretatur Suidas, qui etiam δεξιῦται verbis προσάγεται, ξενοδοχεῖ, Φιλοφρονεῖ reddit. Cyrus ille moriens apud Xenophontem Cyrop. 8, 7 εἴ τις ὧν ὑμῶν, inquit, ἡ δεξιᾶς βούλεται τῆς ἐμῆς ἅψασθαι -- προσίτω κ. τ. λ. Ac deinde de eadem ipſa re, ταῦτ' εἰπὼν, καὶ πάντας δεξιωσάμενος, συνεκαλύψατο. Sententia procul dubio iſta eſt: Admiſit Cyrus ſuos familiares, dextramque illis porrexit, quam manu ipſi ſua vel ore adeo contingerent. Hoc dum facit, dicitur illos δεξιώσασθαι. Ad hoc genus δεξιώσεως reſpicit Lucia. Timo. c. 43. p. 156, 18. Καὶ ἅπαξ ἑαυτὸν δεξιώσασθαι δεδόχθω, ἢν δέῃ ἀποθανεῖν.

Digitized by Google

§. V. Itaque mirum non est, hoc verbo expressam esse illam Romanorum *prensationem* in magistratibus petendis adhiberi solitam. v. g. Plutarchus in Marcio Coriolano p. 219, καὶ γὰρ ἔθος ἦν τοῖς μετιοῦσι τὴν ἀρχὴν παρακαλεῖν καὶ δεξιοῦσθαι τοὺς πολίτας. Et Cato. min. p. 783, Ἐποιεῖτο τὰς δεξιώσεις de petente consulatum, ubi recte *prensans* positum ab interprete. Nempe ista quoque *prensatio* Romana in dextra prehendenda proprie inerat, licet aliam deinde humanitatem complecteretur. Iucunda est in eam rem narratio Valerii Maximi 7, 5, 2 de P. Scipione Nasica, qui *aedilitatem curulem adolescens cum peteret, manumque cuiusdam rustico opere duratam, more candidatorum tenacius apprehendisset, inci gratia inter rogavit eum*, Num manibus solitus esset ambulare? *Quod dictum a circumstantibus excep ad populum manavit, causamque repulsae Scipi attulit cet. Prensandi* verbo tanquam pro ea de re utitur Cic. de Orat. 1. 24. ex per Crassi *Equidem cum peterem magistratus, sole in prensando dimittere a me Scaevolam, cu ita dicerem, me velle esse ineptum: id era tere blandius: quod nisi inepte fieret, bene posset fieri.* Referens eandem rem Valerius ximus 4. 5. 4. *Consulatum* (memoriae vitio h appellare pro aedilitate videtur) *petens, inquit L. Crassus, cum omnium candidatorum more cum forum supplex populo ire cogeretur, nunq adduci potuit, ut id praesente P. Scaevola faceret. Itaque rogabat eum, ut a se, dum epi*

eptae rei deſerviret, diſcederet. Mamertinus autem Paneg. 16. 2. ita, *Craſſum praeſente graviſſimo et ſeveriſſimo viro blandiri populo, palpare obvios, et artes petitorias exercere, non eſſe auſum.* Etiam oſcula prenſatae ſic dextrae impreſſa refert Seneca epiſt. 118. pr. ubi de candidatis. *Cum alius illorum manus oſculis conterat, quibus delinitus contingendam manum negaturus eſt.* Item hoc *prenſare* eſt Tullio, apud quem Att. 1. 1. pr. de ſua petitione conſulatus agentem, *prenſat unos P. Galba. Sine fuco et fallaciis, quae maiorum negatur. Vt opinio eſt hominum, non aliena rationi noſtrae fuit illius praepropera prenſatio. Nam illi ita negant vulgo, ut mihi ſe debere dicant: ita quiddam ſpero nobis profici, cum hoc percrebreſcit, plurimos noſtros amicos inveniri. Nos autem initium prenſandi facere cogitabamus etc.* Plin epiſt. 2. 9. 5. ubi enarrat petitionem Erucii candidati a ſe ſuſtineri, *Itaque prenſo amicos, ſupplico, ambio domus, ſtationesque circumeo; quantumque vel auctoritate, vel gratia valeam, precibus experior.* Livio praeſertim frequentatum verbum, v. g. 3. 45. *Tanta exarſit ambitio, ut primores quoque civitatis --- prenſarent homines, honorem --- ſuppliciter petentes.* Et 4. 6. *Prenſare homines et concurſare toto foro candidati coepere.*

§. VI. Nec vero de magiſtratibus ſolum petendis ita loquitur Livius, ſed in aliis etiam precibus. V. G. 3. 47. Virginius ulturus Appii in filia ſua ſcelus, *circumire et prenſare homines coepit.* Et 5. 30. *Patres --- diſſipati per tribus*

Digitized by Google

suos quisque tribules prensantes, orare cum lacrimis coepere, ne urbem desererent, migrarent Veios. Tac. An. 1. 21. tracti ad supplicium milites *obniti trahentibus, prensare circumstantium genua:* quod humillimae obsecrationis est. At in materia laeta Liv. 4. 60. *Concursum ad curiam esse, prensatasque exeuntium manus, et patres vere appellatos.* Denique etiam citra preces et blanditias *prensatio* est, vt 4. 58. *Tribuni plebis prensant veteranos* i. e. manu prehensos producunt ad populum, eorumque cicatrices illi ostendunt. Nimirum vt *captare* ad *capere*, originem suam, comparatur, ita ad *prehendere* s. *prendere, prensare.* Sic Hecubam apud Ovid. Met. 13. 424. *Prensantem tumulos, atque ossibus oscula dantem, Dulichiae traxere manus.* Et Fast. 5. 476. *Mandantem amplecti cupiunt et brachia tendunt; Lubrica prensantes effugit umbra manus.*

§. VII. In hunc locum usque, reservamus Lucianeas δεξιώσεις i. e. prensationes, in quibus Imag. c. 2. s. To. 2. p. 479. 51. Hic in Pantheae laudibus commemoratur, καὶ τοῖς προσιοῦσι δημοτικῶς τε καὶ ἐκ τοῦ ὁμοίου προσφέρεσθαι, καὶ δεξιώσεις καὶ φιλοροσύνας φιλοφρονεῖσθαι τοσούτου ἡδίους τοῖς προσομιλοῦσιν ὅσῳ καὶ παρὰ μείζονος ὅμως γενόμεναι οὐδὲν τραγικὸν ἐμφαίνουσιν, quae ita conversa dedi: *Et adeuntes civiliter atque aequaliter tractat, et in* prensationibus *salutationibusque praestat humanitatem; quae quidem tanto sunt his, qui cum illa versantur, iucundiora, quo maior est, a qua profici-*

proficiscuntur, nec tamen fastum tragicum praeferunt. Non male puto hic δεξιώσεσιν in nostra interpretatione *prensationes* respondere, si vel maxime non, quid admiserit illa, indicetur, prensari se, dextram suam dextris et osculis salutantium adorantiumque passa contingi; sed quid porrigenda sua manu, complectendisque blande comprimendis salutatorum manibus, egerit. Libentius *prensationes* hic posuimus, quam δεξιώσεις, quantumvis late alias * pateant, quidem in loco non omnem illam vel adorum vel excipientium alios humanitatem et etiam exprimant, quippe quam φιλοφροσυναι, quas Panthea φιλοφρονεῖται, designent, quibus verbis et sensus omnis *amicitiae*, et illius per signa externa declaratio, continetur. Laudantur hic Pantheae δεξιώσεις, prensationes, quatenus illa inter reliquam humanitatem etiam est *dignata manus humiles et verba precantum* (Stat. Silv. I. 4. 47.) Quale quid, licet in alia re, suo discipulo suadet, non modo venustatis sed amorum etiam magister (Artis 2. 254.) *lunge tuis humiles, ambitiose, manus.*

§. VIII. Prensationi s. δεξιώσει non minus quam προσκυνήσει adiunctum fuisse *osculum*, iam indicavimus; qua de re non postulamus dedita opera disputare, quod totis libris explicatum esse osculorum omne genus novimus: sed

* V. G. Aelia. V. H. 3. 19. τῇ τε λοιπῇ δεξιώμενος αὐτὸς τιμῇ, καὶ ἐν καὶ τῇ κοινωνίᾳ τῶν λόγων. Et 1. 32. Simetas Si non vult esse inferior quoquam τῶν ἄλλων, τῶν ἥδη δεξιωσαμένων τοῖς δώροις Anaxerxem.

Digitized by Google

sed ne plane omisisse videamur argumentum ita luculentum, pauca certe, et, ut nobis videbatur, paullo insigniora adferemus. Ac primum ore suo os alterius contingere, quod proprie *osculari* est, apertam habet coniunctionis cuiusdam animorum, omniumque rerum, significationem. Honoratissima pars vultus nostri os est, quo sermonis ope foras prodire solet noster animus, et se velut videndum contrectandumque praebere. In oris etiam tacentis ipso gestu manifestae omnium animi nostri affectionum significationes insunt. Hoc igitur qui alterius ori applicat, in omnium, quae animo nostro sentimus aut agimus, communionem cum altero se venire velle, naturali quodam signo indicat. Mirum itaque non est, illud mox amatorium, et artissimae animorum corporumque coniunctionis praerogativum, factum esse. Haec cum aliis causa fuit, ut primum illud et proprium genus osculorum non nimis vulgari voluerint homines, sed gradus quosdam et discrimina illorum invenerint, atque (ne alia commemorem) manu, quin pedibus figere et excipere oscula humiliorum, hinc misera adulatio, illinc superba arrogantia instituerint. Osculum proprie dictum quam solenne in salutationibus fuerit, vel *edictum* Tiberii indicat, quo, Suetonio teste c. 34. *oscula quotidiana prohibuit:* nec tamen effecit, vt non passim de illis conquereretur saeculo altero Martialis, v. g. 11, 99 quod ita claudit, *Remedium mali solum est, Fascias amicum, basiare quem nolis.* Cum hoc enim transigi potest.

His

Hic non ita ambitiose captat. Summae familiaritatis indicium est, quod Q. Cicero Titoni scribit, vltima earum, quae familiares vocantur, *Tuos oculos, etiamsi te veniens in medio foro videro, dissuaviabor.* Antiquissimum hoc. Eumaeus Telemachum herum salutans Od. Π, 15 Κύσσε δέ μιν κεφαλήν τε καὶ ἀμφω φάεα καλά, Χεῖράς τ' ἀμφοτέρας. Principes, ne ipsis accideret, quod Herculi illi Agrigentino, cuius (ut ait Cicero Verr. 4, 43) *rictum ac mentum paullo erat attritius, quod in precibus et gratulationibus non solum id venerari, verum etiam osculari solebant:* principes igitur non promiscue os offerebant, sed ad manus primum depresserunt oscula, denique plane ad pedes. De Caligula Dio 59, p. 661, A Ἐφίλει ὀλιγίστους τοὺς γὰρ πλείστοις καὶ τῶν συμβουλευτῶν ἢ τὴν χεῖρα ἢ τὸν πόδα προσκυνεῖν ὤρεγε. Hic quidem προσκύνησις s. *adoratio* proprie dicta potest intelligi, quae non os ipsum admovet manui pedive, sed suam manum ab ore suo versus manum aut pedem eius, quem honorat, protendit. Sed diserte de eodem Caio Seneca de Benef. 2, 12 *Caesar -- Pompeio Penno -- absoluto et agenti gratias porrexit osculandum sinistrum pedem etc.* sunt enim plusscula. Hic suppliciter agebat gratias, metu mortis liberatus. Sed de eodem Caligula Dio 59 p. 663, B Pomponius Secundus, qui cum maxime consulatum gerebat, παρὰ τοῖς ποσὶν αὐτοῦ καθήμενος, extra lectum triclinarem non una accumbens, sed assidens in sella, καὶ ἐπικύπτων

συνεχῶς

συνεχῶς κατεφίλει. * In excerptis Legationum e Polybii 15 pr. Legati Romani memorant, quam humiliter se gesserint Carthaginiensium oratores, cum in consilium admissi essent Romanum quod Tunete habebatur, ὡς πεσόντες ἐπι τὴν γῆν ἀγεννῶς τὰς πόδας καταφιλοῖεν τῷ συνεδρίῳ. Sed haec voluntaria adulatio erat, quae se ad ipsum quoque solum et limina interdum abiiciebat. Polybius Exc. Legat. 97 de Prusia Bithyniae Rege in Senatu Romano καθεὶς τὰς χεῖρας ἀμφοτέρας προσεκύνησε τὸν ὀδόν. Est etiam haec προσκύνησις s. adoratio, manu intercedente facta. Sed Livius tamen 45 extr. ita exprimit, *submisisse se, et osculo limen curiae contigisse.* Caeterum Martialis 10, 72 felicitatem saeculi Traiani praedicans adulatores ad Parthos abire iubet, et *Pictorum*, inquit, *sola* basiate *regum* etc. Caeterum non iniucundum erit, puto, etiam adiecisse lepidam Aristippi excusationem, qui reprehensus ab aliquo, quod in deprecatione pro amico, ad pedes accidisset Dionysio, causam dixit apud Laërt. 2, 79 ὐκ ἐγὼ ὅυτως, ἀλλὰ Διονύσιος, ὁ ἐν τοῖς

* Laudans hunc locum Lipsius Elector. 2. 6. extr. ubi notatu dignissima quaeque de omni osculorum genere colligit, ista addit, *Et tenuere superbum, ne dicam impium hunc morem (quid enim homo, infra hominem, hominem abiicis?) principes aliquot secuti, sed non e bonis.* Iam Romae fuerat, cum ista scriberet Lipsius. Electa edita CIↃIↃLXXX, nec postea mutatum quidquam; quod ferre est ut mireris in viro ita dedito novis amicis, ita Romanam aulam venerante.

Digitized by Google

τοῖς ποσὶ τὰς ἀκοὰς ἔχων. Sed de ſalutatione proprie nobis ſermo eſt, eaque in re ſuperbiam principum, an maieſtatis ſuae conſervandae ſtudium? memorare coepimus, ſuum os non temere vulgantium. Sic Domitianus apud Sueto. 12 *Caenidi patris concubinae oſculum ut adſueuerat offerenti, manum praebuit.* Indignius etiam tractat, eodem teſte c. 57 C. Caeſar Caſſium Chaeream, licet praetoriae cohortis tribunum, ſolitus *ex aliqua cauſa agenti gratias oſculandam manum offerre, formatam commotamque in obſcenum modum.* Contra Traianum ita laudat Plin. Pan. 24 *Non tu ciuium amplexus ad pedes tuos deprimis, nec oſculum manu reddis. Manet imperatori, quae prius oris humanitas, dexterae verecundia.*

§. IX. Militare fuiſſe dextram ducis oſculari, duobus locis etiam alia cauſa memorabilibus oſtendemus. Mittitur apud Tac. A. I, 34 ad exercitum turbidum Germanicus. *Poſtquam vallum iniit, diſſoni queſtus audiri coepere. Et quidam*, prenſa *manu eius per ſpeciem* oſculandi *inſeruerunt digitos, ut vacua dentibus ora contingeret: alii curuata ſenio membra oſtendebant.* Sed Tribuno etiam Catoni minori talis honos habitus eſt a militibus. Ponamus totum locum Plutarchi in vita p. 764, C, quo obiter etiam illuſtrari poſſit ille Domini noſtri introitus Hieroſolymitanus, veſtibus comitum procedenti ſubſtratis honoratus. Sic autem habet: ἐπεὶ δὲ τέλος εἶχεν ἡ στρατεία τῷ Κάτωνι, προετρέπετο ὑπ' εὐχαῖς (ἃ κοινόν ἐστιν) καὶ ἐπαί-

νοις,

νοις, ἀλλὰ δάκρυσι καὶ περιβολαῖς ἀπλήστοις, ὑποτιθέντων τὰ ἱμάτια τοῖς ποσὶν ᾗ βαδίζοι, καὶ καταφιλόντων τὰς χεῖρας ἃ τῶν αὐτοκρατόρων ὀλίγοις μόλις ἐπόιουν οἱ τότε ῥωμαῖοι. Hoc dicit, praeter vota et laudes etiam lacrimis et amplexibus eum prosecutos esse milites, qui *vestimenta* quoque *pedibus illius, qua incederet, subiicerent, et manus illius deoscularentur*, quem honorem vix Imperatorum paucis, qui tum erant Romani, habuerint.

§. X. Ad hunc locum, id est ad hoc genus venustae humanitatis, in quo adhuc versamur, salutationem, illam praesertim, quae fit in publico, *fascium submissionem* referimus. Antiquissima illius mentio est in Valerii Publicolae historia, de quo Liv. 2, 7 cum narrasset, crimini viro datam domum aedificari coeptam in summa Velia, *Vocato* inquit, *populo, submissis fascibus in concionem ascendit.* Subiicit ipse interpretationem ritus huius Livius: *Gratum id multitudini spectacalum fuit, submissa sibi esse imperii insignia, confessionemque factam, populi quam consulis maiestatem vimque maiorem esse.* Audiamus Graecos, qui fere diligentius talia explicant. Plutarchus in vita p. 102, D in eadem historia, τός τε πελέκεις ἀπέλυσε τῶν ῥάβδων, αὐτάς τε τὰς ῥάβδος εἰς ἐκκλησίαν παρὼν ὑφῆκε (id est proprie *submisit*) τῷ δήμῳ, καὶ κατέκλινε *inclinavit*, non in alto tulit imminentes tergis civium. sed depressit humi, et pedibus velut populi subiecit,

μετα-

μεταποιῶν τὸ πρόσχημα τῆς δημοκρατίας, *affectans*, ita, et efficere ſtudens *Speciem* maieſtatemque imperii popularis. Diſerte etiam hunc morem interpretatur Dionyſ. Halic. Antiq. 8. p. 516, 1 in hiſtoria Marcii Coriolani, matrem ſuam honore maximo afficientis: τὸς τε πελέκεις, ὃς προηγεῖσθαι τῶν ϛρατηγῶν ἔθος ἦν, ἀποθέσθαι κελεύσας τοῖς ὑπηρέταις, καὶ τὰς ῥάβδος, ὅταν ἐγγὺς γένηται τῆς μητρὸς, καταϛεῖλαι (*demittere, ſubmittere*) ταῦτα δὲ ῥωμαίοις ἐϛὶ ποιεῖν ἔθος, ὅταν ἀπαντῶσι ταῖς μείζοσιν ἀρχαῖς οἱ τὰς ἐλάττος ἀρχὰς ἔχοντες, ὡς μέχρι τῦ καθ' ἡμᾶς χρόνυ γίνεται· ἦν δὲ τότε συνήθειαν Φυλάττων ὁ μάρκιος, ὡς ἐξουσία μείζονι μέλλων εἰς ταυτὸ ἥξειν, πάντα ἀπέθετο τὰ τῆς ἰδίας παρασήμα ἀρχῆς. Deinde p. 523. 20. de eadem re mater Coriolani loquens, καὶ ὥσπερ, ait, ἄρτι προσιόντι μοι τὸς τε πελέκεις ἀπέθετο, καὶ τὰς ῥάβδος ἔκλινε, καὶ τὸν δίφρον ἀπὸ τῦ βήματος ἔθηκε χαμαὶ, καὶ πάντα τὰ ἄλλα, οἷς κοσμεῖσθαι τὰς αὐτοκράτορας ἀρχὰς νόμος, τὰ μὲν ἐμείωσε, τὰ δὲ ἐκποδὼν εἰς τέλος ἐποίησε κ. τ. λ. Memorat itaque praeter *ſecures depoſitas*, et *faſces ſubmiſſos*, *etiam curulem ſellam de tribunali* i. *gradu altiore humi in planum depoſitam*, *omniaque reliqua quibus ſummos magiſtratus ornari mos eſt*, *partim imminuta*, *partim plane amota*. Quod de maio-

ribus magistratibus commemorantem vidimus Dionysium, id Ciceronis aetate adhuc in usu fuisse, ipse docet pro Plancio c. 42. ubi ab hoc Macedoniae tum Quaestore eum sibi, exuli licet Clodii, honorem habitum ostendit: *Nam simul*, inquit, *ac me Dyrrhachium attigisse audivit, statim ad me lictoribus dimissis, insignibus abiectis*, (hoc est, ut mox ipse declarat *abiecta quaestoria persona*) *veste mutata, profectus est.* Augusti privigno, Tiberio, hunc habitum honorem, docet Velleius 2. 99. extr. *Ita* ait, *septem annos Rhodi moratum, ut omnes, qui pro consulibus legatique in transmarinas profecti provincias, visendi eius gratia ad eum convenientes, semper privato (si illa maiestas privata unquam fuit) fasces suos submiserint, fassique sint, otium eius honoratius imperio suo.* In Tiberio non adeo mirum fuit, privigno Augusti et Tribuniciae potestatis participe. Sed de Pompeio narrat Plin. 7. 30. s. 31. *Cn. Pompeius confecto Mithridatico bello, intraturus Posidonii, sapientiae professione clari, domum, fores percuti de more a lictore vetuit; et fasces lictorios ianuae submisit is, cui se oriens occidensque submiserat.*

§. XI. Non est hic praetermittendum, quod est, ut caetera fere, praeclare animadversum a Lipsio, in navium etiam occursu similem honoris habendi venustatem observatam. Fundus illius moris est Appianus, cuius narratio e Bell. Civil. 5. p. 730. H. Steph. hic poni meretur. Occurrunt sibi invicem, in Ionio mari Antonius Triumvir

Digitized by Google

umvir et Aenobarbus Domitius, de cuius fide et obsequio ille dubitandi causas habebat. Novimus lictoris esse animadversionem, ut cogat homines honorem habere magistratui. Hic τῶν ῥαβδούχων ὁ ἡγούμενος Αντωνίῳ κατὰ τὴν πρῶραν, ὥσπερ ἔθος ἐστὶν, ἐξὼς -- ὡς ὑπηκόοις ἢ ἐλάσσοσιν ἀνδράσιν ὑπαντῶσι, προσέταξε καθελεῖν τὸ σημεῖον, οἱ δὲ καθαιρῶντες, καὶ τὴν ναῦν εἰς τὰ πλάγια τῆς Αντωνίου νεὼς περιέστρεφον. Inclamat primus lictor Antonii in prora stans, ut moris erat, navibus Domitii, *tanquam subiectis, aut viris certe minoribus occurrentibus, auferrent* (certe *demitterent, submitterent*) *signum, submiserunt illi, et navem converterunt, ut latus praeberet navi Antonii.* Ita haec posteriora interpretor: non ut factum in vulgata ab H. Stephano, *navem appulerunt ad latus navis Antonii.* Cum enim robur omne esset navium antiquarum in prora et rostris, submissionis signum est et concessionis in alterius potestatem, si ita torqueas navem tuam, ut illius latus obliquum obvertatur prorae potentioris. Sed aliud quoque hic lubet quaerere: quodnam esset σημεῖον s. signum, quod submittit Aenobarbus Antonio? Latius ea vox patet. Laudans Thucydides 6, 31. pretiosum classis apparatum, mentionem facit τριηρέων σημείοις καὶ κατασκευαῖς πολυτελέσι κεκοσμένων. Magis ad rem de qua hic agitur pertinent aliquot Polyaeni stratagemata, vt 3. 11. 11. itemque 8. 53. 1 et 3: vnde apparet, signa subito tolli, assumi, permutari

tari potuisse, eaque in re fucum fieri hostibus, ut ignorarent aliquamdiu, hostilisne an amica navis esset? Succurrit etiam de Alexandrinis navibus locus Senecae Epistola 77. pr. *Solis licet supparum intendere, quod in alto omnes habent naves. --- Cum intravere Capreas, --- ceterae velo iubentur esse contentae: supparum Alexandrinarum insigne est.* * Poterat itaque videri, hoc *supparum* submissum esse ab Aenobarbo: cui rei simillimum hodie morem inter navigantes usurpari, notum est. Sed nihil tamen magis ad Appiani locum et historiam facere existimamus, quam illos nummos, unde apparet signa militaria, aquilas, vexilla, in prora navium proposita. Vsus est aliquot illius generis numis Io. Schefferus in opere de Militia navali, V. G. 3. 1. p. 175. et facile fuerit proferre plures. Horum itaque signorum eadem quae fascium ratio, ut maiori potestati submitterentur.

* Hoc Senecae loco cum usus sim ad difficilem Luciani locum Navig. C. 5. s. T. 3. p. 98. et in addendis ad eum locum: iuvat hic obiter τοὺς συμφιλολογοῦντας monere, vehementer mihi probari, quod venerabilis Elsnerus in schediasmate Crit. p. 92. seq. ignorabili illi Parasio substituit ex Athenaeo 5. 9. p. 206. παράσειρον· ceterum putare, quae de παρασείῳ a me dicta sunt, illa pulchre convenire in Athenaei παράσειρον, eandem rem utrobique esse, nempe *Supparum* illud Senecae.

DE

VIII.

DE PAGO RANGAW

M. GEORG. WILHELMVS DIETZ
RECTOR GYMN. WINDSHEM.

1762.

Quanta est utilitas Geographiae medii aeui, utpote quam omnes norunt, sive historiae sacrae, sive profanae, sive iuribus principum, cunctorumve Germaniae ordinum vel eruendis, vel illustrandis, vel iusto limite definiendis dant operam: tantis undique hoc studium septum est difficultatibus, vt saepius Oedipo non Davo opus sit, si ex tot rerum involucris, ex abditis, vel per longam antiquitatem mira tenebrarum caligine obrutis chartis verum eruere conaris. Nullus hic est PLINIVS, aut STRABO, aut PTOLEMAEVS, aut POMPONIVS MELA, ad quorum scripta refugias, si de situ orbis antiqui aqua tibi haereat. Rerum enim temporumque mutationes non solum provinciis regionibusque, sed maxime singulis regionum partibus, agrisque medio aevo nova prorsus indiderunt nomina. Fluviorum imo rivulorum nomina, quorum cognitio haud parum imo saepe plurimum confert ad definiendos veterum pagos in medio aevo quos Gawen nominabant, partim periere; partim immutatis denominationibus nunc inclarescunt, partim oblivioni tradita sunt, ut proinde in multis ratio donominationis nos fugiat. Ipsi agri veterum pagique non ita distinctis terminabantur limitibus, ut iure

Digitized by Google

certoque fundamento nixus definire possis, haec esse huius pagi initia, hos fines, his denique vere constitutis terminis hunc vel illum includi pagum, quin potius tractum quendam indefinitum quodam insignirent nomine, quo hi plures, hi pauciores vicos, hi latiorem, alii angustiorem terrarum complecterentur plagam. Haerebis sane, et infectum facies, si quid certi definire, aut ex ingenii tui modulo terras iustis circumscribere limitibus audeas. Quibus accedit, si vel ipsa chartarum antiquarum adeas scrinia, quae tamen in studio Geographico medii aevi plurimam, imo unicam fere lucem adferunt, saepius in istis miram rerum deprehendas differentiam, ut, quod unus ad hunc pagum retulerit, alius ad alium referat. Sic *Wielandesheim*, qui ditionis *Schwarzenbergicae* vicus est, in diplomate *Ludovici Pii* ab anno 822. quod protulit ECKHARTVS in *Comment. de rebus Franconicae Orient.* T. II. p. 178. refertur ad pagum *Gollachgeu*: In alio eiusdem Imperatoris de a. 823. ad pagum *Iphigeve*, vid. idem ECKHARTVS, T. I. p. 391. Quorsum te convertas? Vnum restat, ut a potiori fiat denominatio, et in quo plures, eaeque diversae chartae consentiunt, in eo constare veritatem credas, ipsamque differentiam ignorantiae sacrificulorum tribuas, qui, cum iussu regum, procerumque, quoniam fere soli tunc temporis literas norant, diplomata conscripserunt, non satis circumspecte locorum situm literis mandarunt. Vt de reliquis difficultatibus taceam, ne nimis prolixus videar. Nihilominus tamen animus fert, quae longa

Digitized by Google

longa meditatione iamdiu mens concepit de pago noſtro *Rangau*, quae noſtra eſt patria, pauca tradere. Novi, quam multi, iique viri clariſſimi iam deſudarint in hoc pago curatius definiendo, de quorum opera tantum abeſt, ut aliquid detrahere auſim, ut potius ſingulare illorum ſtudium, et ſagacitatem in perveſtigandis antiquitatibus mirer, venererque. Vbi tamen plures in erpenda veritate operas licet interdum exiguas conferunt, rebus in obſcuro aut ambiguo poſitis ſubinde maior lux accenditur. Num igitur opella mea, quae quam ſit tenuis, nemo me melius nouit, aliquid quoque lucis attulerit, hoc bonorum arbitrorum ſubmitto ſolertiori et ſubactiori iudicio.

Originem denominationis huius pagi *Rangow* deſumtam eſſe huc vsque plurimi crediderunt a fluvio *Rezat*, eoque quidem *Franconico*, qui in ſilva *Bernbemenſi* ortus, et altero *Rezato*, qui fere e finibus Svevicis haud procul *Weiſſenburgo* Noricorum ortum trahit, iunctus ad *Gemundam* in *Marchionatu Onoldino* nomen mutat, et ſub *Rednitii* compellatione omnibus notus eſt. *Rezatum* veteres in medio aevo *Retratenzam*, *Rednitium*, *Radantiam* nominarunt. Inde terris adiacentibus nomen fuiſſe traditum *Radenzgow*, *Ratinzgow*, ſive *Rednizgau*, contracta denique voce, vel correpta *Rangow* arbitrantur. Ita ad unum fere omnes narrant, quos de origine vocis legiſſe reminiſcor. Vid. HOCKER *in ſupplem.* zum Hailsbronniſchen *Antiquitäten-Schatz*, *P. I. p.* 3. cui eadem ſententia placet.

placet. Id factum esse crediderim ex ignoratione veri, vel alterius cuiusdam fluvii, ex quo pagum nomen suum traxisse probabile foret. Et, si vera fateri velim, licet inspicias quascunque mappas Geographicas, quae minimam cuiusque tractus Germanici partem excusam oculis exhibent; nec volam, nec vestigium alius cuiusdam rivuli invenies, quem hariolando divinare possis, nomen pago dediss. Sed illud fit incuria mensorum, qui saepe superficiaria cognitione agrorum dimetiendorum contenti, rivulos vel plane non exhibent, vel nominibus veris haud exploratis, exhibitorum nomina omittunt. Interim errant sane, quod pace illorum dixerim, qui pagos *Rangaw* et *Radanzgaw* unos eosdemque fuisse credunt, et sic nomina confundunt. Adeant mecum si lubet diploma *Arnulphi* Imp. de a. 889. quod exhibet laudatus ECKHARTVS T. I. *comment.* suorum de rebus *Francon. Orient.* p. 396. In quo tribuuntur Ecclesiae *Wirceburgensi* decimae de omni *collaboratu*, sive proventibus agrorum in fiscis dominicis, sive praediis Regum propriis *Reodfeldae*, Riedfeld, de quo statim dicemus, NB. *in pago RANGEVE*, *Ickilenhemi*, Ickelheim, *Bernhemi*, Bernheim, inprimis *Halazestadii in pago RADANZGEVE*, quod est Hallstadt in *Episcopatu Bambergensi* ad confluentes *Radantiae*, *Moenique*, quod prolixius ostendit LAVRENT. FRIESE in Ludewigs Geschichschreibern vom Bisthum Würzburg p. 416. ubi in XIV. Ecclesiis *Venedorum*, sive *Radanzwinidorum*, de quibus postea dicetur, et quae dioecesi

dioecesi *Wirceburgensi* subiectae fuerunt, nominat expresse Hallstadt. Videbis in hoc diplomate *Arn. Imp.* utrumque pagum probe distinctum, et in sole allucinaberis, si pagum *Rangeve* et *Radanzgeue* unum eundemque esse contendas. Quidni eodem enim nomine in uno pago nominando usus esset? aut quid causae dabis, quare unum eundemque pagum, si fuit unus idemque, in diplomate, ubi perspicuitate verborum et locorum maxime opus est, omni ambiguitate, quantum fieri potest detersa, diversis nominibus compellaverit Imperator. Dissuadet porro locorum distantia, quo minus huic sententiae subscribas, si vel in ossibus ac medullis haereat. Quantum enim distat *Hallstadium* a *Riedfelda*, quam proximam *Neapoli* sive Neustadt ad Aissum esse plurimis pro more docte solideque demonstravit *plur. reverendus* OETTERVS im dritten Versuch einer Geschichte der Burggraven zu Nürnberg p. 28-65. Imo quantum distat *Hallstadium* a locis pagi *Rangevv*, qui sunt certae positionis, ut in sequentibus demonstrabimus. Falleris, si vocem *Radantiae* forsan in nomen *Rannae* contractum vel correptum esse suspiceris. *Radantiam* non *Rannam* nominant *annales Laurisham. Rezatum* Suevicum, quem *Carolus M.* cum *Altmona* a. 792. irrito licet conatu coniungere voluit. Vid. allegati *ann. Laurisham.* in ECKHARTI T. I. p. 749. 750. Ita quoque. *Radanzvvinidi*, nunquam *Ranvvinidi* vocantur accolae *Radantiae*, qui ex Slavis nimirum Venedis, sive *Winidis Sorabis* et *Bohemis* huc olim a *Carolo M.* traducti se-

des fixerunt, et terram excoluerunt, qui sub *Bernvvelpho* Episcopo Herbipolitano ad Christianam Religionem conversi ad dioecesin Wirceburgensem pertinebant, donec instaurato Episcopatu Bambergensi, etiam hi propiori subiicerentur Ecclesiae, cum iniuria dioeceseos Wirceburg. cf. ECKHART. l. c. T. I. p. 802. II. p. 711. Pagus denique *Radanzgevv* non *Rangavv* erat, quem *Henr. II.* Imp. amplificaturus Episcopatum Bambergensem noviter institutum subiici volebat ecclesiae huius nominis, quamvis olim subesset dioecesi Eychstettensi. Quam traditionem, vel rerum sacrarum imminutionem detrectavit *Megengozus* Episcopus Eichstettensis, quoad vixit, consensu denique probavit *Gundakarus I.* eiusdem ecclesiae praesul, urgente adeo Caesare, Vid. *Scriptores Bamberg. Ludevvigii T. I. §. 60. p. 51.* Nihil iuris sane erat Eychstettensi in pago *Rangavv*, quod transferre in alium posset, nec Bambergensi, quod ex eodem pago acceptum ferret. Quinimo ipse FALKENSTEINIVS in Nordgauischen Alterthümern *T. I. p. 91.* quamvis in mappa Geograph. pago *Rangavv* iusto maiores tribuat limites; non tamen ad *Pegnesum* usque, et quae ultra hunc *Radantiae* ripis alluuntur, nostrum pagum *Rangavv* extendit. Hisce omnibus probe expensis, a me impetrare non possum, ut pagum *Rangavv* et *Radanzgaw* eundem fuisse, vel ut priorem a *Radantia* nomen traxisse credam. Illud causae fuisse crediderim, quare etiam citatus FRIESE *p. 424.* utrumque pagum ut diversum descripserit; ex pago denique *Rangaw*, non *Radanzgaw* donatione

tione *Ottonis III.* Caesaris magnam partem in ditionem Episcopi Wirceburgensis translatam fuisse doceat circa annum 1000. l. c. p. 450, quae successu temporis denique post varias rerum mutationes in iurisdictionem Burggraviorum Noricorum transierit.

Vt igitur, quaenam mihi sedeat sententia, demum, scimus omnes, nostris Germanis fuisse usitatius, quam ut a parvis potius rivulis, quam magnis fluminibus nomen tribuerent adiacentibus regionibus. Nec male. Vbi enim parvi regionum complexus ab aliis discernendi veniunt, hi tractus longe melius a parvis fluminibus compellantur, qui omnem tractum suis permeant aquis, quam ingentibus, qui longo terrarum ambitu in alios denuo maiores, vel mare denique infunduntur. Sic *Hennegoviam* cognominatam esse novimus a fluviolo *Hainе*, non ab aliis longe maioribus, quae provinciam rigant, *Speiergaw* a fluviolo *Speierbach* et in Franconia nostra *Gollachgaw* a *Gollacho*; *Iphigaw* a rivulo die Iph, ut alios pagos taceam. Simile quid in nostro pago *Rangaw* factum esse confirmo, cum reliquae deriuationes nominis fundamento careant. Est nimirum in vicinia nostra rivulus, quem adhuc die Rannach appellamus. Diu omissus in omnibus, quas adhuc vidi, mappis, tandem licet sine nomine exhibitus est in illa mappa Geographica, quae uno obtutu omnem tractum Windshemensem cum adiacentibus locis offert, et prodiit ex officina Homanniana anno demum 1760. Quamvis

vis enim haec mappa multis adhuc scateat vitiis, facile tamen corrigendis, eatenus tamen bene hunc rivulum oculis praebuit, qui occasionem cognominandi pagi *Rangaw* dedit. Fontes eius sunt ad *Pfaffenhovam*. Haud procul a fontibus est molendinum, quod verum nomen servat, uti communiter adpellatur die Rannemühl, rectius die Rannachmühl. Hoc molendino relicto pergit rivus ad pagum Wiebelsheim, quem stringit, media fere inter pagum Schwabheim, et civitatem nostram via adluit molendinum, cui nomen est, die klein Windsheim-Mühl. Denique si ab urbe nostra vix quartam horae partem discesseris ea via, qua ferimur *Illesheimium* abituri, lapideo ponte superatur, et paullulum ab hoc ponte se miscet *Aisso* nostro, vel si antiquum nomen melius placuerit, *Aeschiae*. Omnis ager, qui ad sinistrum *Rannaci* est, ad hunc usque diem ab omnibus civibus nostris, qui arvalia in isto tractu possident, nominatur die Ranne. Idem nomen est tractui in omnibus chartis emtionis et venditionis, quae publica scripta sunt, et adhuc scribuntur autoritate. Ipsum nomen rivuli a voce rinnen derivatum fuisse, me non monente quisquis observabit, facilis enim per nostra labitur arua; ita tamen ut ingruentibus pluviis, vel imbre largius effuso, saepe latius stagnet. Habes igitur, vti credo, veram pagi nostri cognominationem, quam sequentia magis probabunt. Veriora tamen et firmiora monstraturis, lubens subscribam.

Restat, ut de locis differam, quae suo complexu continebat noster pagus *Rangaw*.

Hic

Digitized by Google

Hic, patriae amore ducto, *Windsheimium* noſtrum primo loco nominare liceat. Ita enim *Ludovicus Pius* Imp. in Diplomate de a. 823. monet, quo donationem baſilicarum confirmat, iam olim a *Carolomanno Caroli M.* fratre, in fundatione Epiſcopatus Wirceburgici S. *Burchardo* factam a. 740. confirmat. In hiſce baſilicis eſt quoque *Baſilica S. Martini in villa Windesheim in pago Ranigewe.* cf. ECKHARTVS l. c. T. I. p. 391. Idem dicit etiam *Arnulphus* in Diplom. iam cit. de a. 889. *ibid.* p. 396. et alibi. Subintelligitur hic templum noſtrum primarium olim *Sancto Martino* dedicatum, unde adhuc cura donationum ad aram *S. Martini*, die Martini-Pfleg nomen trahit. Fuit enim is *Martinus* olim communis Francorum Apoſtolus, Patronus, et S. Protector. Quum vero poſtea *S. Kilianus* de converſione Francorum orientalium immortaliter meritus in coelitum cooptaretur numerum, factum eſt, vt Franci noſtri orientales *Martino*, uti fieri ſolet abdicato, aut poſthabito, in *Kiliani* fidem protectionemque confugerent, quo factum eſt, ut templum noſtrum deinde *S. Kiliano*, eiusdemque in converſione comitibus *Colonnato* et *Tobnano* dedicaretur. Ex quibus ſane antiquae urbis noſtrae origines ſatis abunde patent, utpote quae iam a. 740. habuit baſilicam, et proinde iam ultra 1022. annos Chriſtianam profitetur religionem, licet a fabuloſis ſub *Pharamundo* et *Windegaſto* originibus diſcedamus. Secundo loco ad pagum noſtrum referendum eſt *Anſpacum.* Ex diplomate enim eiusdem *Ludovici Pii* de a. 837.

Digitized by Google

837. quo confirmat, quae olim iam tempore *Caroli M.* quidam comes *Hunrocus*, siue *Henricus* nostro idiomate, Ecclesiae Wirceburgensi tradiderat, luce meridiana clarius adparet, quod in eodem pago *Hrangavi*, qui prius fuit nominatus, *traditus fuerit locus in quadam silua, qui dicitur ONOLTESBACH.* In eodem Diplomate tertio loco nominatur *Bargilli*, quod est vicinum Markbürgel. vid. ECKHART. T. I. p. 796. T. II. p. 303. Huc pertinebat quarto loco *Readfelda*, siue Riedfeld, ut patet ex Dipl. cit. *Arnulphi*, in sinistra ripa *Aissi* ex adverso *Neustadii*. Quantum igitur intelligo, latitudo pagi *Rangaw* terminabatur *Onoldesbaco* et *Windsbemio*, locisque quibusdam aliis, non tamen longe ultra utramque ciuitatem extendendis. Longitudo pertinebat a fontibus *Rannaci*, et quae sunt ad utriusque ripae latera usque ad *Neapolin ad Aissum*. Reliqua minora loca, quae hisce continebantur finibus, didici ex schedula antiqua, quam protulit HOCKERVS in *Supplem.* zum *Antiquitäten-Schatz*, P. I. p. 3. Fuit enim in officiis, quae huius *Hailsbrunnensis* Abbatiae olim curabant reditus, aliquod *officium de Rangau* dictum, quod suberat granario, uti nominabant, germanice pro simplicitate istorum temporum dem Korn-Schreiber, qui recipiebat decimas et canones frumentarios ex locis, Bergel, Berghoffen, Birckenfeld, Buchheim, Erckenbrechtshoffen, oder Ermenhoffen, (ita scribit HOCKERVS, sed differunt hi pagi, sane, quod omnibus notum est) Ergersheim, Gattenhoffen (in agro Rotenburger-

burgensi) Illesheim, Iphoffen, Ickelheim, Ipsheim, Kaubenheim, Kilchesheim (sive melius Gielichsheim) Merlbach, Ottenhoffen, Oberndorff, Pfaffenhoffen, Suntheim, Sausenhoffen, (quod nullibi invenio, quid si forte praedium Hausenhoff, olim hoc nomine dictum fuerit, quod verosimillimum est) Schwebheim, Scheckenbach, Westheim, Weigenheim, Windsheim, Windsheiming (quod indagare non potui, quid sibi hoc velit) Urphersheim, Ulsenheim, Uttenhoffen. In quibus tamen Iphofa pertinet ad pagum Iphigew. Ergersheim vero Gülichsheim et Weigenheim, ut forsan alio tempore docebimus, referuntur ab antiquis ad pagum *Gollachgew*. Quoniam vero non tanti forsitan erat, ut reditibus ex hisce pagis hauriendis, peculiares praeficerentur procuratores, hinc horum quoque vicorum curam a piis Abbatibus curatori rerum in pago *Rangau* accipiendarum traditam esse autumo. Interim haec schedula procurationis et distributionis officiorum in abbatia *Heilsbronnensi* admodum facit ad rem nostram confirmandam. Vides enim in ea expressos locos pagi *Rangavienſis*, qui tantum inveniuntur in nostra vicinia, in signum, hic quam proxime quaerendum esse pagum *Rangaw*. Quum vero abbatia *Hailsbronnensis* reditus habuerit ex multo pluribus locis, longe sibi vicinioribus, v. g. *Abenberg*, *Villa nova* Neuhoff, *Diedenhoffen*, *Bondorff*, *Ketteldorff* et aliis, nequaquam vides haec in ordinem Alphabeticum locorum pagi *Kangavienſis* relata, quae tamen, si vera foret quorundam sententia, qui

pagum

pagum *Rangavienſem* uſque ad *Radantiam* extendunt, etiam cum ipſa *Halesbrunna* eo referenda fuiſſent, manifeſto indicio, Abbatem, vel quicumque fuit auctor diſtributionis huius officiorum, neque *Hailsbronnam*, neque citata loca in ordinem vicorum *Rangavienſium* retuliſſe. Sed omnis fons deceptionum eſt, quoniam quamplurimi crediderunt, *Rangaw* et *Radenzgaw*, ſive *Rednizgaw*, eſſe unum idemque, cum tamen ſunt diverſa, hinc, quae ſunt loca pagi *Rednizgaw* nominum conventione decepti, repoſuere in pagum *Rangaw*, et vice verſa. Fuerunt igitur ipſa *Hailsbronna* cum citatis locis, ſi quid hariolari liceat, partes pagi *Radanzgaw*. Et ſunt utrique pagi ſibi confines, ſed non iidem, nec in poſterum confundendi erunt. Imo ſi quid veri augurari poſſim, pagus *Radanzgaw* initium capiet a confluentibus utriusque *Rezati*, et perget ad utramque, tamen maxime ſiniſtram ripam *Radantiae*, et terminabitur huius oſtiis, quibus infunditur *Moeno* ad *Halazeſtadt*, ſive *Hallſtadt*, ut ſuperius diximus, quae poſtrema tamen de iuſtis limitibus pagi *Rednizgaw* nondum audacter confirmare auſim, quoniam hac in parte nondum antiqua diplomata ob penuriam temporis ſatis inſpexi.

IX. Char-

Digitized by Google

IX.

CHARTAM IN DVBITATE LINTEAM HAC TENVS NOTIS ANTIQVIOREM IN MEDIVM PONIT.

PAVLLVS DANIEL LONGOLIVS
RECT. GYMN. CVRIANI CAESAR. FRANCISC. LIBER. ART. ACAD. CONSIL. FAC. PHIL. LIPS. ADS. ET SOC. IEN. LAT. SOC. HON.

CVR. REGNIT. 1762.

In Hermunduris meis perrecturo intercedit cursor publicus ex Belgio Illustris GERARDI MEERMANNI, Syndici Roterodamensis longe Celeberrimi, *Admonitionem de chartae nostratis, seu lineae, origine* data a. d. V. Calendas Ianuarias huius, quem agimus, anni CIↃIↃCCLXII. se cum ferens. Ea vero et ego admonebar tot praemiis et admonitionibus propositis ad indicium chartae lineae.

INDEX DICTORVM.

§. I. Charta lintea.
§. II. An ab initio in molendinis confecta?
§. III. Olim rarior.
§. IV. Corruptioni exposita.
§. V. Caduca.
§. VI. Difficulter sigillo munienda.
§. VII. Hinc eius parcior usus.
§. VIII. Nec perennis.
§. IX. Codicum chartaceorum aetas dubia.
§. X. Certior diplomatum chartaceorum.
§. XI. Quodnam antiquissimum MEERMANNI?
§. XII. Quodnam HANSSELMANNI?

Digitized by Google

§. XIII. Quodnam PESTELII?
§. XIV. Quibus antiquius ONOLDSBACENSE.
§. XV. Qui?
§. XVI. Ineuntis seculi quarti.
§. XVII. Sigillo impresso.
§. XVIII. Cuius?
§. XIX. Quando datum?
§. XX. De quo?
§. XXI. Per quem?

§. I. Tabula haec non sufficit cuncta chartae, qua patet, genera enumerare, nec refert. Refert autem cum maxime eam nosse, que ex linteis filis in frusta secatis et in mortario aliquo per pistillum contritis atque in aqua maceratis in modum pultis forma idonea hauritur, et ad aerem exsiccatur.

§. II. Vt omnium artium initium rude, exile et simplex, ita et gignendae chartae linteae. Mortarium et pistillum opus est ad contundenda linamenta. Manibusne autem an vi aquae ventive pistillus moveatur, parum intererit. Nam vel prisci molis carentes frumentum in pilas missum pistillis tundebant et terebant, unde pistrina olim tam frequentia. Cum vero id nimis multas manus poscceret, quae ad alia utilius adhibendae, cariusque stabant, ad molas exstruendas progressum est ita, vt circa rotarum frontes adfixae pinnae, cum ab impetu fluminis ventove percutiuntur, progredientes rotam versari cogant. Nasci igitur potuit charta lintea opem haud ferente mola. Sane aeque haud indignum investigatione, quando demum mola prima conficiendae chartae linteae fuerit constructa,

Digitized by Google

ſtructa, quave ratione magis atque magis cultae, ut noſtra aetate ad ſummum perfectionis faſtigium evectae omnibus numeris videantur abſolutae iſtius generis molae.

§. III. Quo autem difficilius pariebatur charta noſtra, eo frugaliores ſe gerebant maiores in ea adhibenda, ut fit, in re, quae rarior. Hi verbis parcentes paucis multa edicebant, ſeduloque cavebant, ut ne lineae confunderentur fluxiore penna, quin quaelibet litera lectu facilis, clara, diſtincta adpareret, ſecus ac poſteri vix aliquot paginis immo plagularum ſarcinis exſequentes, quod vel tribus quatuorve verſibus et ſpatio aliquot digitorum exponebant nequaquam fidem ex charta metientes.

§. IIII. Sed et linamenta blattarum ac tinearum epulae et murium illecebrae ex glutino, quod paratur coctis pellium offiumque ramentis, cui charta noſtra immittitur et in aere ſiccatur.

§. V. Inde eadem caduca valde et fragilis, ut iacturam patiatur et tabula et ſcriptura quolibet paullo ſiniſteriore caſu.

§. VI. Cum iſtud antiquius ſeculum minus ferax ſcribis, quin pleraque pars mortalium animi ſui ſenſa literarum monimentis commendatura, aliorum ſcribendi peritorum tum pauciorum fidei ſe relinquerent adeo, ut ne quidem nominis ſubſcriptione, niſi Imperatores Regesque monogrammate, agnoſcerent exarata, neceſſe erat, quod ipſi in extremo literarum

profitentur, sigillo ea munire. Hoc literis adpendere erat moris, quod quidem in membranaceis commode fieri quivit, in chartaceis autem non sine periculo scissurae literis noxiae ex sigilli pondere. Vt vero illud imprimerent, non dum aderat materia, quae nostrum quoque aevum dedit demum tenacissimam, quin adhiberent cerae genus, cui imposita charta sigillum inscriberetur, casui adverso vel ad huc apud nos obnoxiae.

§. VII. Ista autem cuncta suadebant parciorem chartularum usum ut pote minus perennium et ad posteros durantium.

§. VIII. Quod si vero et iam largius iis fuissent usi, rerum tamen edax tempus istius modi documenta citius corruperit, et consumserint alia ita, ut pauciora aetatem tulerint, et ad posteros fuerint translata.

§. VIIII. Adservatu quidem commodiores erant chartae plures in unum corpus compactae, insidiis tamen supra §. IIII. memoratis aeque expositae. Iam cum neque in fronte neque in calce annum scriptionis proderent librarii, vereor, ne spes extenuetur et evanescat, inde chartae linteae aetatem esse definiturum quemquam.

§. X. Eius igitur nulla patet via quam diplomatibus, quae crepat seculum, quippe quorum datum et actum aut exprimit annum aut eius ariolandi vestigia signat.

§. XI. Eru-

Digitized by Google

§. XI. Eruditissimo MEERMANNO quidem non alia nisi ex feriniis *Quedlinburgensibus*, cuius in Analectis Brunsvicensibus anni CIↃIↃCCXXXXV. libello LII. indicium factum, innotuit vetustissima anno *millesimo tricentesimo undequadragesimo die S. Viti, Modesti et Crescentii* exarata charta, qua antiquior Celeberrimae Goettingensi Societati Regiae anno CIↃIↃCCLV. non dum fuit cognita.

§. XII. Hac aliquot annis vetustior anno eiusdem seculi *decimi quarti tricesimo tertio die Veneris post adscensionem Domini* data ex tabulario *Hohenlohico* in lucem protulit Illustris HANSSELMANNVS in ulterius solide illustratis et mascule defensis Regalibus Hohenlohicis p. 323. seq.

§. XIII. Hoc par superat aliud anno *vicesimo sexto* eiusdem seculi, quod in penu suo adservare testatur Doctissimus PESTELIVS Rintelensis Professor in Novis Literariis Goettingensibus anni CIↃIↃCCLVI. libello VII. Nam ut altera charta, quam idem Vir Celeberrimus se cum habere ibi profitetur, anni *millesimi ducentesimi tricesimi noni* sit linea, veretur antea laudatus Ill. HANSSELMANNVS fretus auctoritate Chronici Gotwicensis Lib. I. Cap. I. §. 2. p. 13. cuius verba: *De* charta linea *aliqua remanet quaestio, quando nimirum eiusdem usus coeperit? quem non nulli plane ad XI. quidam ad XII. seculum referunt, non observata, ut credimus, differentia inter* chartam bombycinam *et* lineam: *arbitra-*

arbitramur proinde, vix ante seculum XIIII. usum chartae lineae *invaluisse*.

§. XIIII. Sereniſſimi Principis Domini CHRISTIANI FRIDERICI CAROLI ALEXANDRI Onoldsbaci Franconiae prudentiſſime regentis indulgentia luculentiſſima per menſem Auguſtum ſuperioris anni licuit mihi eſſe tam felici Perilluſtris atque Excellentiſſimi Iungii auſpiciis inter alia ſcriniorum eius perſpicacia optime digeſtorum eorumque locupletiſſimorum uti frui charta vere lintea. En ante omnia ad huc a nemine, quod ſcio, prolatae ipſa verba:

FRIDERICVS *dei gracia eccleſie* Auguſtenſis *epiſcopus honorabilibus viris Decano, totique capitulo eccleſie* Fuhrwacenſis, *amicis noſtris kariſſimis, ſalutem et ſinceram in domino caritatem. Cordi nobis eſt eccleſie noſtre defectibus ſuccurrere, ipſiusque commodum et utilitatem promovere in quantum poſſumus et tenemur, cum itaque iuxta quorundam virorum et avunculi noſtri predilecti* R. *de* hyrnhain *prepoſiti veſtri relacione precipue iam dudum intellexerimus de quibusdam manifeſtis eccleſie veſtre defectibus, cum in rebus veſtris et perſonis, Idcirco volumus et mandamus, qua tenus ſuper reformacione earundem, cui vtique intendere volumus bona fide, certos nobis ad hoc aptos viros et ydoneos de capitulo veſtro, ad preſenciam noſtram* Auguſtam *tranſmittatis ad terminum quem vobis, diſcretus vir ac dilectus nobis magiſter* h. *de* Nortenberch, *notarius noſter deputabit et aſſignabit in quo nobis*

bis eccleſie veſtre , necnon omnium veſtrorum profectum procurabitis noſtro et prepoſiti veſtri conſilio et auxilio mediante volentes ut concanonicos veſtros abſentes qui de conſwetudine fuerint evocandi veſtris literis ad eundem terminum et locum evocetis , et predicto magiſtro h. ſuper referendis vobis ex parte noſtri fidem credulam adhibere velitis. Datum Auguſte X kalen. Maii,

§. XV. Vſu fidiſſimo iſto magiſtro edoctus, quot impoſuiſſe cupidinem videre , quod voluerunt , vocabam iterum iterumque in dubium illam tabulam. Licetne anteſtari Viros , quos alit Princeps Aequiſſimus meritorum Iudex, rei diplomaticae peritiſſimos ? Licebit aeternum memori eorum facilitatis et humanitatis , qua exceperunt foveruntque plane ſingulari , ut ipſi loquantur, quanta ſollicitudine eam ego exploravi, nec prius adquievi , quam dum ſenſus dixerim pene omnes conſpirantes eo me adigerent , ut nihil eſſet reliqui , quod vel minimam ſuſpicionis ſpeciem prae ſe ferret. Quo fortius reluctabatur mens mea , eo fortius convincebatur, fila nec bombycina eſſe ſerica neque ex liniſ xylinis nucis , quae goſſipion ſive xylon fert , cuius ex interiore bombyce lanugo netur , ſed linea eſſe. Fuerit autem circiter octava plagulae pars ſive folii ſatis glutinata et ex ſenio ſubflava.

§. XVI. Literarum forma non eſt alia , quam quas ineunte ſeculo quarto decimo uſitatas fuiſſe tot millia membranarum iſtius aevi ſatis arguunt ne a literatiſſimo quidem ad huc in ius aut ſuſpicionem vocatarum.

Digitized by Google

§. XVII. Neque natu minorem praesule, qui eas dedit, esse chartulam, loquitur effigies, qua signata, eius tergo tam tenaciter inhaerens, ut prius comminui quam avelli se patiatur, nec tam expressa fuerit, si aliunde in eam translata. Et qui transferatur aut unde, quoniam tum temporis eas non infigere sed adfigere sive adpendere membranis in consensum verteras?

§. XVIII. Dabat autem illas literas FRIDERICVS se ipsum *Augustensem Episcopum* nominans. Si quaeris, cuius gentis; respondet BVCELINVS in Topochronostemmatographica Sacra et Profana German. Sacr. Part. I. p. 13. *Speet* de *Faymingen*, quo nomine quoque comparet in literis anno CIↃCCCXV. exaratis et a Viro Perillustri et Excellentissimo *de* IVNG in illa lance satura optimis quibusque frugibus refertaMiscellan. Tom. III. p. 236. excerptis. Apud CRVSIVM in Annal. Suev. Part. III. Lib. III. Cap. XVIII. eius loco est *Fainingen*. In manuscriptis tamen ACHILLIS PIRMINII GASSARI Annalibus Augstburgensibus, quos olim Menkenio meo Scriptores Rerum Germanicarum conquirenti paravi prelo, inveni *Spatum* de *Turnegga*, et si operarum incuria in eorum Tom. I. p. 1472. *spactus* fuit illatus. Nec alium, quam *Speethum* de *Thurnegg* novit recentissimus Historiae Augustanae conditor fide dignissimus Gen. *de* STETTEN Cap. VI. §. XVIIII Componant hanc litem, quibus propius inspicere licet Augustanorum res.

§. XVIIII. Vno ore fatentur omnes, regimen eius durasse ab anno CIↃCCCVII. ad CIↃCCCXXX.

Digitized by Google

CIↃCCCXXX. Intra hoc temporis ſpatium exaraſſe illas literas ſatis conſtat. Si ſtatim inito honore, exiſtimaverim, id vel verbo prodidiſſe, ut in multis contigit. Non ſcripſiſſet: *Cum* iam dudum *intellexerimus*. Inde tamen non dum evictum, prodiiſſe eas demum in extremo vitae. Nam et huius forſitan eſſentveſtigia.

§. XX. Certiora proferre quis poſſet, ſi liqueret, annum CIↃCCCVII qui *Rudolpho* de *Hyrnhain* in Genealogia Ordinis Equeſtris Franconici ad Almonam BIEDERMANNIANA Tab. CCXI. adponitur, emortualem fuiſſe. Sane ibi ſalutatur *Capitularis et Praepoſitus Capituli Auguſtani*, quem et *Feuchtwangenſis eccleſiae capituli* tum, cum iſta exararentur, fuiſſe *praepoſitum*, ex iſta charta palam fit.

§. XXI. Nec vola nec veſtigium *H.* de *Nortenberch* notarii in charta nominati, ut inde aliqua coniectura aetatis eiusdem fieret, adparet.

Implebit autem intra decennium officina, quae antea vaga ſedem fixit ſupra Curiam noſtram ad Salam paullo ſupra confluentem Regnitii ſuperioris, tum per univerſas terras CELSISSIMIS PRINCIPIBVS BRANDENBVRGICIS in Franconia parentes prima et per multos annos unica, officinae libris ſtanno exſcribendis tredecim annis ante hic Curiae a Matthaeo Pfeilſchmidio patre inſtitutae ſecundae reliquarum earumdem regionum matri miniſtrans chartam ex eo adeo exculta, ut eum maxime Wunnerlichianum nomen remotiſſimos exciverit ad arceſſendam chartam cum Belgica de principatu contendentem.

Digitized by Google

X.

DE DVPLICI GENERE EQVITVM ROMANORVM.

IOH. HENR. DRÜMEL
RECT. ET PROF. PVBL. GYMN. POET. RATISB.

1762.

De ordine equeſtri Romanorum magni nominis eruditi, qui antiquitates Romanas expoſuerunt, copioſas ediderunt commentationes, ſed de duplici genere equitum Romanorum valde ambiguum locum cum illuſtrare tentarent, collocata eorum in explicanda hac antiquitatum parte induſtria nihil lucis attulit, ita ut obſcuritate non ſublata in diverſas modo ſententias facerent diſceſſionem. *a*) Noſtra memoria celeberrimi et antiquitatum Romanarum peritiſſimi viri eandem materiam percolere aggreſſi ſunt, Chriſt. Gottl. Schwarzius, *b*) immortali laude digniſſimus, et Lipſienſis Academiae quondam Decus beat. Kappius *c*): quem autem ſolvere voluerunt nodum, is adhuc priſtina difficultate premitur, discrimenque duplicis generis equitum nondum ſatis explicatum eſt. Operae pretium igitur facere videbor, ſi antiquorum autorum de diſcrimine equitum praecipua loca retractavero, ut, quid in difficili quaeſtione, quod etiam

a) Manutius de Rom. civitate pag. 5. Sigonius de iure antiquo civ. R. Lib. III. cap. 3.

b) In diſſ. de Inſignibus ordinis equeſtris equit. Rom.

c) In diſſert. de annua equit. Rom. transvectione.

Digitized by Google

etiam Burmannus fatetur, *d*) queat affirmari, clarius appareat. Quamvis vero a doctiſſimorum virorum opinione me ſegregem, cenſorio tamen in eos ſupercilio uti vereor, ſola inveſtigatione veri acquieſcens. Vt vero ſententia, quam exponere atque comprobare ſuſtineo, ad arcem rei feſtinantibus, ſine ambagibus pateat, initio ſtatim profiteor, *natalium diverſitatem* equitum Romanorum duplex genus attuliſſe et diverſa iura, cum alii ex patriciis traxerunt originem, alii ex reliquo populo nati ſunt. Sequor autem in rebus enarrandis fidem Dionyſii Halicarnaſſenſis. Omnis multitudo, quae auſpicia Romuli ſequuta eſt, ante rempublicam conſtitutam habuit rationem exercitus, isque ex tribus millibus peditum trecentisque compoſitus fuit equitibus. Poſtquam vero populus Romulo ordinandae reipublicae poteſtatem permiſit, hunc fere in modum ab eo formata eſt.

Secrevit natalium ſplendore, honoribus etiam opibusque conſpicuos a caeteris; illos patricios nominavit, hi plebis appellationem tulerunt. Patriciis tribuit ius gerendi magiſtratus et adminiſtrandi ducum munera in bello, poteſtatem dicendi iuris, fungendi ſacerdotiis, ordinandi res urbis et cum Rege conſtituendi rempublicam. Plebem parendi officio adſtrinxit, agros colere, opificia exercere iuſſit. Praecipua

d) In differt. de iure aureorum annul. cap. II. Non operoſum hic inſtituam excurſum de equeſtri ordine, aut diſtinctione equitum, quae materia ſatis intricata ac difficilis nos a ſcopo longinquius abduceret.

cipua patriciorum iura statim igitur enituerunt, ut primum cives in certos redegit ordines. Cum universos promiscue triginta curiis comprehendit, singulis curiis *fortissimum* praefecit virum, quem domi curionem, in castris centurionem vocaverunt: Curias vero denas una tribu complexus, cuique praepositit *ex patriciis tribunum*, in castris chiliarchum etiam nuncupari solitum, quia dux fuit mille fere militum *e*).

Vt aliquamdiu Romulus regno praefuit, novum instituit agmen equitum ex *solis patriciis* conscriptum, quos corporis sui custodes, quos satellites legit, atque ideo domi ac in proeliis habuit comites. Quis haec cognoscit, ut non simul intelligat, hoc patriciorum agmen ab illis trecentis equitibus, qui in exercitu, antequam regnum adiret Romulus, fuerunt, esse maxime diversum, duplexque equitum genus regnante Romulo introductum fuisse, quos natalium diversitate distinctos dignitas quoque ac munerum ratio discreverat.

Servio Tullio ad fastigium regis interiecto tempore evecto placuit, cives universos tum patricii, tum plebeii sanguinis secundum opum diversitatem in classes describere, et pro earum magnitudine illis partes deferre in iure suffragiorum. Hic ordinata prima classe, cui opulentiorum civium attribuit octoginta centurias, duplex quoque genus equitum retinuit, sed in decem et octo centurias distributum: alias enim ex

e) Dionys. Halicarn. Lib. II.

Digitized by Google

ex plebeiis collegit, quod erant ditissimi: caeterae centuriae constabant patriciis *f*). Consentit Livius, qui Tullianorum equitum alterum agmen duodecim centurias, alterum sex comprehendisse docet, duplicatis tribus, quas Romulus instituerat *g*). Quae ab hoc conscriptae sunt equitum centuriae, patriciae originis fuisse, supra ostendimus: illos autem trecentos equites, qui ante regnum ad Romulum translatum in exercitu militaverunt, hic intelligi non posse, quia non solum sub auspiciis Romuli, sed et Remi arma ferebant, quisque perspicit. Habuit igitur et Servio Tullio regnante Roma duplex agmen equitum, unum patriciorum, alterum plebeiorum.

Natalium diversitatem equites Romanos etiam post exactos reges in diversum divisisse genus, ex anniversaria pompae equestris sollennitate iam demonstrabimus. Dionysius Halicarnassensis Lib. VI. refert: Idibus Quintil. Romae in memoriam victoriae, Castoris ac Pollucis beneficio, a devictis Latinis reportatae, quotannis pompam equestrem fuisse celebratam: tum *ab equitum proceribus* magnificum factum esse sacrificium: eo finito omnes equites trabeis indutos, tanquam e pugna reduces transivisse quasdam urbis regiones, donec ad Castoris aedem pervenirent. Iam si legens haec in memoriam revocat,

f) Dionys. Halicarn. Lib. IV. Το δὲ των ἱππιων πληθος ἐπελεξεν ἐκ των ἐχοντων το μεγιστον τιμημα και κατα το γενος ἐπιφανων.

g) Liv. lib. I. cap. 43.

revocat, sacrificiorum ius solis patriciis a Romulo assertum fuisse, sine dubio iudicabit, per equitum proceres Dionysium significare patricios, a caeteris natalium decore insigniter distinctos.

Natalium discrimen duplex genus equitum Romanorum constituisse, evidens, quod sequitur, argumentum porro corroborabit. Lato clavo, quem alii vestium exornationem, alii genus vestimenti putant, Senatores horumque filios, ideoque etiam antiquissimorum Senatorum prosapiam, patricios, usos fuisse pro insigni, ut angusto clavo cives equestris ordinis, indeque illos laticlavios, hos angusticlavios vocari solitos, perhibent historici *b*). Addo his: illos, qui eodem munere functi sunt, hoc natalium tamen insigni fuisse distinctos *i*). Si igitur in munere eodem constitutos equites natalium discrimen distinxit, quis dubitaverit, equites patricii sanguinis, licet nondum munere ornatos, a reliquis gregariis equitibus originis iure fuisse separatos? Quis illorum praerogativam

b) Sueton. in Augusto Cap. 38. Liberis Senatorum protinus virilem togam, *latum clavum* induere et curiae interesse permisit, militiam auspicantibus non tribunatum modo legionum, sed et praefecturas alarum dedit: ac ne quis expers castrorum esset, binos plerumque *laticlavios* singulis alis praeposuit.

i) Sueton. in Domitiano Cap. 10. Satis constat, duos venia donatos, *tribunum laticlavium* et centurionem.
Idem in Othone Cap. 10. Interfuit pater meus, Suetonius Lenis, tertiae decimae legionis *angusticlavius tribunus*.

Digitized by Google

vam non cognoscit, quos natalium ius, Romulo regnum gubernante, caeterorum duces fecit, quos militiam auspicantes Augustus imperator aut tribunos legionum aut alarum duces seu praefectos esse voluit. Hoc vero praecipuum equitis ex gente patricia orti ius inde a tempore Romuli usque ad Augustum imperatorem valuisse, memorabile exemplum Cneii Pompeii confirmat: is enim cum adhuc adolescens et privatus esset, militiam ab imperio consulari auspicatus est *k*). Colophonem impono meditationi de genuino ac principali equitum Romanorum discrimine, quia intra programmatis limites est subsistendum.

k) Epitome Tit. Livii Lib. LXXXXI. Cn. Pompeius, cum adhuc equester esset, cum imperio consulari adversus Sertorium missus est.

XI.

DE FLORIBVS LYGIIS VVLGO LILIA VOCATIS REGNI GALLIAE INSIGNIBVS

OTTO CHRISTIANVS DE LOHENSCHIOLD
PROF. HISTOR. PVBL. ORD. IN ACAD. TVBING. 1756.

§. I.

Materia, cuius explanationi haec nostra dissertatio destinata est, multis quidem exhausta posset videri, propterea quod a plurimis viris

viris doctis iam tractata, et a Celeberrimo Vesontionensi Medico IOHANNE IACOBO CHIFLETIO in peculiari opere, *Lilium Francicum veritate illustratum* inscripto, summa cura et eruditione sub examen fuit revocata: placuit tamen et nostram in medium proferre sententiam, et missis omnibus, quae huic consentanea, iam a CHIFLETIO dicto fuerunt, contra ipsum asserere; primo LVDOVICVM *Septimum*, Galliae Regem *Iuniorem* vel etiam *Florum* cognominatum, neutiquam flores, qui sub Liliorum nomine designantur, pro Regni Galliae insignibus usurpasse, cuius quidem rei gestae laus potius ad filium eius PHILIPPVM AVGVSTVM Galliae regem pertinet; et deinde, flores istos, (quos *Lilia hortensia* non esse vel sola illorum figura primo intuitu demonstrat) nec uti putavit CHIFLETIVS *Liliis*; quae vocant, *coelestibus* esse adnumerandos. Sunt autem nostra quidem sententia, flores in scuto francico depicti, *Irides imberbes luteae, nervo folii eminente* Hall. En. St. H. 281. sive *Acorum officinarum* Fuchs. 12. gemeine gelbe Schwerdt-Lilien, quibus nomen *florum lygiorum*, *Fleur de Lys* ideo fuit impositum, quod magno numero crescant in ripis nobilissimi Artesiae et Flandriae amnis, qui Latinis *Lygia*, *Legia Lisa* et *Liza*, Gallis *Lis*, *Lys*, *Lise*, Belgis *Lye* et *Leye* audit. Horum enim florum figura, non solum multo magis accedit ad similitudinem florum, quibus ornatum est scutum gallicum, quam lilium coeleste a CHIFLETIO exhibitum; verum etiam in tractatione dissertationis, alia subiungemus argumenta, quae rem fere extra

tra omnem dubii aleam sunt positura. *Iris imberbis lutea* nostra, depicta vivis coloribus extat in splendido opere quod sub titulo *Thesauri rei herbariae hortensisque universalis* prodiit Norimbergae, folio 176.

§. II. Antequam vero rem ipsam adgrediamur, brevissimis explicabimus, quid per verbum *insignia* debeat intelligi, et ad quae praecise tempora illorum origo referri possit. *Insignia* Germanis Wapen, Gallis *Armes*, *Armoiries* dicta, sive regnum aut provinciam quandam spectent, sive etiam arma gentilitia gentis et familiae cuiusdam constituant, nobis sunt *signa* sive *symbola* vel figuris in rerum natura, aut saltim in imaginatione, existentibus, vel nudis coloribus, in ipsis armis, praecipue scuto, expressa, et per longum temporis tractum, a possessore ad possessorem, a patre ad filium, eum in finem transmissa, ut possessionem et iura huc pertinentia, aut etiam natalium splendorem demonstrent.

§. III. Ex hac definitione, quae subiecto unice competit, patet, sine continuatione temporis longinqua eaque haud interrupta, non dari *insignia*, Wapen, *Armes*, *Armoiries*, et aperte ex eodem fonte fluit, omnia, quae ex nimio antiquitatis studio et amore, de *scientiae Insignium* sive *Heraldicae* vetustate, conscripta sunt, prorsus carere fundamento. Quis enim, ut de Babyloniis et Aegyptiis taceamus, Graecos aut Romanos vera gestasse *insignia*, contendet? Quis quaeso, ex loco Taciti male intel-

Digitized by Google

lecto, ubi Germanos scuta variis coloribus distincta gestasse affirmat, asserere audebit, proavos nostros heraldicam calluisse artem? Eodem enim iure posset idem praedicari de Americanis gentibus nostra quidem aetate subsistentibus, qui scuta reliquaque arma, imo et ipsa virorum corpora variis signant et distinguunt coloribus. Manifestum itaque est, signa, colores, symbola, et figuras, ab antiquis vel exteris vel nostratibus, in bellis aliisque publicis negotiis usurpata, neutiquam vera fuisse insignia, quorum essentia in eo consistit, ut omni tempore idem symbolum sive signum, ab eodem populo, urbe vel etiam familia fuerit in armis denotatum. Haec, quam nostram facimus, opinio, Summis viris *Labourerio*, *Gelenio*, *Welsero*, et *Menestrerio* arrisit. Brevitatis causa, huius tantum verba allegabimus *Menestr. Method. abregée p.* 19. *Les figures des anciens boucliers et des enseignes militaires des Grecs et des Romains etoient de simples devises qui n'ont jamais servi te Marque de Noblesse parmi eux, comme sont les notres. On peut neantmoins dire, qu'elles ont servi de modèle à nos blasons, comme les Hieroglyphes des Aegyptiens ont été le premier modele des devises.*

§. IV. Quaeritur itaque, ad quod tempus, origo insignium praecise sit referenda. Scuta proavorum nostrorum, imo vexilla, banneria, carocia aliaque huius generis, variis figuris insignita fuisse omni tempore, neminem, harum rerum peritum, latet. Sed haecce symbola

Digitized by Google

bola a cuiusvis pendebant nutu, et pro lubitu variabantur, nec uti nostris evenit temporibus, transferebantur in successores atque posteros. De variis circa inventionem insignium sententiis, luculenter egit Vir de arte Heraldica immortaliter meritus PHILIPPVS IACOBVS SPENERVS in *Insignium theoria* Parte I. cap. 2. p. 40. seqq. Qui insignium originem ad CAROLVM M. vel HENRICVM AVCVPEM referunt M. WELSERVS aliique, falluntur pariter atque illi, qui FRIDERICI I. Imperatoris temporibus insignia exorta fuisse contendunt, PAVLI IOVII autoritate suffulti. Recentiora namque esse HENRICO AVCVPE, anteriora FRIDERICO BARBAROSSA, ex eo abunde elucet, quod nulla adhuc dum producta fuerunt vera insignia, quorum aetas ultra seculum P. C. N. duodecimum ascendit, cum econtrario plura et genuina existant, quae regimen FRIDERICI I. antecedunt. Nec magis arridet sententia eorum, qui insignia simul cum haereditate feudorum exorta fuisse contendunt. Cum enim notissimum sit, feuda sive maiora sive minora, per integrorum seculorum spatium prius in Franco-Gallia haereditaria reddita fuisse quam in Germania vel Italia, quaerendum erit, cur insignium usus non primo loco in Franco-Galliam sit invectus? Addamus argumentum adhuc multo gravius. Vsus insignium per naturam rerum, Imperiis atque Regnis prius debuit affectari quam feudis, et si de feudis sermo sit, tum maioribus prius quam minoribus, quod tamen factum fuisse ex historiarum monumentis non potest elici. Si enim, quod est certissimum,

nullus Europae Regum sive Principum ante seculum duodecimum ea, quae successores eius retinuerunt, gestavit insignia, tum incongruum omnino foret talia nobilibus tribuere. Nostram autem antequam exponimus sententiam, iudicium Laudati SPENERI de hac controversia placet exhibere. *Inter tam varias sententias verum invenire difficile admodum videbitur, neque nos nobis arbitrium sumemus. Forte tamen plerasque aliquid ex vero sententias trahere, ex illo patebit, si observes paulatim alia et alia inventa esse, et quae uni usui adhibita erant aliis dein adhiberi solita: donec tandem paulatim in eum modum res redacta est quo nunc insignia sunt.*

§. V. Insignia, uti innumera alia, quae faciem et mores totius Europae immutaverunt, originem suam unice debent *Passagiis* sive *Expeditionibus cruciatis*, ubi circa finem seculi undecimi, excitae ex intimis penetralibus universae fere Christianae reipublicae vires in Asiam a Muhammedanis occupatam incubuerunt. Iis quidem temporibus mixtis et congregatis tot, variis linguis, consuetudinibus, et sentiendi modo distinctis populis; addita insuper difficultate recognoscendi Viros et Duces omni ex corporis parte ferro cinctos et cooperto, ipsa rei natura iussit, ad signa sive symbola, armis externe inserta, recurrere, ut facilius Imperator et proceres uniuscuiusvis gentis possent agnosci. Hinc evasit necessitas in formam artis et systematis redigendi praecepta de diiudicandis hisce insignibus, quae quidem vera scientiae heraldicae

Digitized by Google

cae origo est existimanda, et insuper est sententia *P. du Val. observ. sur le blason. p.* 3. ubi ita loquitur: *L' usage des armes est fort ancien, mais les regles et les preceptes du blason n' ont gueres été suivies qu' aprés les croisades et les voyages qu' on a fait en terre sainte.* Virum eruditissimum hic per vocem *Armes* ea intelligere, quae *Menestrierius* in loco a nobis citato per vocabula *de simples deviſes* expressit, in aprico est positum. Aliorum nobiscum sentientium Autorum suffragia recensere supervacaneum duximus, dum ipsa res loquitur. Cum enim ante *passagiorum* tempora ne unicum quidem insignium exemplar, nullis gravibus dubiis obnoxium, possit produci, statim in ipsis Expeditionum Cruciatarum primordiis varia huius instituti exempla occurrunt, quae suspecta censeri non debent; licet ex altera parte negari non debeant, imo dissertationis nostrae confirment obiectum, quae *Menestrierius* (qui alio et quidem priori tempore aliter senserat) affirmat, in *l' art du Blason iustif. C.* 17. *p.* 304. Regnum Philippi Augusti Galliarum regis, quod ultimos seculi duodecimi annos cum primis seculi decimi tertii annis complectitur, vere dici debere tempus ortus insignium.

§. VI. Hisce praemissis iam progredimur ad originem insignium Regni Galliae, qui nobilissimis, qui unquam floruerunt, merito adnumeratur. Supra iam observatum fuit, in hac tota materia investiganda, merito supponi debere, et ex rei natura fluere, magnorum statuum et potentiorum principum insignia primo

Digitized by Google

loco introducta fuisse. Cum itaque insignia illustrium hodienum vix occurrant, liliis francicis, uti vocantur, vetustiora, exinde concludere licebit, quae in horum erectione observata fuerunt, etiam ad reliqua omnia posse applicari. Hoc tamen probe observandum, per *ortum insignium*, quam expressionem in gratiam *Menestrierii* adoptavimus, non praecise rei incunabula intelligi debere, sed primam operis perfectionem, quae postea aliis fuit exemplo. Notissimum enim est post Passagiorum initia, insignia, in sensu abusivo, (nempe quae per praescriptionem longi temporis non fuerunt firmata) introducta fuisse. Temporibus enim ipsius PHILIPPI AVGVSTI, Insignia Imperatoris OTTONIS IV. in Caroccio Imperii in decretali pugna ad Bovinacum erecta, effigiem draconis exprimebant, quam ipsius successores non pro symbolo retinuerunt. Restat itaque nobis evincendum, PHILIPPVM AVGVSTVM, neutiquam vero patrem eius LVDOVICVM FLORVM, uti tamen credidit summus CHIFLETIVS, autorem extitisse inferendi *Lilia* sive *flores lygios* scuto regio gallo-francico: qui quidem ab omnibus eius successoribus pro regali tessera habiti, modum et consuetudinem, conservandi et posteris tradendi insignia, firmaverunt.

§. VII. Cum nostri instituti ratio haud exposcat, ab aliis dicta, recapitulare, et dudum comprobata per modum repetitionis lectoribus nostris in memoriam revocare; ita a CHIFLETIO contra TRISTANVM aliosque summo argumentorum

torum robore ſtabilitum eſſe ſupponimus; florem Lilii non eſſe vetus Galliae ſymbolum, non geſtamen deae ſpei, quandoque in veterum Romanorum numismatibus obvium, ubi tamen neutiquam *lilium* ſed *ſpicam tritici* deſignat. Ponimus pariter, omnia, quae de coeleſti origine et antiquitate liliorum Francicorum referuntur, fabuloſis narrationibus eſſe adnumeranda, et denique quod iam ſupra adſtructum fuit, ſymbola ſcutaria virorum nobilium certa non fuiſſe in familiis nobilium ante ſeculum undecimum vel duodecimum; id quod CHIFLETIVS Cap. VII. p. 47. ſqq. variis exemplis et auctoritatibus de ſcutis Regum, Principum, Ducum, et Comitum praecipuae dignationis, ac denique familiarum nobilium in *Lilio Francico veritate illuſtrato* ſatis ſuperque comprobavit. Iam igitur reſtat, ut argumenta CHIFLETII, quibus LVDOVICO VII. Galliae Regi introductionem Liliorum in ſcutum regale tribuit, ſub examen revocemus. Probat primo loco, LVDOVICVM VII. in regalibus ornamentis primum inter Reges Lilia uſurpaſſe, ex charta eiusdem regis de anno 1179 in Acta camerae computorum Pariſienſis relata, quam publici iuris fecerunt TILLETVS et GOTHOFREDVS, ubi pro PHILIPPI filii ſui inauguratione iuſſit, *Lilia* eius veſtimentis intexi. Verba ſic ſonant: *Poſtmodum poſitis ſuper Altare corona regia, gladio in vagina incluſo, talcaribus aureis, ſceptro deaurato, et virga ad menſuram unius cubiti vel amplius, habente deſuper manum eburneam; Item caligis ſericis et* IACINTHINIS, *intextis per totum* LILIIS AVREIS *et tunica eiusdem* CO-

Digitized by Google

LORIS *et* OPERIS, *in modum tunicalis, quo induuntur subdiaconi ad Missam, nec non et socco prorsus eiusdem* COLORIS *et* OPERIS, *qui est factus fere in modum cappae sericae absque capparone: Quae omnia Abbas S. Dionysii in Francia de Monasterio suo debet Remis apportare et stans ad altare custodire.* Habemus hic non modo Lilium aureum vestimentis regiis intextum, verum etiam colorem *hyacinthinum*, *violet*, non multum a *caeruleo*, quo nunc fulget scutum regium, discrepantem. Alterum CHIFLETII argumentum desumtum est a nomine Regis, qui LVDOVICVS FLORVS appellatus fuit. Observat vir eruditissimus, morem illis mediis seculis passim usitatum fuisse, ut principes duobus praediti essent nominibus, quod ante illum iam asseruerat ANDR. DV CHESNE in *Historia Vergiacensi* nec non et in *Drocensi*. LVDOVICVM FLORVM autem, ultimum nomen, in gratiam FLORI Ebroicensis Comitis, avunculi sui, accepisse testatur BLONDELLVS *Lib. de formula p.* 64. Confirmat hoc auctoritas *Orderici Vitalis Monasterii S. Ebrulfi in Normannia alumni*, scriptoris coaevi, qui tribus locis a CHIFLETIO citatis LVDOVICVM VII. LVDOVICVM FLORVM appellat. Concludit exinde CHIFLETIVS, praedictum Regem ideo, quod FLORVS nominaretur, LILII FLORES pro tessera primum assumsisse, et ad PHILIPPVM AVGVSTVM filium suum transmisisse, a quo deinde in scuto ceteri Reges gestarunt. Vnicum huius assertionis fundamentum positum est in allusionibus vel congruis vel incongruis, quas fecerunt scriptores coaetanei occasione nominis FLORI. *Autor Chronici*

Digitized by Google

nici Mauriniacenſis Lib. 3. LVDOVICVM VII. *Floſculo* redolentiori, per modum alluſionis comparat; Alluſit pariter ALEXANDER III. Pontifex cum anno 1164. LVDOVICO, Lutetiam roſam auream mitteret, quam in epiſtola aliquoties FLOREM *aureum*, nusquam Roſam auream vocat. In epitaphio LVDOVICI FLORI regis, quod apud DV CHESNE extat, verſus occurrit

Rege ſub iſto
Floruit eccleſia libera, laeta, potens.

Et quae ſunt ſimilis generis teſtimonia alia, quorum allegatio, quod pace tanti viri dictum ſit, iudicio acutiſſimo CHIFLETII non ſatis digna videtur.

§. VIII. Hae rationes in medium a CHIFLETIO prolatae noſtra quidem, ſententia nihil probant. Quod enim primam attinet, obſervavit ipſemet CHIFLETIVS, omnes Galliae Reges, LVDOVICO VII. anteriores, nec in vexillis, nec in Monetis aut ſigillis LILIA geſtaſſe, unde eorum erectionem in *Inſignia Regni*, ad illos neutiquam pertinere recte concludit. Et haec quidem obſervatio contra ipſum litem decidit. Si enim nec in LVDOVICI VII. ſigillis Lilia reperiuntur, tum prono fluit alveo, nec ipſi introductionem LILIORVM tribui debere. Aſſerit quidem DAVID BLONDELLVS *Tom. I. p.* 346. *Lilium Regum noſtrorum ſcutis nullum, ante* LVDOVICI VII. *aetatem, impreſſum fuiſſe, nobis ex veteribus ſigillis compertum eſt?* Sed nemo hactenus ſigillum Liliatum LVDOVICI Iunioris publici fecit iuris. Vulcum quidem deſcriptum exſtat apud

Digitized by Google

PETR. DE MIRAVMONT *Lib. de Cancell.* Paris 1610. fol. 132. *I' ai vû et lû tiltre en l' abbaye St. Victor les Paris, ſeellé d' un ſeel de cire tirant ſur le rouge auquel eſt empreinté d' un coté l' image d' un Roi aſſis, tenant en ſa main droite une fleur de Lis, et de l' autre l' effigie d' un homme à cheval, comme eſtant le Duc d' Aquitaine, et à l' entour d' icellui ſeel, étoit ecrit d' un coté, Ludovicus Dei gratia Francorum Rex, et de l' autre Dux Aquitaniae.* Verum hoc *Miraumontii* teſtimonium exinde evaneſcit, quod praedictum ſigillum in Abbatia Sti. VICTORIS hodienum non exſtat, cui addimus ANDREAM DVCHESNE, qui omnia Franciae Archiva ſummo labore excuſſerat, paulo poſt, ſcilicet An 1629. ſcripſiſſe, *je n' ai jamais remarqué de fleur de Lis dans les ſçéaux des Rois de France devant Philippe Auguſte.* Sententiam Cel. DV CHESNE firmat IOH. BAPT. HAVTINVS *fol.* 14. qui, cum Franciae Regum ſigilla ederet, a Liliato PHILIPPI AVGVSTI ſigillo incepit, quod etiam praeſtitit OLIVAR. VREDIVS *Tab.* 39. Tota itaque quaeſtio huc redit, an ex *Liliis aureis*, veſtibus regalibus, quae LVDOVICI VII. filii inaugurationi deſtinatae erant, intextis, *Inſignium Francicorum* prima origo poſſit deduci; quod quidem iure meritoque negatur. Ex veſtium enim apparatu et ſtructura, nullibi unquam ad *Inſignia* fieri poteſt applicatio, niſi aliae inſuper concurrant circumſtantiae, quae hic loci non exiſtunt; proinde inſignem differentiam, quae inter colorem *hyacinthinum* et *cyaneum* ſ. *caeruleum* Gal. AZVR, occurrit, ſicco praeteribimus

ribimus pede. Quae vero circa alluſionem ad FLORI nomen a CHIFLETIO in medium fuerunt producta, ita quidem ſunt comparata, ut confutatione ſeria opus non habeant. Probant enim tantum poſſibilitatem, neutiquam fere exiſtentiam rei, cum ex una parte nulla adſit ratio, cur ex innumeris florum generibus, LILIA unice LVDOVICO VII. arriſerint, ex altera vero graviſſimae adſtrui poſſint, propter quas PHILIPPVS AVGVSTVS, LVDOVICI VII. filius, FLORES vulgo hoc nomine inſignitos, in ſymbolum regale ad poſteros transmittendum, receperit.

§. IX. Cum iam ſit comprobatum, Reges Galliae LVDOVICO VII. anteriores, *Liliis pro regni Inſignibus* uſos non fuiſſe, cum deſuper ad ipſum LVDOVICVM FLORVM hoc non pertinere inſtitutum, ſuperiori paragrapho ſit evictum, erit iam demonſtrandum, qua occaſione PHILIPPVS AVGVSTVS eius filius, *flores Lygios ſ. Legios*, qui vulgo ſub *Liliorum* denominatione ſunt cogniti, in regalem et poſteris tradendam teſſeram ſcuti Franco-Gallici aſſumſerit. Principe loco conſiderandum venit, eo, quo PHILIPPVS AVGVSTVS ſolium regium conſcendit, tempore, uſus et conſuetudines, quibus PASSAGIA locum praebuerunt, convaluiſſe, et in formam artis fuiſſe redacta. Non itaque mirandum, PHILIPPVM noſtrum morem ſeculi ſui imitatum fuiſſe, qui in eo conſiſtebat, ut ſymbola, armis inſcribenda, repeterentur a facto vel utili vel glorioſo, quod poſſeſſori *Inſignium* evenerat. Adquiſitionem autem fecit praedictus Rex,

inſignis

insignis regionis ad fluvium Legiam positae, quae praeter Atrebatensem comitatum etiam haud levem *Picardiae* partem complectebatur. Placeat hac de re adire *Chronicon MS. ex Archivo S. Dionysii prope Parisios ad An.* 1180. quod exstat *apud Doublet. lib.* 4. *c.* 9. *p.* 1232. *Anno MCLXXX. die ascensionis Domini Rex* PHILIPPVS *uxorem duxit* ISABELLAM *filiam Comitis Hannoniae* BALDVINI, *neptemque Comitis Flandriae de sorore et cum ea, prout tractatum fuerat, recepit Atrebatum cum omni terra, quae fuerat comitis circa fluvium* DV LYS. Similiter ROGER AB HOWEDEN *Post Pascha vero* PHILIPPVS *Rex Franciae duxit in uxorem filiam Comitis de Hannonia, neptem Comitis Flandriae, filiam sororis suae: cui idem Comes Flandriae dedit in maritagio, cum nepte sua, totam terram de Vermandois usque ad aquam de Lys.* Vid. etiam de universo hoc negotio *Olivarium Vredium in sigill. Comit. Flandriae pag.* 61. *ad Ann.* 1180. Hic altius assurgendum. A Comite PHILIPPO *Flandriae*, uti ex praedictis patet, universus tractus trans *Legiam fluvium* positus, una cum Comitatu Veromanduansi Nepti eius Isabellae in dotem fuerat concessus. *Legia* itaque vel *Lisa*, statibus tam Galliae Regis, quam Flandriae Comitis, loco limitis erat proposita. Hinc cum illa aetas symbolis maxime delectaretur, evenit, ut ambo in numismatibus et sigillis florem, flumini praedicto familiarem, et in eiusdem ripis fere ubique obvium, exprimerent. Sigillum Regis Franciae huc pertinens exhibuit CHIFLETIVS in saepe laudato *Lilio Francico.* p. 68.

PHILIPPI

Digitized by Google

PHILIPPI autem *Alsatici*, Comitis Flandriae extat apud *Oliv. Vredium in sigill. Comit. Flandr. l. c.* Notandum insuper, PHILIPPVM AVGVSTVM ex eo tempore *Flores Lygios* semper pro *insigni* usurpasse, licet non constet, illum numerum florum ad ternarium restrinxisse. Ita RIGORDVS de pugna ad Boviniacum sub praefato PHILIPPO AVGVSTO Rege ad Ann. 1215. *Accurrunt quantocyus ad aciem regis, uti videbant* SIGNVM REGALE, *quod est vexillum* FLORIBVS LILII *distinctum.* LVDOVICI VIII. PHILIPPI AVGVSTI filii uxor Blanca, quae Abbatiam foeminarum ordinis Cistercienſis, *Lilium* vocatam, fundavit in numis aureis, tota *liliata* repraesentatur. Cum itaque PHILIPPVS AVGVSTVS omnium Regum Galliae primus, in *sigillo*, *lilium* gestans appareret; cum ante ipsum in *vexillo sive Pannerio Regio*, *Lilia* non sunt conspecta, cum omnes eius successores sine interruptione, *Lilii flores* pro veris *Insignibus regni* habuerunt, et nostris adhucdum temporibus reputant; cum denique causa, occasione cuius PHILIPPVS AVGVSTVS Lilia scuto regali inseruit, utilis et gloriosa regi pariter atque regno extitit, demonstratum esse credimus, saepe memoratum Regem pro autore *Insignium Franco-Galliae Liliatorum* debere reputari.

§. X. Superest nunc, ut evincamus, flores, in scuto regali Franco-Gallico fulgentes, non esse *Lilia hortensia vulgaria*, nec ullam aliam Liliorum speciem, itaque nec *Lilium coeleste* CHIFLETII; sed esse *iridum speciem*, Gallis *Flambes*

Digitized by Google

Flambes nobis gemeine Schwerdt-Lilien, vocatam, cuius descriptionem §. 1. dedimus. Lilia Hortensia vulgaria hic exulare debere, praeter ea, quae monuit CHIFLETIVS, color demonstrat, multo magis autem demonstrat ipsa liliorum figura, quae plane non potest conciliari cum floribus tum in Sigillo PHILIPPI AVGVSTI, tum in scuto moderno Regum Galliae depictis. Neutiquam negare volumus *Lilium coeleste*, cuius figuram dedit CHIFLETIVS in *Lilio Francio p.* 127. quodque ipse *symbolum insignium Francicorum* esse reputat, multo magis huic assimilare, quam *Lilia Hortensia*. Verum obstant magnae difficultates. Dabimus descriptionem *Lilii*, quod vocant, *coelestis* ex BAVHINO *Lib.* 19. *cap.* 16. desumtam. *Iris vulgaris caerulea folia habet unciam lata aut latiora, rigida, striata in cultratum mucronem, aut gladii exeuntia, flores amoeni violacei, tribus foliis repandis, per oras infimas albo violaceoque variegatis, totidem surrectis, obtusis mucronibus, et fere rotundis, carinata inclinatione coeuntibus.* Iam florem ita descriptum non quadrare ad flores, quibus resplendet scutum Franco-Gallicum, commonstrabimus. Primo loco color *Iridis vulgaris caeruleae* cum colore florum insignia Francica constituentium neutiquam conspirat, quoniam hi *aurei* s. *flavidi*, quod eodem redit, apparent, illi vero sint caerulei. Quia vero unius et eiusdem coloris figura, eiusdam etiam coloris areae imposita, cunctis Heraldicis regulis repugnat, omnis potius alia quam haec sententia debet admitti. Addamus graviorem adhuc obiectionem. Extat locus WILHELMI

NANGII

NANGII *in Gestis* S. LVDOVICI *Regis* autoris maximi ponderis, qui dirimendae universae litis potest sufficere. Obiit autem NANGIVS regnante PHILIPPO PVLCHRO Rege, annos circiter centum postquam Capetingici Reges flores hosce toties memoratos, in sacrum Regiae Maiestatis symbolum adoptaverant. Verba ipsa haec sunt: *Consueverant Reges in suis* ARMIS et VEXILLIS FLOREM LILII *depictum* CVM TRIBVS FOLIIS *comportare.* Quae de *tribus foliis* narrat WILHELMVS NANGIVS, probe sunt observanda. Si illorum applicationem feceris ad *Lilium coeleste* ex sex foliis constans, CHIFLETII hypothesis uno ictu corruit, nisi textui modo allegati auctoris summam velis inferre vim, qua non opus erit, si nostrae, quam iam in medium proferemus sententiae, adiiciatur albus calculus. Noster flos, quem pro symbolo gentilitio Regum Franciae proponimus, *Iridem* sistit, *imberbem luteam*, *nervo folii eminente*, *Haller. Enum. Method. stirpium Helvet. Indigen. p.* 281. *foliis ensiformibus*, *corollis imberbibus*, *petalis interioribus stigmate minoribus Cliff. p.* 19. *Roy. p.* 18. tribus, si figuram ipsam praedicti floris consideres, foliis constantem. Color floris nostri amice conspirat cum *floribus scuto liliato insertis. Campus saphirinus*, in quo fulgent, proximitatem *Legiae* fluvii designat, cuius intuitu pro symbolo PHILIPPI AVGVSTI fuerunt introducti. Figura *floris Lygii*, *s. Iridis imberbis luteae* a nobis allegata, optime correspondet floribus, in scuto Gallico depictis, et nullae imaginationis vires hic in subsidium sunt revocandae, ut similitudo inde excrescat. Addamus

Digitized by Google

mus aliud argumentum sane speciosum, et a denominatione iridum nostrarum desumtum, quae, uti supra denotavimus, Germanis veniunt gemeine Schwerdt-Lilien, latine autem a FVCHSIO *gladiolus luteus*, *Gladiolus luteis liliis*, a GESNERO vero *Lilium aquaticum flore luteo*, vocantur. Esse autem Insignia regni francici *flores gladioli*, Gallis GLAIEVLX, comprobatur ex duobus locis NICOLAI VPTONI, scriptoris qui annis abhinc circiter trecentis vixit. Ille nimirum, Lib. 3. p. 108. scutum Francicum sic describit: *Scutum cum campo Azorio*, *et* TRIBVS FLORIBVS GLADIOLI, *coloris aurei*. Et alio loco lib. IV. p. 155. *Tres* FLORES GLADIOLI *de auro in campo Azorio*. Cui addendus IOHANNES FRANEAV Duacensis, in *horto hiemali*: *aucuns comptent le* GLAYEVL *pareillement au nombre des* LIS, *et de fait*, *les peintres et autres artisans voulant representer en leur art les* FLEVRS DE LIS *ils representent plutôt les fleurs de* GLAYEVLS. Addamus ultimo loco argumentum omnium firmissimum: Si fere omnes Europae gentes, *floribus*, quibus ornatum est *scutum gallicum*, nomen imposuerunt, quod Liliis neutiquam convenit, et nulla alia ratione potest explicari, quam si originem huius symboli a *Lisa* amne velis deducere; tum certe hypothesi nostrae summus probabilitatis gradus non debet denegari. Hoc autem sole clarius potest deduci. Ipsimet Galli flores, de quibus sermo est, vocant *Fleur de Lys*. *Lilium* vero in ipsorum lingua simpliciter *Lys* vocatur, nec unquam vocabulum *fleur* adiicitur, uti nec fit in vocabulis *Rose*, *Oeillet*, *Tulipe*. Italis, qui

Digitized by Google

qui lilia *Gigli* vocant, insignia gallica audiunt *flor de Ligi*; Hispanis, Lilia communia *Lirios* vocantibus, *Flor de Lises*; Anglis autem, qui Lilia *Lillies* nominant, sub vocabulo *Flower de Lices* sunt cognita, uti Belgis sub titulo *Lisch Bloomen*, et Lusitanis *Flores de Lis*. Haec cum ita se habeant, nulla alia etymologia, quam quae a *Legia* s. *Lisa* fluvio deducitur, in cuius ripis hoc *lilium aquaticum flore luteo* frequenter crescit, concipi poterit. Et sic satis superque a nobis evictum fuisse confidimus, *flores Lygios*, s. *Irides imberbes Luteas*, *in Legiae ripis frequenter obvias*, *a* PHILIPPO AVGVSTO *Franciae Rege primum pro sacro et regali Franco-Galliae symbolo usurpatos*, *et deinde per continuationem eiusdem Symboli*, *quod successoribus eius placuit*, *in insignia regni fuisse evectos*.

§. XI. Coronidis loco addamus adhuc observationem singularem, ad obiectum huius dissertationis pertinentem. Prodiit viginti circiter abhinc annis *Hagae comitum* Liber, inscriptus *Histoire des revolutions de France par Mr. de la* HODE liber summo cum ingenii pariter et iudicii acumine conscriptus, sed cuius auctor principiis, quae HARDVINVS circa extrema vitae tempora ventilabat, imbutus, praesertim, quicquid antiquas res attinet, pyrrhonismo historico iusto nimium indulget. Praedictus scriptor, licet leviter tantum rem attingat, unam eandemque nobiscum tuetur sententiam, quae in eo consistit, ut *Liliorum* s. *florum Lygiorum* in scutum Franco-Gallicum erectionem ad PHILIPPVM AVGVSTVM referat unice. Consequentia autem,

quam ex hac assertione derivare contendit, inconsequens est omnino, et ad evertendam omnem historicam fidem adaptata. Postquam enim paucis plagulis sententiam suam exposuit, summa cum temeritate exinde concludit; *Histoire des Revol. de France p.* 375. omnes testes Historicos, qui *Lilia* aut *flores Lygios* (verba synonyma) insignia Regum Franco-Gallorum ante PHILIPPVM AVGVSTVM fuisse affirmant, mendaces esse et supposititios, nec ante Seculi decimi quarti tempora, annosque eius fere postremos, vixisse. Ex hac ratione in classem mendacium vel supposititiorum auctorum collocat WILHELMVM NANGIVM in loco supra a nobis citato, *Rigordum* pariter a nobis allegatum in narratione proelii ad Bovíniacum gesti, et denique ipsam *Chartam* LVDOVICI VII. quae de regali inauguratione filii sui PHILIPPI AVGVSTI tractat, et cuius tenorem aeque fistit haec nostra dissertatio. En ipsissima eius verba p. 375. *De ces faits de ces remarques qu'on ne peut revoquer en doute auroit on tort de conclure, que tous les écrivains qui disent que des lis ou des fleurs de Lis, ont été les armes des Rois de François sont supposés, et qu' ils mentent en disant qu' ils ont ecrit avant le quatorzieme siecle, même assés avancé; car ce ne peut être qu'apres un nombre de siecles assés considerable, que la memoire de ces fleurs a pû s' effacer. Sans balancer on peut mettre en ce nombre Guillaume de Nangis que les autres disent étré mort en* 1301. *Dans les gestes de St.* LOVIS *il parle de la sorte: Consueverunt Reges in suis armis etc. Quel que*

soit

Digitized by Google

soit cet écrivain il n' a écrit au plûtôt que sous CHARLES VI. *Il en est de même de Rigord, qui parle ainsi de la bataille de Bovines, Accurrunt quantocyus etc. Il faut y joindre ce mandement de* LOVIS VII. *pour le Couronnement de Philippe son fils. On mettra sur l' autel la couronne royale etc. La fiction de ce mandement ne peut être attribuée qu' à ceux pour qui il est honorable. On doit mettre au même rang tous ces écrits, tous ces monumens, où l' on voit des Lis ou de fleurs des Lis pour armes aux Rois de France avant la quatorzieme siecle*; et quae sequuntur eiusdem generis. Omnia haec asserta vana sunt et temeraria, ad subvertendam totam fidem, monumentis historicis debitam, excogitata. Quis enim unquam sanae mentis homo serio adstruxit, autores, qui in disciplina tam dubia, et tot tricis implicita, ut est scientia heraldica, errorem admiserunt, esse vel mendaces vel supposititios? Concessa tamen assertione *Dni de la* HODE quid inde sequeretur? HODIVS tempore demum CAROLI VI. numerum Liliorum ad ternarium reductum fuisse, contendit, NANGIVS asserit, Reges consueviſse *florem Lilii depictum cum tribus foliis comportare*, ergo NANGIVS CAROLO VI. non potuit esse anterior: Quae quaeso consequentia? Idem dicendum de instantia contra *Rigordum* formata; Agnovit enim HODIVS, Philippum Augustum autorem et inventorem fuisse Liliorum, vel quovis alio nomine denotare velis flores scuto gallico insertos; Cur itaque miratur, *Signum regale* temporibus Philippi Augusti *Vexillum* fuisse *floribus Lilii distinctum*?

ctum ? Mandatum LVDOVICI VII. loquitur de veſtibus regalibus liliis intextis ornatis : ergone erit ſuppoſititium ? Sed quid ſtatuendum foret, ſi veſtibus regalibus, leones, aquilas, ſeu quamcunque aliam figuram, intexi iuſſiſſet? Certe exinde non poſſet elici, praedictam figuram *inſignia regni* conſtituiſſe; multo minus autem hinc concludi debet, mandatum Regis eſſe fictitium; quippe quae ſuppoſitio omnem exuperat abſurditatem. Sed fundamentum ipſum, quo nititur falſa HODII hypotheſis, eſt deſtruendum. *Ce ne peut être qu' aprés un nombre de ſiecles aſſés conſiderables que la memoire de l' origine* (inquit) *de ces fleurs a pû s' effacer.* Haec propoſitio eſt falſiſſima. Neminem enim latet, memoriam originis *inſignium* plurimorum non tam deperditam quam omnino ignotam fuiſſe, cuius rei vel ſola *Inſignia Luſitanica* exemplum poſſent ſiſtere, omni exceptione maius. *Aquila biceps*, Imperii Romano Germanici Regale Symbolum, trium circiter abhinc ſeculorum intervallo, recepta fuiſſe creditur; memoria autem eius originis, ignorata potius ſemper fuit, quam per longum temporis ſpatium deperdita; Nam qui primus hanc materiam tractandam ſumſit, non minus rem infectam reliquit, quam ille, qui ultimus calamum ſtrinxit.

XII. Me-

Digitized by Google

XII.

MEMORIA SECVLARIS CVRIAE NORIMBERGENSIS ANTE HOS CENTVM ANNOS SPLENDIDIVS RENOVATAE ATQVE AMPLIFICATAE ORATIONE PVBLICA IN ALMA ACADEMIA ALTOREINA IPSIS NONIS APRILIBVS ANNI 1719 PIE CELEBRATA

A

IOH. CONR. SPOERL

NORIMB.

Tanta sunt et tam eximia, Civiumque praecipue suorum oculis quotidie obvia, Norimbergae ornamenta, ut si liberae huius S. R. I. civitatis laudes in praesens celebrare vellem, non tam copia, quam modus in dicendo quaerendus esset, neque etiam venia ut spero, instituti mei petenda videretur. Faceſſat enim operosa excusatio ubi orationem communis illa, qua natali quisque solo obstrictus est, obligatio nobis dictat. Mihi enim Norimbergae nato nemo, opinor vitio vertet, quod, data singulari occasione, meae erga hanc suavissimam patriam pietatis quoddam publicum testimonium extare cupiam; quandoquidem nihil sanctius, nihilque iucundius esse solet, quam terram illam, quae mater cuique contigit, amore perpetuo prosequi et amplecti. Id quod ab hoc loco eo minus alienum videtur esse, quo magis id patet, Celeberrimam hanc Academiam filiam esse alumnamque Illustris Norimbergensium Reipublicae,

Digitized by Google

quippe a qua et ortus suos duxit, et cuius auspiciis atque munificentia eruditissimos semper Doctores nacta est, talibusque Celeberrimis Viris adhuc gaudet, cui etiam, quicquid habet ornamentorum et incrementorum, ipsa se debere profitetur. Operis vero ipsius ea est amplitudo, ut difficilius sit, exitum quam principium invenire. Antiquitas et origo Norimbergae primae se mihi offerunt, quae eo maiori consideratione dignae sunt, quo magis de locorum celebritate, diuturna illorum felicitas testatur, et quo certius plerumque praedicunt futuram magnitudinem, rerum magnarum primordia. Si ad splendorem Norimbergae attendere velim, dies me deficeret enumeraturum quae ibi memoratu digna occurrant, et quam florida, per multa iam secula, civitatis huius fuerit conditio. Rarissima autem et praecipua haec felicitas prae aliis Norimbergae divinitus contigit, ut eos semper Patres revereatur, quos nec auctoritas ab humanitate, nec natalium munerumque amplitudo a civium amore, nec curarum molestiae a provehenda patriae salute unquam avocent, et quos adeo revera Patres dixeris, si vel tenerrimam, qua in suos feruntur voluntatem, vel honorem quo exsplendescunt, vel sapientiam, qua praediti bono publico egregie consulunt, studiosius contempleris. Cum qua laudis parte magnam affinitatem habet artium et commerciorum, quibus cives celebrantur, florentior status, illud felicis optimeque constitutae Reipubl. argumentum evidentissimum. In his etenim studiis rerum gerendarum nervus consistit, quo

Digitized by Google

quo reliqui artus et universum corpus eo arctius contineantur. Et quid de rerum per multa secula gestarum gloria loquar? quae longe lateque pervagata nemini obscura esse potest, qui veterum etiam exterorum, monimenta et annales unquam evoluit. Sunt ad huc plura quae sermonem meum detinere possent, e quibus tamen iam unicum modo argumentum seligam, laudes et facta curiae Norimbergensis brevi oratione, non tam delineaturus, quam, ut permittent vires, leviter adumbraturus. Vt autem de hac re potissimum differere constituerim, ipse hic dies me admonuit, quo ante hos centum annos inferioris anguli Curiae huius renovatae et splendide amplificatae primus iactus est lapis, et cuius memoriam etiam nummorum, publice tunc excusorum, monimenta gratae posteritati commendarunt. Vos, Auditores, dabitis id pietati, quam patriae meae debeo, ut sermoni meo, licet incomto, et pro rei dignitate minus gravi, aures benevolas aliquantisper praebere ne dedignemini.

Cum nulla Respubl. consistere possit sine legibus, nec leges ferri, nisi a principibus civitatis; hinc eorum auctoritas maximi semper habita et aestimata est, qui in commune consulunt, et ad utilitatem publicam omnia sua conferunt suffragia. Sed neque heic substitit populorum religio, quin et loca, ubi consultationes eiusmodi institui solebant, et ubi senatus conveniebat, sacrosancta haberent, eodemque fere cultu, quem templis Deo dedicatis deferebant,

bant, profequerentur. Tantum abfuit, ut Supremum Numen conſuetudinem hanc improbaret, ut potius inter ipſos Abrahami poſteros atque in gente divina, maxima ſemper veneratione dignae ducerentur aedes, ſolennibus Synedrii, ut vocabant Magni conventibus deſtinatae. Quem morem cum et aliae nationes ſuum facerent, Graeciam legimus omnes profanos arcuiſſe a Prytaneo, loco Athenienſium iudiciis ſacro atque ab Areopago, ubi de poena capitis ſententiam dicere conſueverant, et qui ab aequitate atque iuſtitia in puniendis reis quam maxime celebratur. Romani, qui univerſo fere orbi iura dabant, ſibi etiam a DEO immortali iura data eſſe haud ignorarunt, ideoque ut illis obſervatis in medium conſulerent, non ſolum peculiares habuerunt Curias, ſed etiam ſaepe in templa iudices colligebant, ut decretis ſuis eo maior ſanctitas atque auctoritas conſtaret. Itaque cum et Norimberga colloquiis, civitatis cauſa inſtituendis, locum ſanctiorem deeſſe nollet, a multis iam ſeculis ſibi conſtituit tale praetorium, ubi iuſtitia conſiliis ſenatorum praeſideret, et ius ex aequo diceretur; neque ullis ſumtibus pepercit, in ampliandis aedificiis, quae et ornamento eſſe, et ad ſplendorem atque magnificentiam aliquid conferre poſſent.

Equidem, ſi ultima reſpiciamus tempora, et ubi convenerint Patres, ſtatim ab urbe condita quaeramus; omnem rem in ſuſpenſo litemque ſub iudice relinquere cogemur, quando quidem adeo incerta ſunt, quae de prima Norimbergenſium

Digitized by Google

bergenſium Curia inveniuntur, ut ipſi annales taceant, ii vero, qui de antiquo civitatis ſtatu literis aliquid conſignarunt, quicquid referant, de illo ipſi dubitaſſe videantur. Scilicet haec omnium fere gentium quaerela eſt, maiores ſuos plane non curaſſe, ut res ipſorum ad noſtram memoriam pervenirent. Fuerunt aliquae, quae fabulas pro veritate venditare et facta maiorum ſuorum ipſae fingere, quam, origines ſuas dici obſcuras, mallent. Nolo autem, Aud, ubi fidem antiquitatis deficere video, falſa pro veris iam apponere, ſiquidem meridiana luce clarius patet, communem hanc mentem omnibus Germaniae incolis olim fuiſſe, ut res praeclaras potius genere quam ſcriptis ad poſteros mallent transmittere. Laudandi quidem in hoc ſunt maiores noſtri, quod maiori ſibi laudi duxerunt, bene factis apud ſuam, quam fucatis virtutibus apud futuram aetatem inclareſcere; interim non poſſumus non dolere ſortem noſtram, quod tam pauca de iſtis relicta ſint. At fortaſſis non plane ventis tradidit Norimberga conventuum ſuorum publice inſtitutorum memoriam, cum credibile ſit, inteſtina diſſidia, civiumque rebellium in ſua viſcera saevitiam, cum aliis rerum documentis haec quoque nobis eripuiſſe. Cumque bella etiam publica intervenerint, quid mirum, cur eadem, quae omnia perdunt, neque haec ſcripta eſſe incorrupta ſint paſſa? Quae cum ita ſe habeant, contenti ſimus oportet, opinione hac, quae ex omni aevo, quoad longiſſime poſſumus reſpicere ſpatium praeteriti temporis, reſtat, nobis-

Digitized by Google

que refert, inclytum Norimbergensium senatum antiquioribus temporibus in coenobium, quod a divo Augustino nomen accepit, convenire consueviſſe.

Romani quondam Senatores nonnunquam in Concordiae, pacificae Deae, fanum, saepius etiam in Minervae templum, quam sapientiae praesidem crediderunt, secessere, ut in ipso Numinis conspectu, se pro aris atque focis pugnare debere cogitarent, sententiamque ferrent unanimem neque a prudentia civili alienam. Sed quoniam ista omnia, quae de cultu Deorum statuit gentium credulitas, vana atque irrita censenda sunt, ita neque hi loci eos retinere poterant in officio, quos falsi eiusmodi Dii Deaeve non tangebant. Rectius meliusque suae se pietatis admoneri posse putabant Sanctissimi Reipubl. Norimberg. Patres, quando in aedibus, vero Deo consecratis, de populi salute, quam supremam legem habere semper soliti erant, consilia ceperunt. Et quamquam aetas maiorum inciderat in religionem suis adhuc tenebris tunc involutam; non tamen defraudanda erit encomio suo ipsorum pius candor, qui cum publicis curis divinum quoque cultum conjungere fas piumque putaverunt. Satis amplum id veteris probitatis testimonium existimo, quod de prima hac consiliorum Norimbergensium sede haud pauci conspirant, quibus haec memoriae mandare curae fuit; ubi vero et quando mutatus hic locus sit, et quo alias, sedes iustitiae publica atque Patrum conventibus destinata fuerit translata, dissentire a se incipiunt plerique,

Digitized by Google

plerique, aliis pro aedificio illo, cui iam rufi equi insigne est, aliis pro egregiis aedibus Gwandschneiderianis, quae iam ad Generosam Harsdoerferiorum familiam pervenerunt, militantibus. Pro illis faciunt publica civitatis insignia, ab exteriori parte lapidibus incisa, et cellae subterraneae concameratae que substructiones, carceribus non dissimiles, quos plerumque sub Curiis inveniri notum est. At altera pars adducit ex monumentis, fide non indignis, propinquas tum Iudaeorum habitationes, quibus deinde dirutis, area libera relicta fori publici instar celebrari coeperit. Accedit pontis vicinia, quem veterum documenta non procul a curia illius temporis abfuisse referunt, et forte alia, quibus copiosius commemorandis ego nunc minus immorabor. Transeo potius ad recentiora, eaque certiora tempora, atque ad Curiae, adhuc hodie conspicuae, initia. Neque enim illa splendorem, quem adhuc admiramur, unius anni spatio obtinuit, neque nullis postea incrementis indiguit, donec tandem eam, qua nunc exsplendescit, magnificentiam consequeretur.

Nihil enim unquam magnum extitit, quod non a parvis creverit principiis; ipsaque immensa flumina e fontibus suis tenuia dimanant. Potentissima regna, quae unquam floruere, a paucorum hominum confluxu primam originem traxerunt. Quantae molis fuit Romanam gentem condere, urbemque, cuius moenia saltu traiicere Remus potuit, ad tantam maiestatem evehere, quae omnibus terrarum populis formidini

midini futura, quin eos terrore Panico corre-
ptura, sibi vero domiti urbis gloriam immor-
talem conciliatura esset? Omnia arte facta e-
maiori artificio elaborata sunt; quo plurium
artificum industria illis intenta fuit. A casis,
quae primis generis humani conditoribus habi-
tatae fuerant, ad aediculas; ab his, ad domi-
et aedes capaciores; ab aedibus ad vicos; a vi-
cis ad oppida et ad magnas urbes processit gra-
datim aedificatio. Sic et curia Norimberg. vi-
ces suas habuit et primum non adeo ampla, no-
laxior, et tandem ampliſſima extructa est.

Quartum a decimo post Christi natalem
seculum nondum medium elapsum fuerat, cu-
in hanc curam strenue incumberent, de publi-
re quam maxime soliciti, civitatis patriae P-
tres, ut huc potissimum transferrent conve-
tuum suorum sedem, ubi duorum templorum
religione muniti a nullo strepitu forensi impe-
rentur. Cui instituto commodissima videba-
area illa, cui tum domus superstructa erat, qu-
a coenobio ad Fontes salutares emtam et &
publ. et sibi Senatus comparaverat. Nec mor-
statim opifices omnia advehere iussi sunt,
ad opus incheandum necessaria et oppor-
erant; materies colligebatur, atque aedifi-
coeptum est. Nec quicquam in se desiderare p-
tiebatur Aedilis, Philippus Grosius, e splendi-
illa gente oriundus, cui Norimberga praet-
alia, insignem quoque domum illam, paupe-
bus aegrotisque alendis factam, et Celeberrim-
haec Academia nostra largissimum Alumnaei be-
neficium,

neficium, accepta referunt. Curia vero illo tempore, si cum hodierna conclavium multitudine comparetur, peranguſta adhuc erat, utpote quae praetorio et loco publicis cenſibus deſtinato, itemque aula abſolvebatur, ea tamen tam iuſto ſpatio, quam cultu divite conſpicua, nullaque columnarum ſerie interſecta, quae praeterquam quod operi dignitatem non exiguam addit, etiam aedificantis nomen in gloria ponit. Nihil in hanc tempus valuit, niſi quod picturae renovationem aliquam ſubinde poſtularent. Ita enim, cum aliquando ſolennium Imperii comitiorum conventus Norimbergae in ea ipſa aula inſtituendi eſſent, vindicavit eandem prudentiſſimi Senatus cura a vetuſtatis iniuria, iuſſitque colores novos lucidosque ſuperinduci, et praeterea Curiae exteriorem quoque partem ſimiliter illuſtrari.

Vt vero ad ipſum aedificium in univerſum revertar, non arbitror ſilentio praetereundam eſſe amplificationem illam, qua conclavia ſatis multa in parte Curiae poſteriori adiecta ſunt, et quotidianis Senatus conventibus ſpatioſior locus adſignatus eſt; quae acceſſio, lapide albo, eoque tractabiliore, ad exemplar Gothorum, erecta, facile a reliquo corpore dignoſci poteſt. Iam, cum omne trinum perfectum dici ſoleat, Curiae huic praeter tertiam Vitruvii alicuius induſtriam nihil decedebat, quemadmodum ſpes haec ſatis implebatur, poſtquam ultima operi ſplendidiſſimo manus impoſita fuit.

Digitized by Google

Centum nunc et tres anni elapsi sunt, ex quo omni nisu omnique molimine id agi coeptum est, ut dissolutis prioribus muris, nova domus, atque e cineribus suis novus quasi Phoenix surgeret. Neque deinde cessavit Patrum Patriae iustissimorum cura, nec defuit Architecti solertia, nec delassatae opificum vires videbantur, in exsequendo, quod ceperant, consilio; sed quisque pro sua facultate eo contendebat, ut quae feliciter aggressi fuerant, feliciter perficerent. Quid non haec cupiditas valet, in animis oneri nulli succumbentibus? Tam fausta initia non poterant non excipere progressus faustissimi, cum dimidium facti iam haberent, qui laeti ad opus accedebant. Eo enim mox perventum est, ut perfecto iam superiori, inferioris anguli primus lapis iaceretur, cuius memoriam secularem hic ipse dies refert, quem propterea sine laudibus divino Numini dictis praetermittere nefas foret.

Atque utinam opus hoc per temporum illorum infelicitatem absolvere licuisset! utinam et posterior pars eodem successu a fundamentis erigi potuisset! sed impediti sunt hi conatus adversa illa, et Imperio Germanico pene fatali, belli tempestate. Flamma videlicet illa, qua universus fere Germaniae orbis correptus, per triginta annos continuos ardebat, Civitatem quoque Norimbergensem et satis acerbe corripuit, impediitque, quo minus haec Themidos sedes etiam altera parte, consilio eodem, erigi atque instaurari potuerit. Quam fortunam licet Norimberga

rimberga dolendi causam satis gravem habeat; mitigare tamen hunc dolorem atque facilius etiam hos casus ferre poterit, quando quidem eo iam splendore atque ea magnificentia gaudet Curia, ut quidquid adhuc deesse videatur, maiori tantum modo ornamento futurum fuisset, cum gloria certe, quam nihilominus adepta est, augeri nequeat. Lubens ego nunc abstineo ab uberiori illius commendatione, ne ex nimio in patriam amore dixisse videar, et cum exteri iam satis fassi sint, inter praecipua Germaniae aedificia numerandam esse Curiam Norimbergensem.

Ipse Bousingaultius, etiamsi Gallis nihil placeat, nisi quod ipsi fecerunt, sibi tamen temperare nequit, quo minus eandem et Amstelodamensi Curiae, quae inter alias, ut inter minores stellas Luna, fulget, praeferre non dubitaverit.

Et cur talia praeconia non mereantur parietes e lapide quadrato elegantissime compositi? portae singulari artificio columnis sustentatae? argentum, quo duae extremitates superius teguntur? porticus ab interiori parte conspicuae? stratum marmoreum? inductae e gypso crustationes? picturae pulcerrimae rarissimaeque? imagines viventibus non absimiles? artificum summorum opera. Sunt antiquae Imperatorum Principumque statuae, quae animis Vestris proponi non possunt, nisi ab ipso homine, huiusmodi artificii peritissimo. Conspicitur ibidem, ne nihil monuisse videar, imago cuiusdam Brabantiae

diae Ducis, qui gladios, quos adhuc quotannis Leodium Bruxellamque mittit Norimberga, ab eadem per speciem in manus suscipit; cui rei argumento est sequens inscriptio:

S. P. Q. N. P.

Honori ac memoriae sempiternae Illustrissimorum Burgundiae Brabandiae Ducum, nec non Flandriae Comitum, ob vectigalium immunitatem per eorum ditionum Civibus Norimbergensibus benigne concessam.

Sunt praeterea tabulae cultu nitidissimo conspicuae, in quibus elaborandis pingendisque pi[illegible] eorum Germaniae principum industria versa[illegible] est: Lucae Cranachii, Lutheri iam aevo co[illegible] berrimi; Alberti Durreri, recentiorum tem[illegible] porum Apellis; Ioachimi de Sandrart, patru[illegible] nostrorum aetate clarissimi, aliorumque, qu[illegible] rum nomina atque monimenta, heic sigilla[illegible] recensere nimis longum foret. Iam quid [illegible] partitione tanti tamque ampli aedificii loqu[illegible] quis enim nescit res diversis quoque loci[illegible] conclavibus ibidem iudicari? Sic consultatione[illegible] de redituum publicorum rationibus et [illegible] nunquam impediunt iudicia, quae lites [illegible] dirimere solent; nec leviores controversiae [illegible] gravibus, nec belli consilia cum pacificis; [illegible] res civitatis cum Franconiae communi [illegible] confunduntur. Ordini videlicet in unaquaq[illegible] re primae sunt partes deferendae; quippe [illegible] haud immerito anima coeptorum dici consuev[illegible]

Digitized by Google

in negotiis autem quae gravius momentum habent, idem est, quod sol terrae, et animantibus aer, sine quibus et vita et vitae sustentatio nulla futura esset. Satis utique magnificum est hoc administrandae iustitiae domicilium, idque in Civitate satis illustri positum, ita ut dubium sit, num maiorem vel cultum vel splendorem aliunde possit mutuari: nihilo tamen minus, cum tot res, memoratu dignissimae, in eodem acciderint, non potest non eius gloria vel ex eo ipso magis amplificari. Non ego iam memorabo augusta totius sacri Imperii comitia, quae saepe Norimbergae habita sunt, et quibus pro dignitate illorum habendis sigillatim aula magna Curiae adsignata fuit, ubi Imperatore altiorem locum occupante, a dextra Caesaris laevaque, scamna ita disposita sunt, ut Principes Electores reliquique Germaniae status, singuli eo ordine, quem obtinent, locum inueniant. Neque necesse est pluribus exponere, quam fausto omine sub repurgatae religionis initia heic convenerint Principes, atque lumine haud obscuro soli subsecuturo praeiverint. Haec enim res meridiana luce clarior iam est, et satis celebris, ut de memoria illius soliciti nequaquam esse debeamus. Praetereo etiam Caesarum et Regum atque Principum convivia, hoc in loco non semel apparata, interque alia festivitatem illam, quae Sereniſſimus Comes Palatinus Rheni, Carolus Gustavus, cui deinde Glorioſiſſimo Regi suo paruit Suecia, pacem Osnabrugae Monasteriique universae Europae redditam,

ditam, celebrat. Et attigisse tantum sufficiat, quod nunquam posteritatem fugiet, ipsum Augustissimum Carolum VI. cuius Deus victorias victoriis perpetuo cumulet, heic hospitio exceptum esse. Postquam enim Is, unanimi Principum Electorum suffragio, ad capessenda Imperii Rom. sceptra, atque ad summam in orbe Christiano dignitatem, electus atque iam solennibus caerimoniis Francofurti Imperator coronatus esset, in transitu Norimbergae maluit in Curia commorari, quam arcem conscendere, quam tamen priores Romanorum Caesares, quos intra moenia sua quam demississime salutare potuit haec Civitas, sedem ordinariam sibi elegerant. Perpetuum vero illud est Curiae huius decus, quod, uti e ventre cibi in omnes artus distribuuntur, ita saluberrima semper Patrum Patriae consilia ex hoc loco ad universam civitatem redundent. Nunquam certe iisdem consilium defuit, rebus bene stantibus, urbis florentem statum ulterius provehendi, et in fortuna minus benigna imminentibus periculis obviam eundi, ne res in deterius prolaberetur. Quae felicitas, ut iam diu propria est Norimbergae ita ipsam et ante hoc seculum sapientissimis Senatoribus gavisam fuisse, si vel alia omnia deficerent, Curia tamen ipsa non contemnenda praebere potest testimonia. Optime enim et de Republ. et de sua ipsorum immortalitate meriti sunt splendidissimi aedis huius Conditores, e quibus nominatim tunc Illustri Septemviratus dignitate conspicui ad renonandam amplificandam-

que

Digitized by Google

que Curiam consilia sua contulerunt: Iohannes Nützelius, quem ad primarium civitatis honorem, etiam si ordo non vocasset; merita tamen in patriam illustria certissime evexissent; Paulus Behaim, cuius virtutes, quae commemorantur, animo tantum, haud verbis et oratione adsequi licet; Georgius Volkamer, vir, in quem Deus et natura egregia quaeque contulerant, et qui adprovehenda civitatis commoda natus factusque videbatur; Ernestus Hallerus, in quo omnes et summum consilium et summam gravitatem cognoverunt et admirati sunt; Leonhardus Grundherrus, qui generis sui claritatem singulari meritorum suorum accessione adauxit; Martinus Pfinzing, qui cum amplissimis his honoribus, quos iure suo consecutus est, auctoritatem maximam nec minorem prudentiam copulavit, et denique Andreas Imhofius, vir summis ornamentis honoris, fortunae, virtutis ingenii praeditus. Sed neque tacendus est Eustathius Carolus Holzschuher, qui aedilitio munere tum functus, quicquid posset, id omne ad hanc structuram excitandam Senatui detulit, effecitque curis suis egregiaque peritia atque prudentia, ut rem non melius geri potuisse, omnes fateri debeant.

Fruimini iam, beatissimi manes, quiete illa, quam Vobis in hac terra superstitibus perpetuae curae denegarant. Gandete iam de remuneratione pro tot tantisque molestiis, quas sine dubio ornandae amplificandaeque Reipubli-

Digitized by Google

cae ſtudium Vobis creaverat. Nomina Veſtra non ſolum nummis aerique inciſa; ſed multo potius in civium gratorum animis, in aeternitate temporum, fama rerum, duratura ſunt. Non enim iactura Veſtri nos ad repetenda lamenta quaedam infirmumque deſiderium; ſed ad contemplationem virtutum Veſtrarum meritorumque vocat, quae neque lugeri neque plangi fas eſt. Admiratione Vos potius decoramus, gratoque animo venerabilia nomina Veſtra celebramus. O Vos felices! quibus demum opus hoc ſuſcipere contigit, id quod Maiores Veſtros iam diu ante Vos in votis habuiſſe credibile eſt. Magna tentaſtis; ſed, quantum in Vobis fuit, non minori ſucceſſu perfeciſtis. Liceat iam Vobis de tanta re bene geſta, etiam poſtquam fato defuncti eſtis, gratulari. Nos enim etiam, quod pietatis noſtrae officium eſt, in partes has gaudii ſolennis plauſuumque publicorum venimus, quos grati animi religio merito expoſcit.

Te vero Deus immortalis, quanta poſſumus animi veneratione iam invocamus, ut perpetuum ſit Norimbergae decus hoc, quod Tua gratia favente, adhuc obtinuit. Serva opus, quod pro clementia Tua erigi paſſus es; tuere, quod ſapientia Tua direxiſti; confirma, quod auxilio Tuo adiuviſti. Tuae enim benevolentiae, qua Norimbergae diuinitus faves, nova toties veſtigia mentibus oculisque noſtris obveniunt; quoties Curiae huius ſplendorem contemplamur. Adſis porro, quemadmodum adhuc adfuiſti, Patrum Patriae prudentiſſimorum conſiliis,

Digitized by Google

consiliis, quae illi in aede hac capturi sunt. Prospice Familiarum Illustrium et Generosissimarum aeternitati, ut egregia Maiorum merita in filiis nunquam non recolere possit Norimberga. Et quemadmodum iam, aeque ac ante hoc ipsum seculum, illustris Nützeliorum gens, Duumviro primario ex se genito, quam maxime Rempublicam illustrat: ita, ut semper ex eadem supersint, qui Civitatis commoda ex hac Curia provehant, inusitatisque virtutibus meritisque suis Patriam ornent, boni publici causa exoptamus. Eo vero ipso et pro reliquarum Familiarum antiquis imaginibus gentilitiis splendidarum, incolumitate vota facimus, quoniam et cognationis vinculo se invicem tangunt, et communem inter se habent, tum dignitatem tum prudentiam. Sic Norimberga felix et fortunata etiam imposterum florebit, Deo Ter Opt. Max. civitati favente, Senatuque Splendidissimo Prudentissimoque assidue commodis publicis invigilante. Sic salva erit Patria nostra et in eius fide atque tutela Academia haec nostra quam diutissime felicissimeque persistet. Stet Curia, illud iustitiae sacrum domicilium, illa splendida sapientiae prudentiaeque sedes, illud iusti et aequi sacrarium pulcerrimum. Stet Curia, ut a grata posteritate eius origines eiusque ornamenta solennius celebrentur. Vigeant Patres, qui in Curia, boni publici causa, convenient. Floreant Cives, quorum saluti in eadem consulitur, neque alius posteritati totius Patriae terminus sit futurus, quam qui verum imminet universitati.

Digitized by Google

XIII.

EVERHARDI WASSENBERGII
MAROBODVVS
IN SERENISSIMO ET POTENTISSIMO
LVDOVICO XIV.
GALLIARVM REGE,
REDIVIVVS,
PRINCIPIBVS EVROPAE DEMONSTRATVS
ET, SI ESSE PERSEVERET,
SVO ARMINIO DESTINATVS.
ANNO MDCLXXII.

Conſtitueram, *Gallia Verecunda* a me vulgata, et *Aurifodina Gallica* a me *reſerata et Obſtructa*, ad Illuſtriſſimum, Reverendiſſimum, et Doctrina vere Excellentiſſimum illum Principem FERDINANDVM, Epiſcopum Paderaebornenſem, Coadiutorem Monaſterienſem, et Comitem Pyrmontanum, ſuaviſſimo qui conſortio Muſarum fere unicum aperuit aſylum, me transferre, quo, humillimum poſt talaris oſculum, tantae Celſitudinis ſublimi ſub iudicio iuſtum volumen aliquod, Germanicae Nationis gloriae dicatum, deſiderato fine coronarem, et aetatis provectae reliquum, illorum veterum Cheruſcorum, Bructerorum, Chamavorum, et Romanorum antiquitatibus eruendis conſecrarem; cum hoc nobile huius operis, et opportunum huius temporis argumentum mihi incidit, ac perſuaſit, ad dies pauculos ut morarer, Vobisque Principibus Europae clariſſimum ac potentiſſimum in Boiohaemo quondam Regem MAROBODVVM, in Sereniſſimo ac Potentiſſimo LVDOVICO XIV. Galliarum

Digitized by Google

rum Rege, REDIVIVVM, et, si esse perseveret, suo Arminio destinatum, demonstrarem. Quippe *nulla festinatio* (Histor. lib. II.) (Vellei Paterculi sunt verba) *huius viri mentionem transgredi debet.* MAROBODVVS, *genere nobilis, corpore praevalens, animo ferox, natione magis quam ratione barbarus, non tumultuarium, neque fortuitum, neque mobilem, et ex voluntate parentium constantem inter suos occupavit Principatum: sed, certum imperium, vimque Regiam complexus animo, statuit, avocata procul a Romanis gente sua, eo progredi; ubi, cum propter potentiora arma refugisset, sua faceret potentissima. Occupatis igitur, quos praediximus, locis, finitimos omnes aut bello domuit, aut conditionibus iuris sui fecit. Corpus suum custoditum, imperium perpetuis exercitiis paene ad Romanae disciplinae formam redactum, brevi in eminens, et nostro quoque Imperio timendum perduxit fastigium; gerebatque se ita adversus Romanos, ut neque bello nos lacesseret, et, si lacesseretur, superesse sibi vim ac voluntatem resistendi declararet. Legati, quos mittebat ad Caesares, interdum ut supplicem commendabant, interdum ut pro pari loquebantur. Gentibus hominibusque a nobis desciscentibus erat apud eum perfugium, totumque ex male dissimulato agebat aemulum; exercitumque, quem septuaginta millium peditum, quatuor equitum fecerat, assiduis adversus finitimos bellis exercendo, maiori, quam quod habebat, operi praeparabat. Eratque etiam eo timendus, quod, eum Germaniam ad laevam et in fronte, Pannoniam ad dextram, a tergo sedium*

Digitized by Google

suarum haberet Noricos, tamquam in omnes semper venturus, ab omnibus timebatur. Nec securam incrementi sui patiebatur esse Italiam: quippe cum a summis Alpium iugis, quae finem Italiae terminant, initium eius finium haud multo plus CC. millibus passuum abesset. Hunc virum, et hanc regionem, proximo anno, diversis e partibus Tiberius Caesar aggredi statuit. En Maroboduus a Velleio Paterculo graphice descriptus, quem nunc in LVDOVICO XIV. paene singula eiusdem Vellei verbis Redivivum videamus.

MAROBODVVS, GENERE NOBILIS, CORPORE PRAEVALENS, ANIMO FEROX, *Natione magis quam ratione barbarus*, Romae etiam adolescens, Strabone teste, Augusto gratus, et ob ciis ac beneficiis ab eodem cultus, in illa Orbis Domina, et apud Imperatorem illum Orbis Dominum, rem difficillimam, et vere arduam didicerat, imperare. Demus aevi Maroboduo LVDOVICO Regi, *genere nobili, corpore praevalenti, animo feroci, neque Natione neque ratione barbaro*, encomium virtutis meretur. Ingenio celer, iudicioque prompt a quo regnare coepit impiissima duella fili ut generosissimum Regni sui sanguinem e ptos adversus hostes, in expugnationes bium, velitationes, praelia servaret. Et rietur Maroboduus apud Tacitum, (Lib. II. nalium,) *se duodecim legionibus petitum tam Germanorum libertatem conservasse*; LV VICVS certe bellorum omnium externorum tor, ac civilium triumphator, rem non tan

Digitized by Google

in tuto Gallicam, ſed in ſummo collocavit, ac fortunam ſuam omnem Auſtriaco matrimonio prudentiſſime, dicam melius, feliciſſime firmavit; tam regnandi quam bellandi ſolers, ut qui omnes atque raros imperandi numeros optime ſe ſtuduiſſe, indies ſui ſtatus nimis politica ratione probat. Eſt enim Rex quam magnarum virium et opum, tam et prudens, vafer, callidus, fortis, felix, animoſus; et talem, qualis eſt, intelligit ſe eſſe, eo magis, uti reor, conſiderandus, an non etiam et formidandus? Vos videritis Europae Principes, qui et Veſtro ſinguli gubernaculo praeeſtis.

Non tumultuarium, neque fortuitum, neque mobilem, et ex voluntate parentium conſtantem inter ſuos occupavit principatum: ſed, certum imperium, vimque Regiam complexus animo, ſtatuit eo progredi, ubi, cum propter potentiora arma refugiſſet, SVA FACERET POTENTISSIMA. Ita de Maroboduo Velleius: quam vero *non* etiam *tumultuarium, neque fortuitum, neque mobilem, et ex voluntate parentium conſtantem,* LVDOVICVS inter ſuos teneat principatum, orbi conſtat, ut qui unus habet, et ad libitum agit omnia, *certum imperium vimque Regiam*, non animo dumtaxat, ſed iure haereditario *complexus*, Monarcha merus, abſolutus, et perfectus. Et hinc facile illi fuit *eo progredi ut arma ſua faceret potentiſſima*: unde autem illi huius potentiae repentinae tanta media in Aurifodina mea Gallica demonſtravi; e qua et Vobis ſereniſſimis et prudentiſſimis Europae principibus pateſcit, LVDO-

Digitized by Google

VICVM Regem, nisi mature sapiatis, et emolumentis regionum ac ditionum Vestrarum ipsi prospiciatis, sua solertia pecuniam Europae omnem, commune Vestrum in exitium, unicam in suam Galliam (praesertim si binos illos suos amnes, ut coepit, fossa ac mare mediterraneum et Oceanum mutuo commerciorum beneficio coniungat) derivaturum, et inexhauribili illo suo belli nervo, armis suis indies proficientibus, totius brevi Orbis Dominum futurum. Illius molimina terra marique non aspicitis? Crescunt indies ipsius turmae equitum, legiones et exercitus; prodeunt in Oceanum robore, mole, et machinarum bellicarum hactenus inaudito numero, monstra navium; apparantur classes, et ad militiam marinam Nobiles, epibatae ad bella, Scholae ad exercitia instruuntur; quibus *Maroboduus* hic armis, non terrestribus dumtaxat, sed et maritimis potentissimus nonnunquam Africam et Americam; interdum Madagascarem magnasque insulas; quandoque et Orientis Indias, Magnumque Mogorem meditatur, dominio non modo Mediterranei totius maris, sed et Oceani intentus, futurus certo votorum suorum compos, si ille, ut coepit, sua, et Vos Vestra, ut coepistis, Europae Principes, ac Respublicae, prudentia pergatis. Alto cachino quondam Religiosum ordinis Praedicatorum Madriti omnes, et praesertim consilio Indico praefecti, derisere, qui, petita venia, mutato habitu, Provincias Vnitas curioso oculo perlustrarat, visoque maritimo apparatu, et Vlissingae, Middelburgi, Verae, Zirikzaeae, in Zelandia;

Digitized by Google

landia; et in Hollandia Rotterodami, Amſtelaedami, Enckhuiſae, Hornae, Medenblici, aliisque locis, et maxime Serdami, ſtructura navium bellicarum aſſeverabat fore, ut, niſi mature ſibi proſpicerent Hiſpani, Peruanam claſſem, Potoſiano aere fartam, Batavi expugnarent: ac biennio vix elapſo, Petro Petride Heinio Thalaſſiarcho, naumachia felici raptae rates argento graves vaticinii veritatem implevere. Et tametſi fatear Britannos, Batavos, Zelandos, diſciplina, fortitudine, virtute, primos Orbis eſſe nautas; attamen et ſuis Galliae epibatis abundant, qui parum, aut nihil forſan, accedente paulatim exercitio, Britannis, Zelandis, Batavis concedent. Et ſic LVDOVICVS Rex, qui iam nunc in mari libero naves Hollandicas et Anglicanas, epibatarum Gallicorum quaerendorum titulo, viſitare audet, ſibi adhuc biennio, ſuorum vicinorum per diſcordiam, relictus, non una claſſe potentiſſimus, meo iudicio maris Dominus, Oceano imperabit.

Occupatis igitur, quos praediximus, locis, FINITIMOS OMNES AVT BELLO DOMVIT, *aut conditionibus iuris ſui fecit.* Ambitionem eſſe inexplebilem Alexander Magnus eo maxime probavit, quod, poſt Orbem cognitum ex parte dumtaxat ſubiugatum, iam incognitum ſitiret. (Seneca de benef. lib. VII.) *Nec hoc Alexandri tantum vitium fuit, quem per Liberi Herculisque veſtigia felix temeritas egit, ſed omnium quos Fortuna irritavit implendo. Cyrum et Cambyſen, et totum regni Perſici ſtemma percenſe,*

se, quem invenies, cui modum Imperii satietas fecerit? Qui non vitam in aliqua ulterius procedendi cogitatione finierit? Nec id mirum est. Quicquid cupiditati contigit, penitus hauritur et conditur: nec interest, quantum in id quod inexplebile est, congeras. Subiugaverat integrum suis cum Marcomannis Maroboduus Marcomanus, Victis eiectisque, Boiis, Veteribus Colonis, Boiohaemiae regnum, cum exemplo omnes alios in vicinos versus, eosdem, ut Paterculus fatetur, *aut bello domuit, aut conditionibus iuris sui fecit.* Nimirum eundem apud Senecam an non vidimus, (Epist. LXXII.) *aliquando missa a Domino, aperto ore, frustra captantem? Quicquid excepit, protinus integrum devorat; et semper ad spem futuri hiat.* Hunc certe Marobodui illius fuisse genium apparet: fuissentne autem e Galliae regibus etiam nonnulli qui Orexi huic succubuissent? Carolus cognomento Calvus, e Ludovico Pio Magni nepos, et suorum fratrum natu minimus, e secundo matrimonio Iudithae filius, Carolovingiis in Germania Imperium, et Arelatense regnum Germaniae; huius autem Caroli posteritati Hugo Capetus ipsam Galliam subduxit. Inde Valesii ac Borbonii, genuini omnes familia Capetini, Annam per Armoricam, Maximiliano primo Imperatori desponsatam, Britanniam totam Gallicam cum sponsa; et Mariae Burgundicae, provinciarum omnium paternarum haeredi unicae, Maximiliano pariter desponsatae, Burgundiae Ducatum integrum surripuere; cui accessere urbes Augustales, Metae, Tullum, Vero-

Verodunum, Imperio ſubtractae; deinde Alſatia, Briſacum, Philipsburgum. LVDOVICVS autem XIV. ſuis a Deceſſoribus occupatis, *quos praedixímus*, *locis*, quo MAROBODVVS REDIVIVVS fortiſſimus et feliciſſimus appareret, *finitimos omnes* quoque *aut bello domuit*, ut Bourburgum, Cortracum, Carolo-Regium, Athum, Binckum, Tornacum, Duacum, Inſulas, Audenardam, Furnas, Lotharingiam, et Burgundiae comitatum integrum; quem tamen, ſi non libenter, ſaltem reverenter, pace Aquiſgranenſi, contra pactorum fidem, munitionibus exutum, debilem et exhauſtum reddidit: aut a patre domitos, pacem per Pyrenaeicam, et *conditionibus iuris ſui fecit*, ut Atrebates, Damvillerium, Landracum, Theodonis-villam, Montem-medium, Avennam, Philippi-villam, Mariaeburgum, Quercetum, Grevelingam, Duinkerckam, Armenteriam, Lendium, Perpinianum Rouſilionenſem Comitatum, et Monacenſem Principatum; auſus etiam, vigente pace, non conditionibus, ſed armis Hannoniae nuper Montibus inſidiari. Iam et ratione limitum de Dixmuda et Neoporto, ad Oceanum, adhuc Inſulis; et de Imperialibus in Alſatia decem urbibus ad Rhenum, Ratisbonae adhuc agit, inſtat, urget; qui et Poloniae Regnum integrum, cum Magno Lithuaniae Ducatu, ſuo quoque ſanguini propemodum vendicarat, procul Lupara Domoque tantum non fortunatus. Quam vero *Maximiliano Henrico* Archiepiſcopo Electori Colonienſi, principi natura optimo, ſuum ſubſidium ut admitteret vafre non perſuaſit! quaſi,

ob

ob unitarum Provinciarum Ordines ipſi imminentes (quod vero tamen, et vero ſimili procul aberat) ſua potentia neceſſarius, hac aſtutia ſua civitatum omnium, et totius nunc regionis Dominus. Fertur autem MAROBODVVS hic REDIVIVVS nonnullas alias adhuc Provincias vicinas Rheno ut conditionibus, aut pari aſtu, iuris ſui faciat, laborare: viderint vero Sereniſſimi et Celſiſſimi illi Principes quantum Imperatoris et Imperii Maieſtate, ſuaque propria dignitate et fortuna ſalva poſſint, aut non poſſint, ne Reſpublica generatim tota, et ſpeciatim ſua, detrimenti quid patiatur.

Corpus ſuum cuſtoditum, imperium perpetuis exercitiis paene ad Romanae diſciplinae formam redactum brevi in eminens, ET NOSTRO QVOQVE IMPERIO TIMENDVM PERDVXIT FASTIGIVM. Quot ſtipatoribus, et quam variarum gentium, Helveticae, Scoticae, ſuaeque Gallicae Satellitio et quot Praetorianorum equitum peditumque legionibus, latera ſua Regia LVDOVICVS muniat, tonſoribus et lippis notum eſt: quam vero *imperium perpetuis excercitiis paene ad Romanae diſciplinae*, illius quoque veteris, *formam redactum, brevi in eminens, et noſtro quoque imperio timendum perduxerit faſtigium*, Vos omnes Europae Principes, procul dubio, conſideratis, et cauſas ob graviſſimas, prudentiae Veſtrae lance, credo, indies ponderatis. Sane argumenta illa omnia, quae iam pridem Hiſpanica de Monarchia, in regni Galliae regiſque gratiam, Campanella ſonuit, nunc Monarchiam

Digitized by Google

chiam adverſus Gallicam, pro Hiſpania, in auribus omnium intelligentium tinnire, Europae Vobis e Principibus nemo, reor, ignorabit. In hac autem coniunctura temporum et rerum quid expediat Vos ſcietis. Olim quidem belli illius maximi Graecorum, quod Thucydides conſcripſit, nullam aliam, immo genuinam fere unicam fuiſſe cauſam, potentiam Athenienſium, vicinis omnibus, at Spartanis maxime formidabilem, affirmare, non dubitavit; (Lib. I. belli Pelopon·) *Omnia enim iſta*, ſunt eius verba, *una cum bello hoc acciderunt, cuius authores fuerunt Athenienſes; Peloponnenſeſque, ruptis quae poſt Euboram captam inierant foederibus tricennalibus. Cur autem ruperint, cauſas primum ac diſſenſiones ſcribendas ſtatui ne qui requirant aliquando unde conflatum ſit tantum inter Graecos bellum. Nam veriſſimam quidem; ſed minime ſermone celebratam arbitror extitiſſe cauſam*, ATHENIENSES MAGNOS EFFECTOS, ET LACEDAEMONIIS FORMIDABILES, NECESSITATEM IMPOSVISSE BELLANDI. Lacedaemoniis vero deliberantibus ac cunctantibus, procedens ad extremum unus ex Ephoris, ſeu Tribunis plebis, Schenelaiadas ſic Laconicam ad eos orationem clauſit: (Idem eodem libro) *Quamobrem Lacedaemonii e dignitate Spartana*, BELLVM DECERNITIS; NEC ATHENIENSES SINATIS EFFICI MAIORES. Quod Schenelaidae in Athenienſes, id et Tiberio, ut poſt videbimus, in MAROBODVVM viſum fuit; an non idem vero, ſecundum Lacedaemonios et Romanos, in REDIVIVVM ſit agendum, Vobis ego Principibus reſigno.

Gere-

Digitized by Google

Gerebatque se adversus Romanos, ut neque bello nos lacesseret, et si lacesseretur, superesse sibi vim ac voluntatem resistendi declararet. LVDOVICVS hac generositate Maroboduum non tantum aequat, sed longe superat; nec expectat ut lacessatur. Sed continuo lacessit, provocat, et minatur nunc Hispaniae, nunc Italiae, nunc Germaniae, nunc Hispano Belgio, nunc Provinciis Confoederatis; et ostendit arma sua iam Rheno, iam Schaldi, iam Mosae, et interdum quoque montibus Pyrenaeis, distinguendis limitibus parum religiosus, ceu promtissimus bellandum. Sensit hoc Flandria, Hannonia, Germania haud procul Bitsio et Homburgo imo, dies ante pauculos, Luxenburgum ac Trivirensis Electoratus, quas per Provincias, sub cilio minaci extorta magis quam petita, ve Duce Criquio, tormenta bellica, legionibus pata, ad Mosellam fluvium promovit, at fatibus imposita, secundo amne Rheno, nam vehi fecit, non absque summo Imperi stri scandalo et contemptu, quod (pro dol ob discordiam, socordiam, et abominabiles ruptiones, metui, irreverentiae, et insult hibus MAROBODVI succumbit; qui iam alie ties vim et voluntatem, non modo si lacessa resistendi, sed et provocandi ac lacessendi facto, in barbam Germaniae et aliorum Re Regnorumque, declaravit.

LEGATI, *quos mittebat ad Caesares*, e *dum ut supplicem commendabant*, INTERDVM PRO PARI LOQVEBANTVR, quia, ut in paragr proximo sequetur, *ex male dissimulato ae* age

agebat. Animosus et glorioſus erat Maroboduus, quem LVDOVICVS tamen magnis ſuis animis, ſpiritibusque Regiis longe ſuperat, ut qui ſe in Mundo nulli ut ſupplicem commendat, ſed, praedeceſſoribus ſuis omnibus, cunctis ſe Monarchis parem, imo et ſuperiorem Maieſtate ac dignitate Regia, ſi non iactat, arbitratur. Quam fuerit PHILIPPO IV. Regi Catholico, poſt huius ſuique Legatorum, Londini in Anglia concurſum, ratione praeeminentiae, Madriti; et Romae, ob Ducis Criquii Legati ſui, et Conſortis huius, pediſequorum et Sardorum tumultuarium congreſſum, ALEXANDRO VII. Pontificum ſupremo gravis, Vos omnes Europae Principes nón latet. Et tametſi (ut et a Sancto Germano candide fatetur) conſenſus Regum, Imperatoriae Maieſtati primas cedat, quam tamen ſuo pro Monarcha Caſſanus, Arrhoius, Auberius, et Sorellius, periodos ambitioſas, arrogantes, et ineptas forment, Vos Regi Galliae dignitate pares, cum nauſea riſuque, Principes, procul dubio, legiſtis. HENRICVS III. non modo Poloniarum, ſed et Galliarum Rex, hac in parte modeſtus fuit, et MAXIMILIANI II. Imperatoris, ipſa in ditione Rhedaque Caeſarea, ſiniſtrum latus minime recuſavit, ſed humaniſſime implevit. Stephanum Vinandum Pighium, Hercule in prodicio, audiamus. *Inopinatus*, inquit, *tanti Principis*, tum e Polonia in Galliam abeuntis, *adventus Maximiliano Caeſari renunciatur ſerius, cum vix bidui itinere abeſſet Vrennia. Fit igitur mox apparatus in aulā hoſpiti magno non indignus. Et cum iam antea diu Caeſar maiores*

natu filios suos, Rudolphum Regem, et Ernestum Archiducem misisset in Bohemiam ad habenda Principum Comitia, et eius Regni res cum Ordinibus constituendas: duos minores Mathiam et Maximilianum, cum Oeconomo et magna Nobilitate confestim Regi misit obviam, qui eum deducerent, et tractarent. Ipse postridie cum aulico Comitatu universo volens occurrere, cum neminem filiorum apud se haberet, Carolum Principem (Clivensem scilicet) *sororis filium, in eodem carpento sibi comitem adiunxit, et ultra Danubii pontes magna quadrigarum, equorumque pompa perrexit, ubi secundo fere ab urbe lapide Regem adventem excepit quam humanissime,* ADSCITVMQVE SIBI A SINISTRIS *suo in carpento revexit ad urbem et in palatium.* Et Henricum Regem, nullo Caesareae exceptionis articulo offensum, Vienna discessisse, ex eiusdem gratiarum actione, et humanissima abeuntis methodo patescit. *Cum vero quatriduum Rex Henricus* (eiusdem Pighii verbis utor.) *familiari et amica in conversatione Caesaris transegisset, iter susceptum prosequi cupiens,* GRATIIS ACTIS, *acceptaque licentia, discessit pridie Kalendas Iulias, recta profecturus in Carnos, ut ex itinere Caesaris quoque fratrem Carolum Archiducem salutaret, atque deinde per Forum Iulii pergeret in Venetos et Italiam.* En Henricum Regem optime contentum; sed nimirum hoc argumentum in meis quatuor *Franciae in Galliam redactae* libris fusius tractabo, simulque manifestissime probabo, Soli et unico Imperatori Nostro, ut Germaniae et genuinorum Francorum Regi CHRISTIANISSIMI titulum,

Digitized by Google

tulum, et Regi Catholico praeeminentiam supra Reges Galliae deberi: hunc in Maroboduo pergamus.

GENTIBVS HOMINIBVSQVE A NOBIS DESCISCENTIBVS ERAT APVD EVM PERFVGIVM; *totumque ex male dissimulato agebat aemulum.* Hoc tum in Romanos, Italiam, Hispaniam, Galliam, Vindelicíam, Noricum, Pannoniam, Epyrum, Graeciam, Macedoniam, Thraciam, totam Asiam Minorem, Armeniam, Syriam, Arabiam, Aegyptum, Africam, Numidiam, et Mauritaniam utramque possidentes; et a Rheno ac Danubio adusque Lybiam et Garamantas, et ab Euphrate et Araxe Atlanticum usque ad Oceanum imperantes, Maroboduus audebat. LVDOVICVS Rex Galliarum, nullos quoque Europae Principes formidans, quibuscunque ab iisdem desciscentibus portus undique portasque pandit, ut qui et Lusitaniam, ab Hispania deficientem, contra Pyrenaeicarum conventionum religionem, viris, viribus, et myriadibus auri fovit. Carolum Lotharingum, cum eo nuper, quem nescio per solaecismum, pacíscentem, supra Principes sui sanguinis locum dedit; et Sabaudo, si ab Imperio ad se desciscceret, eundem obtulit; et Serenissimos ac Celsissimos Principes ad Rhenum, consiliis periculosis, suam et subditorum, ut praevideo, ad ruinam, legionibus oblatis suarum partium nunc esse cogit; ac ditionum Imperii Romani urbes, oppida, castella, praesidio suo munit. Audimne dicere quod et matrimoniis nonnullos Germaniae nostrae Principes

ad ſe trahere conetur ?
pecuniis ; ſuos per emiſſ
perium vagantes , Marol
moſior et ingenioſior ,
quod nemo Principum r
noſtro dicat , QVID AD IL
GERMANIA ? NVM EGO
Sed nimirum hoc bene
IVS ILLVD FOEDERVM N
ciliavit , cuius licentia
priam et Imperii totius
tur , quae et libertatem
reor , ſuffocabit ; quam
rimam Vobis Principibu
ad paragraphum Marobo

EXERCITVMQVE , C
LIVM PEDITVM , QVATV
aſſiduis adverſus finitim
iori , quam quod habe
Romani rerum Domini
temperati gentes ſibi ſi
roſiſſimos , ferociſſimos
viros ſeligebant , et ex
mos formabant. Maro
uti vidimus , ex male d
bat , id etiam ſequutus
iectis ſibi gentibus , Su
Zumis , Gotonibus ,
Semnonibus ,
mannis ,
exer
ſep

Digitized by Google

assiduis adversus finitimos bellis exercuit ; ac maiori (ut ait Paterculus) *quam quod habebat operi praeparavit.* LVDOVICVS, hac in parte MAROBODVVS etiam REDIVIVVS, non modo suis e Gasconibus, Armoricis, Normannis, Occitanis, Verbo, Gallis, sed et ex Allobrogibus, Helvetis, Hybernis, Anglis, Scotis, subactis Flandris, Atrebatibus, Nerviisque; tum et vicinis longeque dissitis e Germanis, exercitum ut iactant supra septuaginta millium peditum, et viginti equitum coadunavit ; *quem et assiduis adversus finitimos bellis*, tum et Castellum apud sancti Sebastiani, Galeato Marti et Bellonae sacrum, expeditionibus, oppugnationibus, ludicris seriisque praeliis assuefecit, *maiorique, quam quod habet, operi sic praeparavit*, ut IVNCTIS OMNIBVS iam se NON MINOREM, quin et VNVM PAREM OMNIBVS, hieroglyphicis lemmatisque, aereo machinarum gutturi infusis, palam ferat; cum quo etiam, Vobis e Principibus Europae, nemo unus concurrere contendit. Esset autem, non nemo esset qui auderet, si suo membra capiti firmiter adhaererent. Quid autem porro MAROBODVVS IN LVDOVICO REDIVIVVS? E Velleio videamus.

ERATQVE ETIAM EO TIMENDVS, QVOD, *Germaniam ad laevam et a fronte, Pannoniam ad dextram, a tergo sedium suarum habet Noricos*, TANQVAM IN OMNES SEMPER VENTVRVS, AB OMNIBVS TIMEBATVR. Est Marobodus hic in summo, quem Paterculus fatetur omnes, absque ulla, etiam Romanorum, ex-

ceptione, timuisse, quoniam, ut postea sequetur, *nec securam incrementi sui patiebatur esse Italiam.* Stat nunc LVDOVICVS X. et IV. in pari gradu, Decessorum omnium suorum, a Carolo Crasso Imperatore, Germaniarum et Galliarum Rege, potentia, divitiis, et amplitudine Regni sui longe maximus, ut qui, a Brisgovia, Philipsburgo, Rheno, Lotharingia quoque, ad tempus saltem, incorporata, adusque Pyrenaeos et Navarrae Regnum, et propemodum a Bruxellis, et Audenarda adusque Goth-Alaniam, sive Cathaloniam, numeris omnibus absolutissimus Monarcha imperat ac tot equitum peditumque millibus instructus, mente sua Regia Orbem versat; *estque eo etiam*, cum Maroboduo, *timendus*, *quod*, cum Hispaniam ad laevam, Germaniam ad dextram, et, ut nunc vertisse faciem videtur, Britanniam, Hispano-Belgium, Provincias Confoederatas, et Aquilonem a fronte, *et a tergo sedium suarum* Genuam, Sabaudiam, Genevam, Helvetiam, et Alpes habeat, *tanquam in omnes semper venturus, ab omnibus, timetur*; felicissimus meo iudicio futurus Regum, si eo, quod iuste possidet, contentus, latius regnare non ambiret, aut vires cantas in haereditarios nominis Christiani hostes, Christianissime moveret. Tunc profecto omnes illi, quos a laeva, quos a dextra, quos a fronte, et quos a tergo habet, tam sacri belli commilitones, arma sua, viresque suas, quas metu nunc armorum et virium ipsius colligunt, ex parte singuli ad sacrum eiusdem labarum transire anhelarent, ratesque maritimas, transferendos ad exercitus,

Digitized by Google

exercitus, devotione aemula ſuppeditarent. Et quodnam eſſet Barbarorum Regnum, quaenam Cidaris, quodnam diadema, et quaenam faſciae Regales, quae lilia non admitterent, vexillis innumeris translata, et in hoſtico plantata? Eſt trans mare Mediterraneum, ſuae Galliae vicina Africa, cladem nuperam Chicheranam quaſi exprobrans, pyratarum excurſionibus infamis, infidelibus a Mahometis aſſeclis, et imbellibus a Mauris atque Numidis inſeſſa; quam olim Agathocles, Regulus, Scipio, Metellus, Marius, Pompeius, et Caeſar Iulius, paucis legionibus inſtructi, magnis cladibus affecere, aut totam ſubegere; quidni itaque LVDOVICVS, ultra centum millium fortiſſimorum, Europaeorum exercitu ſtipatus, eam tantis viribus debellet, et Coronae Gallicae annectat? Sed, ut praevideo, vicinos in Chriſtianos omnes terrorem ſpargens, dumtaxat eos ſuis armis irritabit, ac viciſſim in ſe armabit; quorum fere ſingulos paragrapho ſeorſim ſuo conſiderare neceſſarium videtur.

Hiſpania, quam REDIVIVVS hic MARODODVVS ad laevam habet, potentia, opibus, amplitudine ac multitudine Provinciarum, Luſitaniam quoque ſi excipias, Regno Galliae non cedit; ut ſileam de annexis illi Neapoleos Siciliaeque Regnis, Sardinia, Balearibus, atque Inſulis re et nomine Fortunatis; tum et in America regionibus immenſis; quae et nuper metui non ſuccubuit, ſed nimio candori; adeo legationibus et aſſecurationibus perſuaſa nihil Galliam in ſe molituram, ut Caſtelli Roderici Marchioni toto triennio, et tum quoque, cum iam LVDOVICVS,

suo cum exercitu, Belgium intrasset aliter monenti, fidem vix adhiberet; et hinc tot oppida, Castella, Vrbes, Carolo-Regium, Athum, Binckum, Tornacum, Duacum, Cortracum, Audenardam, Insulas, aestate una; et hyeme statim proxima Burgundiae Comitatum perdidit; perditura, procul dubio, totum suum Belgium, nisi Rex Anglorum CAROLVS II. tres inter CAROLOS II. in Europa nunc regnantes, aetate primus, grassanti Galliae opportunum tunc repagulum, Faedus Triplex prudentissime obiecisset. Tu enim Britaniarum potentissime Monarcha (liceat, post Regiam Tuam dexteram reverenti basio non temeratam, Te compellare.) Tu MAROBODVO REDIVIVO huic, *Magnum* quoque *Clodovaeum* quondam, Tolbiacensem post victoriam, experimenti; et prosperrimos armorum post successus, eiusdem Tecum nominis Hispaniarum Regi, ceu huius tempori, (absque tamen Ariana labe.) *Alarico* imminenti, totique Belgio inhianti, *Theodoricus* aevi nostri sapientissimus, aequissimus, et moderatissimus fuisti; Tibique CAROLVM II. alterum, Suecorum, Gothorum, Wandalorum, tanquam *Hermenifridum*; Thoringorum; et Confoederatis Vnitarum Provinciarum in Ordinibus, *Gundebaldum* quasi Burgundorum Regem sociasti, atque triplici hoc funiculo *Clodovaei* manus hostiles ligans, ulterioribus a progressibus absterruisti. Totius historiae similitudinem a Bussieres Soc. Iesu Presbytero mutuemus. Cum *Clodovaeus Alarico* Visigothorum Regi, a ligeri ad Pyrenaeos tum imperanti, immineret, *Theodoricus* Rex Italiae eum a belli consiliis

filiis deterruit, et ad amicos Reges scripsit, quorum officia, vel arma ad eam pacem, vel impetrandam, vel conficiendam opportunos iudicavit. (Histor. Franc. lib. I. Num. XIII.) *Ad Gundebaldum quidem*, ait Buffieres, *ut pro mutua affinitate, distractam concordiam Principum restauraret: ad Hermenifridum Herulorum Regem sive Turingorum paulo asperius, ut omisso bello et praecipso, legatos ad Francum mittat, qui de pace agerent, et initum contra Alaricum foedus, nisi amica lite contenderet Francus, statim rescinderent: postremo ad Clodovaeum ipsum, qui belli fons et cardo consilii, litteras dedit; quibus primum veluti affinem dehortabatur a bello, quod suis populis grave, molestumque omni Galliae foret; tum admonebat et propemodum minabatur, si porro pergeret, sua caeterorumque Regum arma una in eum consensione movenda, communemque hostem omnium fore, qui uni amicus esse respueret.* TOT PRINCIPVM CONSPIRANS ANIMVS CLODOVAEVM FREGIT; *legati benevole admissi; de pace actum est; et restituta Visigotho concordia. Theodorico gloriae fuit, discussisse tantum belli apparatum, intercessisse Principum arma, ac pro totius Europae arbitro, vinculo pacis contraria studia animosque oppositos colligasse. Haec amorum conciliatio tam molesta Franco quam iucunda caeteris fuit; quippe obiectos suis votis aggeres, ereptam appetenti praedam, specie precum minas atque imperium, detractamque metu victoriam, impotens animus adscribebat iniuriae. Tamen ne se unicum tam multis opponeret, cedendum tempori ratus, Alaricum distulit, nec omisit,*

statimque animum ad Burgundicum bellum appli cuit. Quem vidisti et legisti CAROLE II. *Theodoricum*, Tu exhibuisti, in Suionibus atque Batavis *Hermenifridum* et *Gundebaldum* Tibi adjunxisti, pace Aquisgranensi Burgundiae Comitatum Regi Catholico restituisti, reliquum Hispano Belgii inhiantis manibus eripuisti, tantum belli apparatum discussisti, armis Principum intercessisti, Europae arbiter fuisti, pacis vinculo contraria studia animosque oppositos colligasti, alienis votis aggeres obiecisti, precum spes minas atque imperium miscuisti, Tuique et sociorum tuorum metu *Cladouaeo* victoriam detraxisti. Et Tibi unico si libuisset fidelissimi Principis ablegatis Baronis de Risaucour humillime petitae gratiae benignissime suffragari, plicis eiusdem foederis beneficio Lotharingo Duci Carolo, Ducemque Carolum suae Lotharingiae restituisses. Hinc potentiam Tuam suspicit, et Te in oculis et a fronte habet Hispano-Belgium, quod totus degerit, quia tum non acquisivit, a Te ereptum sibi autu Et qui legionibus in immensum auctis Guniba Tuo, Provinciarum Vnitarum Reipublicae, Sociae, sic minatur, quantum non putes Ti triplicis illius foederis auctori, suam quo Franciam in titulo gerenti, indignari? Sed mirum Te ille differt, quia terra accedere poterit, et mari potentia non aequat, vere dus et amicus necessitate, quem mediarum tem, si non suarum, esse partium anhelat, unicus simul hostis incrementum eius remora Quia autem *Theobaldum* quem Clodovaeus, p Alaricu

Alaricum invasit, destituisse *Theodorico* gloriae non fuit, in Te Europae oculi nunc vertuntur; et sera posteritas considerabit, qui Tu porro *Theodoricum* agas, atque egeris; totamque sapientia, constantia, et fortitudine Tuae gloriae Maiestatem impleas, et impleris. Et Tu vides, ut videt Orbis, cuius Tu aequilibrium, terra magnus, mari maximus, conservare potes, LVDOVICVM Regem, suorum septemdecim in Provinciis votorum compotem, eosdem ad extremum cum Mundo terminos habiturum.

Tametsi vero MAROBODVVS hic REDIVIVVS Hispaniam ad laevam; Britaniam, Hispano-Belgium, et Provincias Confoederatas a fronte habeat, habet et Germanicas ad dextram, *et tanquam in omnes semper venturus ab omnibus timetur.* Est enim sui obtegens, simulare doctus, occasionibus intentus; et secundum ipsiusmet hic vel illic arridentis Fortunae vultum facillime se vertit. Habet Brisacum, Alsatiam, Philipsburgum, Novesium, Ordingam, Caesaris Insulam, Dorstenam, et ipsi Coloniae Agrippinensi, sub Maximiliani Henrici Archiepiscopi Electoris nomine totus imminet, expugnatae, procul dubio, ipsiusmet Dominus futurus, nudumque Archipraesuli titulum relicturus. Et tum sola Ehrenberti Petra, et Vrbs unica Argentinensis, spes illius ad Rhenum et Mosellam amaes remorantur. Quid enim, post Coloniam, Wormatia, quid Spira, quid Moguntia, Bingium, Confluentia, Treviri, Andernacum, et Bonna ipsa? et cum Lotharingiam, si

res

res illius feliciter succedant, nunquam Duci nunquam Imperio sit redditurus; et Burgundiae Comitatum, munimenta eius destruendo, tormenta bellica abducendo, populum exhauriendo, semper obnoxium armis suis fecerit, quam procul ab Austrasia desiderata aberit? Sed ulterius cogitationes suas ille mittit, et Imperium Romanum, si non sibi, suo saltem Delphino ambit; vix usquam potentior quam discordi in Germania futurus, si CAROLI II. Hispaniarum et Britaniarum Reges, et Vnitarum Provinciarum Ordines, in Oceano classibus suis validi, se non moverent, nullis tum in litoribus arma sua relicturus, et formidandis illis viribus suis integris uno in Imperio usurus.

Quae porro nostra de Germania hic dici possent, ac deberent, ea iam ab annis tribus et viginti, *in Paraeneſi mea ad Germanos, pro communi Patria, libertate, gloria tuenda*, populariibus meis fusius inculcavi, ad quam eosdem ter recusam, et iure merito nunc recudendam, ac diligentissime legendam, ne dicta dicere, et ingesta repetere sit necessarium, remitto.

Sed et a tergo sedium suarum habet Genuam, Sabaudiam, Genevam, et Helvetios, qui quonam iurisiurandi Sacramento tutiores esse possint Hispano-Belgis non satis video. Et quidem Galliarum Reges aliquando Genuam habuisse me non fugit, atque etiam non latet Velle Galliam, quicquid semel annexum Coronae fuit, id avelli per legem Salicam non posse. Cavete itaque Vobis Ianuenses, et cum Iano Vestro,

Digitized by Google

Veſtro, non bifronte tantum ſed quadrifronte, octo oculis vigilate. Neque Gallia, quae, quicquid Caroli Magni quondam fuit, ceu hereditarium ſibi repetit, Sabaudiam excludit; minime Genevam, in quam oculos aliquoties conjecit. Helvetiam vero partem Imperii fuiſſe Carolini, et ad Coronam lege Salica ſpectare, ſi quis in dubium vocare vellet, Caſſanum, Arrhoium, Auberium, alioſque Gallicos ſcriptores, ſuorumque Regum adulatores conſulat, plenis e voluminibus, modo fidem adhibere, ſibique perſuaderi velit, inflatas et ampullatas per periodos ediſcet. Et an excidit Vobis Helvetis *Franciſcum I.* caeſis vobis, Veſtra de Helvetia invadenda deliberaſſe? Veſtras Alpes, Veſtraſque fauces impenetrabiles non iudicavit. Miror autem, nec parum miror, Vos Ligures, Allobroges, atque Helvetos, vicino illi Veſtro MAROBODVO, Vobis omnibus imminenti manus adhuc famulas et iuventutem Veſtram ad ſervitium commodare. Militiam ſuam diſponendi ille didicit veteribus a Romanis, qui Germanos in Aſiam, Africam, ad Araxem, Euphratem, Nilum; et Aſiaticos, Thebaeos, Afros, Numidas, et Mauros, ad Danubium Rhenumque Noſtrum, adverſus Germaniam et Germanos, transferebant; quam eandem artem et LVDOVICVS probe callet, qui non Liguribus, Allobrogibus, et Helvetiis, adverſus Ligures, Allobroges, Helveticos ſed iis alio translatis, Britanos, Hybernos, Scotos, Germanos, ſuosque Gallos adverſus Vos, iuventutis Veſtrae robore iam exhauſtos ducet. Callidiſſimus enim, Martiſque artium

artium peritissimus est MAROBODVVS hic REDIVIVVS, ut fuit et defunctus, quod e Velleio Paterculo patescit, e quo eundem porro videamus.

NEC SECVRAM INCREMENTI SVI PATIEBATVR ESSE ITALIAM: *quippe cum à summis Alpium iugis (quae finem Italiae terminant) initium eius finium haud multo plus CC. milibus passuum abesset.* Italiam pro Romanis hic accipit Velleius, quod illi pleraque illius regionis Vrbes Civitate Romana iam donassent, et Italiae caput Roma esset, quam et securam sui esse incrementi *Maroboduus* non patiebatur: et an patietur LVDOVICVS? Auberius Romam ipsam primum Regni Francici Episcopatum, et Pontificem Romanum primum Episcopum Coronae facit; totamque Italiam, post Longobardos, horumque Regem Desiderium, nationis illius ultimum, à Carolo Magno debellatum, et Leodium translatum, Gallorum Regibus accessisse, ab iis nunquam lege Salica divellendam, semperque repetendam asserit. Neque crediderim Vobis Italis Andegavensium, et *Ludovici XI.* expeditiones, Vobis omnibus suspectas, et Florentinis manifeste minitantes, excidisse; Vosque Venetos Addauanae cladis haud immemores etiamnum esse. Et LVDOVICVS, ratione Castri Farnesiis adhaeres, Romanae Sedi semper gravis, promptum lapidem offensionis perpetuo manu Regia sua versat, occasioni optimae intentus, quam non adeo in Farnesiorum quam propriis emolumenti et incrementi sui gratiam venatur. Vos autem ingeniosi Itali, prudentes Veneti, providi Romani, sapientes Florentini, quid nunc agitis? an dormitis? Stat

MARO-

MAROBODVVS tot millium exercitu ſtipatus, *et tanquam in omnes venturus ab* aliis *omnibus timetur*; et Vos abſque ullo delectu militum torpetis, cum ille tamen *ſecuram ſui incrementi non patiatur eſſe Italiam.* Transmontani diverſa illi foedera obiecerunt; Vos ne Italiam quidem Veſtram unione aliqua neceſſaria colligaſtis. Quid ſi totis viribus in Vos ſe vertat, quiſnam obligabitur Vobis ſubvenire, niſi ob intereſſe proprium Hiſpanus, et fortaſſis Imperator, ſi feudorum ſuorum ille rationem habere velit? Vos autem inveniet et invadet imparatos. Sed nimirum ſacroſancte promiſit Vobis amicitiam, pacem, et vicinitatis optimae, nec violandae, religionem: promiſerat et Hiſpanis ac Hiſpano-Belgis, quorum tamen multae urbes expugnatae illi ſerviunt et ſubſunt.

Eſſetne vero in MAROBODVO hoc REDIVIVO huius quoque Daniae, Sueciae, Poloniae intereſſet? Tametſi ille regionem magis quam religionem curet, ut qui munimenta urbium Acatholicarum deſtruit, et Eccleſias Acatholicis conſervat, nuper tamen eum ſummo Pontifici ſcripſiſſe volunt; ſe exercitum centum quinquaginta millium virorum in haereticos ducturum, quo nomine quantumvis Calvini placitis inhaerentes quaſi indice demonſtret, tamen et Lutheri dogmata ſequentes non excludit. Et non ita pridem ille ficti nominis *de Monzambano*, invereundia ſua Orbi notus, ſecundum ambitionem Gallicam vaticinari non erubuit, Reges Daniae fortaſſis Galliae Monarcharum clientelam, non

uſque

usque adeo abhorrituros, quod abominabile Tu prognosticon CHRISTIANE V. omnino nulli ratione Daniae et Norvvegiae nisi Numini supremo subdite, et veterum Nortmannorum, partem Galliae saltem adhuc in nomine possidentium, gloriae Restauratqr, argumento aliquando forti, et ego in meis quatuor *Franciae in Galliam redactae* libris, penna mea Maiestati Tuae devotissima, fusius refutabo. Et Tu CAROLE II. Suionum, Gothorum, et Wandalorum Rex, quantum LVDOVICO X. et IV. fidere audebis, qui ipsiusmet Archiepiscopatum in Germania Bremensem, et vicinum illi Episcopatum Ferdensem Westphalica pace possides; et Pomerania citeriori gaudes, pro qua aequivalens Elector Brandenburgicus Magdeburgensem Archiepiscopatum, et Episcopatus Halberstadiensem et Mindensem obtinet? Certus esto Romae arbiter quam Holmiae et Berolini suos per ablegatos atque litteras loquetur. Iam Poloniam Catholicissimam indignatur *Samonem* mercatorem aliquando Francum (a quo nomen *Samigithiae* etiamnum perseverat) Regem admisisse, et sanguinis sui Regii magnum Principem nuper respuisse; et, profusos tot aureorum post milliones.

Manet alta mente repostа

ELECTO MICHAELIS.

MAROBODVVS REDIVIVVS itaque, *tanquam in omnes semper venturus ab omnibus timetur*, aut certe timeri potest, ab Italia, Helvetia, Hispania, Hispano-Belgio, Anglia, Provinciis Confoederatis, Germania superiori, Dania, Suecia,

Digitized by Google

Suecia, Polonia: quid ergo? quid consilii? Videamus e Paterculo quid egerint Romani.

HVNC VIRVM, *et hanc regionem*, DIVERSIS E PARTIBVS Tiberius Caesar AGGREDI STATVIT. Romani totius Orbis, extra controversiam, tum potentissimi, sic armatum tamen *Maroboduum* non ferebant, hostemque certum quam amicum dubium malebant; qui tantus ipsis erat, *ut, diversis e partibus*, et duodecim quidem legionibus, *aggrediendum* iudicarent, tametsi, aliter disponente tunc Fortuna, evaserit eorum manus, ut e Paterculo patescit. *Sentio Saturnino*, inquit, *mandatum, ut per Caltos, excisis continentibus Herciniae Silvis, legiones Boiohaemum (id regioni, quam incolebat Maroboduus, nomen est) ipse a Carnunto, qui locus Norici Regni proximus ab hac parte erat, exercitum, qui in Illyrico merebat, ducere in Marcomannos orsus est. Rumpit, interdum moratur proposita hominum Fortuna. Praeparaverat iam Hyberna Caesar ad Danubium, admotoque exercitu non plus, quam quinque dierum iter, a primis hostium, Saturninum admoveri placuerat. Paene aequali divisae intervallo ab hoste intra paucos dies in praedicto loco cum Caesare iunctiurae erant, cum universa Pannonia, insolens longae pacis bonis, et adulta viribus Dalmatia, omnibus tractus eius gentibus in societatem adductis, ex instituto arma corripuit.* TVM NECESSARIA GLORIOSIS PRAEPOSITA? *neque tutum visum, abdito in interiora exercitu, vacuam tam vicino hosti relinquere Italiam.* Ex hisce liquet *Maroboduum* in Romanos nil moviſſe,

Digitized by Google

causamque belli nullam aliam hos habuisse, quam quod ille sic armatus *securam incrementi sui Italiam non pateretur*; quia et Velleius diserte asserit Tiberium *necessaria gloriosis praeposuisse*. Priusquam tamen Tiberius exercitum in Pannoniam, et Dalmatiam rebellem educeret, *Maroboduum*, suis armis irritatum, pace obstrinxisse, ex hisce Taciti manifestum est: (Lib. II. Annal.) *Crebris epistolis Tiberius monebat* (Germanicum nimirum) *rediret ad decretum triumphum. Satis iam eventuum, satis casuum: prospera illi et magna praelia eorum quoque meminisset quae venti et fluctus, nulla Ducis culpa, gravia tamen et saeva damna intulissent. Se novies a Divo Augusto in Germaniam missum, plura consilio quam vi perfeciisse. Sic Sigambros in deditionem acceptos, sic Suevos*, REGEMQVE MAROBODVVM PACE OBSTRICTVM. Sunt haec clarissima; sed et notanda quae mox subiungit: *Posse et Cheruscos, ceteraque rebellium gentes, quando Romanae ultioni consultum est*, INTERNIS DISCORDIIS RELINQVI. Callidissimus Imperator, Pannoniis Dalmatisque rebellantibus, pacis legibus obstrictum *Maroboduum* magis distulerat quam omittebat; et hinc, Germanico Suetis a legionibus abstracto, hasce discordias internis fovit, et *Arminium* in *Maroboduum* excitavit, quia (ut post videbimus) *in destruendo eo consilia sua extulit*. *Arminius* itaque in Boiohaemum movens, Semnones et Longobardos a *Maroboduo* deficientes sibi adiunxit, struxit aciem, et ambigue pugnavit: Sed *Maroboduus*, ut ait Tacitus, *castra in colles subduxit. Id signum perculsi fuit:*

Digitized by Google

fuit : et transfugis paulatim nudatus in Marcomannos concessit, misitque legatos ad Tiberium braturos auxilia : Sed frustra, Tiberius enim in evertendi Marobodui calliditate perseveravit. (Lib. II. Annal.) *Dum ea aestas*, ait Tacitus, *Germanico plures per Provincias transigitur, haut leve decus Drusus* (a Tiberio ad hoc missus) *quaesivit* INITIENS GERMANOS AD DISCORDIAS, VTQVE FRACTO IAM MAROBODVO VSQVE IN EXITIVM INSISTERETVR. Stante adhuc et regnante *Marobodvo* armato Tiberius quiescere non poterat ; et *Maroboduus* suo in fastigio constitutus violentia sua fecerat, ut amicos paucissimos haberet, et ultores iniuriarum sibi illatarum ipsi non deessent. *Erat* itaque *inter Gothones nobilis iuvenis nomine Catualda*, PROFVGVS OLIM VI MAROBODVI, *et, tunc dubiis rebus eius*, VLTIONEM AVSVS. *Is valida manu fines Marcomannorum ingreditur, corruptisque primoribus ad societatem, inrumpit Regiam, Castelliumque iuxta situm. Veteres illic Suevorum praedae, et nostris e Provinciis lixae, ac negotiatores reperti, quos ius commercii, dein cupido augendi pecuniam, postremum oblivio Patriae suis quemque a sedibus hostilem in agrum transtulit.* MAROBODVO VNDIQVE DESERTO, NON ALIVD SVBSIDIVM QVAM MISERICORDIA CAESARIS FVIT. *Transgressus Danubium, qua Noricam Provinciam praefluit, scripsit Tiberio, non ut profugus aut supplex, sed ex memoria prioris fortunae : nam multis nationibus clarissimum quondam Regem ad se vocantibus*, ROMANAM AMICITIAM PRAETVLISSE. Quod *Maroboduus* hic

gloriatur, Romanam se amicitiam praetuliſſe, id tam eſt certum, ut et *Arminius* ante praelium illi exprobrarit, (Tacitus Lib. II. Annal.) *per dona et legationes petiviſſe foedus, proditorem Patriae, Satellitem Caeſaris, haud minus infenſis animis exturbandum, quam Varum Quinctilium interfecerint.* Et ipſe Tiberius agnoſcit: *reſponſum* enim *a Caeſare*, ait Tacitus, *tutam ei honoratamque ſedem in Italia fore, ſi maneret: ſin rebus eius aliud conduceret; abiturum fide qua veniſſet.* Haec eo retuli, luce meridiana clarius ut appareret, *Maroboduum* Romanos (quemadmodum et ſupra tetigi) armis minime irritaſſe; et Tiberium cauſae nihil, eum ut everteret, habuiſſe, quam quod ſeptuaginta quatuor millium exercitu armatum non pateretur. Quantus enim ille Tiberio Imperatori fuerit Tacitus non tacet. *Ceterum apud Senatum*, inquit, *diſſeruit, non Philippum Athenienſibus, non Pyrrhum, aut Antiochum, populo Romano perinde metuendos fuiſſe. Exſtat oratio qua magnitudinem viri, violentiam ſubiectarum ei gentium, et quam propinquus Italiae hoſtis,* SVAQVE IN DESTRVENDO EO CONSILIA EXTVLIT. At quis tandem illius finis? ex eodem Tacito videamus. *Et Maroboduus quidem*, ait, *Ravennae habitus, ſi quando inſoleſcerent Suevi, quaſi rediturus in Regnum oſtentabatur: Sed non exceſſit Italia per duodeviginti annos,* CONSENVITQVE MVLTVM IMMVNITA CLARITATE, *ob nimiam vivendi cupidinem.* Haec omnia qui conveniant, aut convenire poſſint LVDOVICO Regi Galliae nunc diſpiciendum.

Vidimus

Digitized by Google

Vidimus MAROBODVVM hunc REDIVIVVM, cum et e diversis partibus oppugnandum se timeret, pace Aquisgranensi obstrictum. Vidimus et Lotharingiae Ducem *Carolum*, Catualdam velut Nostri temporis, vi LVDOVICI Regis sua Provincia eiectum profugisse. Videmus et Monarcham illum potentissimum, post pacem, etiam Aquisgranensem, et Lotharingia exutum *Carolum*, exercitibus in immensum auctis, armatum stare; quod ut Tiberius suo aevo vidit, *Arminium* illi opponendum, et per hunc frangendum, prudentissime iudicavit. Hunc autem callidissimum Imperatorem, iisdem hisce rerum in coniuncturis, sequi an non expediat, ego Europae Vobis Principibus relinquo, quibus eum imminere singulis manifestum est, cum LVDOVICVS *Marobodvo* defuncto non dumtaxat sit prudentior et potentior; sed et audentior, quemadmodum Hispania, Belgium, Burgundia, Lotharingia, expertae sunt; et Vnitarum Provinciarum Ordines, ut apparet, brevi, et, post hosce (nisi ambitionis, indies proficientis, cursus obiecto obice, sufflaminetur) omnes alii experientur. Quid ergo? Imperii Romani Ordines, qui, iam ab annis Ratisbonae congregati, Germaniae securitati studuere, et exercitus conscripsere, conceptae militiae Praefectum Generalem Generosissimum et fortissimum illum Principem *Fridericum* Marchionem Durlacenum, nuper eiusdem Imperii armorum, cum celebratissimo illo Principe *Christophoro Bernardo*, Monasterienssium et Corbeiensium Antistite, Directorem, recte creavere: quid si autem Sacra-

Digitized by Google

tiſſimus Imperator LEOPOLDVS, Imperii Romani non Tiberius ſed Auguſtus, ſuorum et Imperii armorum Generaliſſimum FREDERICVM GVILIELMVM Marchionem Brandenburgicum nominaret, noſtri temporis qui Arminium impleret? Per eundem ſane turbatum nuper Aquilonem fortiter et ſapienter compoſuit et pacavit; et Electoris Sereniſſimi et Potentiſſimi, ob ditiones in Imperio Romano haereditarias ipſius plurimas, multum intereſt, ne pax Germanica et Weſtphalica detrimenti quid patiatur. Habet ille amicam modo ſibi Sueciam, Daniam obligatam, Poloniam faventem, Britaniam Affinem, Vnitarum Provinciarum Ordines, ſe ambientes, et Auguſtam Domum, tota cum Germania et Hiſpania, in ſe propenſam. Et iam magnificas emiſit voces Octoviro animoſiſſimo ſeque dignas, huius temporis et ARMINIVM; Germanicae nationis, exſtimationis, ſecuritatis, libertatis, gloriae CVSTODEM; laeſaeque publicae tranquillitatis VINDICEM ſpirantes. Hoc ſane, hoc ARMINIO in MAROBODVVM movente, erunt Semnones et Longobardi qui deficiant, ad eum tranſeant, et *Cadualdae*, vi MAROBODVI profugi, qui, dubiis rebus eius, ultionem auſint. Et tametſi futuris de contingentibus determinatam veritatem non habeamus, ut qui ſacram Iovis ſupremi diphtheram non inſpeximus, iugem tamen per experientiam nobis liquet, rerum inſolentium felicitatem ad extremum eſſe infeliciſſimam ſolere. Et MAROBODVVS hic REDIVIVVS amicos etiam tota in Europa habet paucos, et, quo felicior ille fuerit, habebit pauciores: neceſſe

ceſſe eſt enim tandem VT OMNES TIMEAT QVI AB OMNIBVS TIMETVR. LVDOVICVS ſane Rex Galliarum, ut ut fortiſſimus, prudentiſſimus, potentiſſimus, hactenus et feliciſſimus, multum me hercule perpendendum, et metuendum in MARBODVO exemplum habet, qui aevo ſuo Regnis alienis imminens, fractus per ARMINIVM, et per *Catualdam* pulſus, ſuo excidit, CONSENVITQVE MVLTVM IMMINVTA CLARITATE; quia una tantum, dumtaxat VNA ADVERSVS FORTVNAM EST SECVRITAS NON NIMIVM EAM EXPERIRI.

XIV.

DE DIIS CLAVIGERIS

CHRIST. GOTTL. SCHVVARZIVS.
IN ACAD. ALT. PROF. PVBL. ORD.

Alt. 1728.

In antiqua Graecorum et Romanorum aliorumque populorum a vera religione alienorum *mythologia*, obſervamus, Diis quibusdam CLAVES tribui; qui inde Graece κλειδοῦχοι cognominantur; quos Latine dixeris *clavigeros*; non vero a *clava*; qua quidem ratione *Hercules* OVIDIO, *Libr. I Faſtor. v.* 544, *et Libr. XV Metamorph. v.* 284, appellatur CLAVIGER; propterea, quod is *clavam*, antiquiſſimum armorum genus, geſtavit; ſed a *clave*, i. e. inſtrumento, quo reſerantur clauſtra et ſerae: unde Ianus OVIDIO, *Libr. I. Faſt. v.* 228. *Claviger* dicitur:

Digitized by Google

CLAVIGERVM *verbis alloquor ipſe* DEVM.
Conſtitui igitur nunc paucis diſquirere, quib
potiſſimum Diis, et quas ob cauſſas, clav
aſſignari conſueverint? Deinde diſpiciam, a
et quomodo, quaedam loquendi formulae, qu
in divinoribus literis, ac ſigillatim in *Apocaly*
occurrunt, hinc illuſtrari poſſint?

SECTIO I.

I. A IANO initium capimus; utpote qu
iam iniecimus mentionem, et quem veteres R
manı, teſte CICERONE, *Libr. II de Nat. Deor*
cap. XXVII, principem in ſacrificando eſſe vol
uerunt. Sic vero ARNOBIVS, *adverſus Gente*
Libr. VI, p. 247, ubi de Deorum inſignibu
loquitur: *Fronte*, inquit, IANVS *ancipiti, au*
DENTATA *illa, qua inſignitus eſt*, CLAVIS. etc.
De eodem haec tradit ALBRICVS PHILOSOPHVS
in *Libello de imaginibus Deorum, cap. XIII*
IANVS *vero in Deorum numerum acceptus eſt*
cui omnis rei initium et finem tribuebant. H
autem taliter figurabatur: Erat Rex homo, ſe
dens in throno fulgenti radiis circumquaque, qu
duas facies habebat; quarum una ante ſe, alter
poſt ſe, reſpiciebat. Iuxta illum quoque erat tem
plum, et in manu eius dextra habebat CLAVEM
qua templum ipſum aperire ſe monſtrabat. In ſ
niſtra vero habebat baculum, quo ſaxum perc
tere, et ex illo aquam producere videbatur. Ra
tionem, cur Ianus geſtarit clavem, indicat MA
CROBIVS, *Saturnal. Libr. I, cap. 9.* *Apud n*
inquit, IANVM *omnibus praeeſſe ianuis, nom*
oſtendit, quod ſimile Θυραίῳ, *nam et cum* CLA

Digitized by Google

ac virga figuratur, quasi et omnium portarum custos, et rector viarum. -- -- Ianum quidam Solem demonstrari volunt, et ideo geminum, quasi utriusque IANVAE COELESTIS POTENTEM; *qui exoriens* APERIAT *diem, occidens* CLAVDAT: *invocarique primum, cum alicui* DEO *res divina celebratur, ut per eum pateat ad illum, cui immolatur, accessus, quasi preces supplicum per portas suas ad Deos ipse transmittat. -- Gavius Bassus, in eo libro, quem de Diis composuit, Ianum bifrontem fingi ait, quasi* SVPERVM *atque* INFERVM IANITOREM. etc. Sed et OVIDIVS, l. c. *nempe Libr. I Fastor. v.* 99, sic de Iano canit:

Ille tenet dextra baculum CLAVEM*que sinistra.*

Et paullo post eundem sic facit loquentem:

Quicquid ubique vides, coelum, mare, nubila, terras;
OMNIA *sunt nostra* CLAVSA PATENT*que manu.*
Me penes est unum vasti CVSTODIA *mundi;*
Et ius vertendi cardinis omne meum est. --.
Praesideo FORIBVS COELI *cum mitibus* HORIS;
Id redit officio Iupiter ipse meo. - -.
Nomina ridebis: modo namque PATVLCIVS *idem,*
Et modo sacrifico CLVSIVS *ore vocor. - --.*
Nil mihi cum bello; pacem postesque tuebar;
Et CLAVEM *ostendens: Haec, ait, arma gero.*

VOSSIVS, *Libr. II de orig. et progressu Idololatr. cap.* 16, ubi commonstrat, Ianum antiquis non alium a Sole fuisse, nominum *Patulcii, Clusii,* et *Clavigeri*, hanc exponit rationem: *Duae*, inquit, *sunt caeli portae: orientali ingreditur Sol, et omnia patefacit; unde* IANO PATVLCII *nomen:*

occidentali exit, diemque claudit nobis, unde CLVSII *appellatio. Ad utrumque pertinet* CLAVIGERI *vocabulum. Nam ut virgam, sive sceptrum, tenebat manu una, ad imperium suum per orbem indicandum; ita manu altera gestabat* CLAVEM; *quia portas caeli aperit et claudit: quomodo eadem quoque clavi, et fores aperimus, ea in seram immissa, reducentes ferreum illum pessulum, qui ianuam posti iungit; et easdem claudimus, adducendo eodem per immissam clavem pessulo.* Mirum vero est, ex tot monumentis antiquis nullum nobis adhuc occurrisse, quod imaginem Iani clavem gestantis referat.

II. Sed et PLVTONI claves terrae et inferorum tribuit antiquitas. Etenim, non solum PLATO, in *Axiocho*, *pag.* 371, (quamquam is Dialogus pro notho habetur) commemorat, τὰ πρόπυλα τῆς εἰς Πλούτωνος οἴδε, σιδηροῖς κλείθροις καὶ κλισίαις ὠχυρῶσθαι, *vestibulum, quo aditus patet ad Plutoniam regiam, ferreis clausti*ris CLAVIBVS*que firmari*: sed et haec diserte legimus in ORPHEI *hymno in Plutonem*, *v.* 4: Πλοῦτων, ὃς κατέχεις γαίης κληῖδας ἁπάσης. i. e. *O Pluto, qui tenes claves terrae universae!* Item et PAVSANIAS, *Libr. V*, *pag.* 427, clavem pro insigni Ditis habet, eiusque potestatem explicat, ubi inter alia Eleorum monimenta et haec refert: Ἔστι δὲ Πλούτων, καὶ Διόνυσος, Περσεφόνη τε καὶ Νύμφαι, σφᾶσιν αὐτῶν ἢ ἑτέρα φέρουσα, ἡ δὲ κλεῖδα. Ἔχει γὰρ δὴ

δὴ ὁ Πλούτων κλεῖν-, καὶ λέγουσιν ἐπ' αὐτῇ τὸν καλούμενον Ἅιδην κεκλεῖϛθαί τε ὑπὸ τοῦ Πλούτωνος, καὶ ὡς ἐπάνειϛιν οὐδεὶς αὖθις ἐξ αὐτοῦ. I. e. *Eſt et Pluto, et Liber Pater; tum Proſerpina, et Nymphae; quarum altera ſphaeram, clavem altera tenet. Habet enim Pluto* CLAVEM; *eaque, ut perhibent, ab eodem* PLVTONE *ſedes inferorum* (ἅιδης) *ita clauſa eſt, ut nemini inde reditus pateat.* Scilicet *Pluto* hic, qui et *Orcus*, et *Dis*, et *Iupiter Stygius*, et Graece Ἅιδης, appellabatur, teſte ALBRICO, de *Deorum imaginibus, cap. XII, Saturni filius, dictus eſt ab antiquis Deus inferorum regnorum, terrarum et animarum decedentium. — Ipſi Plutoni, id eſt inferno, vel ipſi virtuti divinae infernа gubernanti, talem imaginem depinxerunt: Erat imago eius homo terribilis, in ſolio ſulphureo ſedens, ſceptrum regni in manus tenens dextra; ſiniſtra* ANIMAM CONSTRINGENS; *cui tricipitem Cerberum ſub pedibus collocabant, et iuxta ſe tres Harpyas habebat.* etc. Eius poteſtatem Lacheſis, apud CLAVDIANVM, *Libr. I. de raptu Proſerpinae, v. 55, ſeqq.* ſic exprimit:

- - - O maxime Noctis
Arbiter, Vmbrarumque potens, cui noſtra laborant
Stamina; qui finem cunctis et ſemina praebes,
Naſcendique vices alterna morte rependis.
Qui VITAM LETVMque REGIS: *nam quicquid ubique*
Gignit materies, hoc te donante creatur,
Debeturque tibi. - -

III. Plu-

III. Plutoni adiungimus AEACVM. Etenim sub Plutone tres fingebantur iudices mortuorum et inferorum: Aeacus, Minos, Rhadamanthus. Sic, apud PLATONEM, in *Gorgia*, *p.* 524, Iupiter hos tres filios suos Inferorum iudices constituisse legitur; duos quidem ex Asia, Minoem et Rhadamanthum; et unum ex Europa, AEACVM. *Hi*, inquit, *iudicabunt in prato, et in trivio quidem, ex quo fiunt duo viarum divortia: quarum quidem una ad beatorum insulas, altera fert ad Tartarum. Et Asianos quidem Rhadamanthus iudicabit; Europaeos Aeacus. Minoi vero illam dignitatem tribuam, ut summus Arbiter de his rebus iudicio suo statuat, si quid obscurum alteri fuerit.* Et quamquam idem Plato in sequentibus narret, Minoem aeque ac Aeacum inter iudicandum ῥάβδον, Minoem autem *aureum sceptrum*, tenuisse; deprehendimus tamen, Aeacum etiam dignum habitum fuisse, cui CLAVES inferni concrediderit Pluto. Id refert APOLLODORVS, *Libr. III. Biblioth. pag.* 214: Τιμᾶται καὶ παρὰ Πλούτωνι τελευτήσας Αἰακὸς, καὶ τὰς κλεῖς τοῦ Ἅιδου φυλάττει, i. e. *Etiam apud Plutonem Aeacus, postquam defunctus est, in summo honore esse perhibetur, et is* CLAVES INFERNI *servare proditur.* Consentit LVCIANVS in *Dialogo de Luctu*, *pag.* 300, ubi loca inferorum copiose describit. Πρὸς δὲ αὐτῇ τῇ καθόδῳ, καὶ πύλη, ὅτῃ ἀδαμαντίνη, ἀδελφιδοῦς τοῦ βασιλέως Αἰακός ἐσι, τὴν φρουρὰν ἐπιτετραμμένος, καὶ πας' αὐτῷ, κύων τρικέφαλος,

Digitized by Google

κέφαλος, μάλα κάρχαρος. i. e. *In ipso descensu*, PORTA*que*, *quae est adamantina*, AEACVS *est*, *Regis* (Plutonis) *patruelis*, *cui mandata* est CVSTODIA; *iuxtaque ipsum canis triceps*, *saevus admodum*. Neque dubium est, quin et VIRGILIVS, *Libr. VI. Aeneid. v.* 574. huc respexerit, ubi Aeneae descensum ad inferos commemorat.

Tum demum, inquit, *horrisono stridentes cardine sacrae*
Panduntur PORTAE: *cernis*, CVSTODIA *qualis*
Vestibulo sedeat?

Vbi animadvertimus, *custodiam* pro *custodibus* dici. Bene autem monet v. CL. *Petrus Wesseling*, *Libr. I. observat. variar. cap.* 3, claves Aeaco non tanquam Regi summa potestate praedito sed tanquam ianitori et administro, attributas fuisse; inde et Menippum, apud Lucianum, illi exprobrasse, ὅτι πυλωρεῖ, *eum ianuis praeesse*.

IIII. Dum de *Plutone* et *Aeaco*, Diis clavigeris inferorum, egimus; non nihil de PORTIS INFERORVM, utpote quibus occludendis et reserandis potissimum usus clavium fuisse dicitur, adhuc differemus. Vbi vero id notamus, Ἅιδα nomine non solum passim apud scriptores Graecos ipsum *Plutonem*, sed et eius regnum, et sedem inferorum, designari. Posterioris notionis luculentum exemplum suppeditat HOMERVS, *Libr. XI. Odyss.* sub finem: ψυχὴ δ' αἴδος δὲ κατῆλθε. i. e. *anima vero ad inferos descendit*. Loca autem illa subterranea, animarum

animarum habitaculis deſtinata, ſecundum quosdam in tres partes erant diviſa: in Inferos nempe, Tartarum, et Elyſios campos. *Inferi* autem vel generatim ſumti haec omnia complectebantur, vel aliquando ſigillatim pro malorum ſede, aut pro eo loco, ubi purgabantur animae, dicebantur; *Tartarus* erat impiorum et poenarum infernalium locus; at *campi Elyſii*, ſedes beatorum. Et ſingulis his locis ſuae fuerunt portae. Vid. MONTFAVCON, *T. I. Antiquit. Libr. IV, cap.* 4. VIRGILIO *Libr. VI*, *v.* 552, vocatur Tartari PORTA INGENS, *ſolidoque adamante columnae: Vis ut nulla virum, non ipſi exſcindere ferro Coelicolae ualeant.* Qua in re ſine dubio ſecutus eſt HOMERVM; ut qui *Libr. VIII. Iliad. v.* 15, itidem Tartaro *portas ferreas* tribuit:

Ἠ μιν ἐλῶν ῥίψω ἐς Τάρταρον ἠερόεντα
Τῆλε μάλ', ἦχι βάθιζον ὑπὸ χθονός ἐσι βέρεθρον,
Ἔνθα σιδήρειαί τε πύλαι καὶ χάλκεος οὐδος,
Τόσσον ἔνερθ' ἀΐδεω, ὅσον οὐρανός ἐς ἀπὸ γαίης.

i. e. *Aut ipſum correptum proiiciam in Tartarum obſcurum,*
Procul valde, ubi profundiſſimum ſub terra eſt barathrum,
Vbi FERREAEque PORTAE, *et aereum pauimentum,*
Tantum ſub inferis, quantum coelum abeſt a terra.

Similia de *Tartaro* canit HESIODVS, Θεογον. v. 811

Ἔνθαὐ

Ἐνθάδε μαρμάρεαί τε πύλαι, καὶ χάλκεος οὐδὸς
Ἀσειφὴς, ῥίζῃσι διηνεκέεσσιν ἀρηρώς.

i. e. *Illic et splendentes* PORTAE, *et aereum limen Immotum, radicibus longis compactum.* etc.

Taceo, ab HOMERO, *l. c. v.* 11, in describendis locis inferis etiam mentionem fieri λευκάδος πέτρης, *albae petrae.* Huiusmodi *portas inferorum* non raro expressêrunt veteres in monimentis sepulcralibus. Ex pluribus exemplis, quae affert MONTFAVCON, *Tom. V. Antiquit. cap. V, p.* 144, *seq.* unum in *Tabula aenea*, *fig.* 3, exscribendum curavimus; cuius haec est inscriptio: ΘΕΟΙC ΚΑΤΑΧΘΟΝΙΟΙC ΓΛΙΚΩΝ ΚΑΙ ΗΜΕΡΑ. i. e. *Diis inferis Glycon et Hemera.* Sub inscriptione, *magna porta* conspicitur; cuius portae ianuam alteram aperit *Mercurius* ingressus, ut animabus Glyconis et Hemerae aditus ad infera loca pateat. Quamvis enim Mercurius non inter Deos clavigeros reperiatur, neque hoc loco, nisi caduceum gestare videatur; is tamen et Iovi coelesti in coelo, et Iovi Stygio, apud inferos ministrabat. Vnde apud CLAVDIANVM, de *Raptu Proserpinae*, *Libr. I, u.* 88, haec legimus:

Atlantis Tegaee nepos, commune profundis
Et superis numen, qui fas per limen utrumque
Solus habes, geminoque facis commercia mundo.

Imo, hic ipse Mercurius fingebatur esse *dux viae animabus defunctorum*, qui ipsas ad Inferos, in Platonis regnum, deduceret. Quod, praeter tot

tot alios, docet mythologiae Parens, HOMERVS, sub initium *Libr. XXIV. Odysseae*, ubi commemorat, procorum Penelopes animas a Mercurio, auream virgam gestante, ad Inferos deductas, et quasdam ab eodem in vitam revocatas fuisse. Ceterum, in eo ipso, quod attulimus, monimento, ternae hastae cum ramis lauri ex utroque latere portae inferorum sunt positae; quae, ex interpretatione *Montfaucon*, significant, Glyconem illum fuisse virum fortem, qui in campo Martis lauros collegerit: monumentum autem illud EX VOTO factum fuisse, additae voces Latinae significant. Sicuti autem domus inferorum clausträ clavibusque obserata dicebatur; ita et fornicata seu concamerata sepulcra mortuorum apud varias gentes, muris, portis, clavibusque, et aliis munimentis, obstructa fuisse deprehendimus. Sic certe PETRONIVS, *cap. CXI*, memorat *praeclusas conditorii fores*. Et VOPISCVS, in *Floriano Imper. cap. IV*, narrat, *Patris Taciti sepulcrum, disruptis* IANVIS, *se aperuisse*. Vid. GVTHERIVS, *de iure Manium, Libr. II. cap. XXX.* CHIFFLETIVS, *Titulo sepulcrali Geminiae, pag.* 13; ZORNIVS, in *Biblioth. antiquar. pag.* 506. Hinc vero CLERICVS, *T. I. Biblioth. select. p.* 366, portas et claves *mortis*, item שְׁאוֹל et τὸ Ἅιδου, aliquando etiam pro *portis et clavibus sepulcrorum* dici.

V. Quemadmodum autem Diis quibusdam inferis CLAVES tribuebantur; ita eosdem ex Diis superis etiam DEO SOLI assignatas fuisse, legimus.

Digitized by Google

legimus. Sic iam HOMERVS, *Libr. XXIV. Odyſſ. v.* 12, appellat ἠελίοιο πύλας, *portas Solis*; quae ſine clauſtris et clavibus eſſe non poſſunt. Et OVIDIVS, ubi *Metamorph. Libr. II, v.* 4, *Regiam Solis* deſcribit, ſic inter alia canit: *Argenti biſores radiabant lumine* VALVAE. Duas autem *Solis portas* ſtatuerunt phyſici: *unam, in ſigno Cancri*; *Capricorni alteram.* Per has portas, animas de coelo in terras meare, et de terris in coelum, atque in immortalitatis ſedem reverti, ſomniarunt, teſte MACROBIO; in *Somn. Scip. Libr. I, cap. XII, p.* 42. Sed SOLIS CLAVES *ſalutares* diſerte praedicat PROCLVS, in *Hymno*, ſtatim ſub initium, apud V. Cl. Fabricium, *Biblioth. Gr. Vol. VIII, p.* 508.

Κλῦθι πυρὸς νοερῆς βασιλεῦ χρυσήνιε τιτάν,
Κλῦθι, φάος ταμία, ζωαγκέος ὦ ἄνα πηγῆς
Αὐτὸς ἔχων κληῖδα.

i. e. *Audi, Rex ignis intelligentis, auree Titan!*
Audi, diſpenſator lucis, o Rex, fontis vitae ipſe habens CLAVEM!

Quibus vero verbis magis μεταφορικῶς claves Soli attribui putamus, ad eius poteſtatem ſignificandam; quam ut eius figuram unquam cum clavibus effictam fuiſſe, credamus. Quamquam autem Sol alioqui ſub variis aliorum Deorum nominibus coli ſolitus fuerit; eum tamen tanquam humanae vitae genitorem et cuſtodem, etiam ſub proprio nomine inter Deos relatum,

Digitized by Google

et plerumque nudum ac radiato corpore, pictum, nec pauca monimenta SOLI AETERNO, SOLIque INVICTO, dedicata fuisse, observamus.

VI. Si quo autem in alio deo, certe in MITHRA, Solem sunt venerati. Hinc HESYCHIVS ait: Μίθρας, ὁ ἥλιος παρὰ Πέρσαις. Et aliquot monimenta HONORI DEI SOLIS INVICTI MITHRAE dedicata, legimus apud *Gruterum*, et *Reinesium*. Item, et apud STATIVM, *Libr. I Thebaid. v.* 716, *seqq.* Adrastus Solem variis nominibus appellatum precatur:

Adsis, o memor hospitii, Iunoniaque arua
Dexter ames; seu te roseum TITANA *vocari,*
Gentis Achaemeniae ritu, seu praestat OSIRIN
Frugiferum, seu Persei sub rupibus antri
Indignata sequi torquentem cornua MITHRAM.

Ad quem locum Scholiastes, *Lucatius*, sive *Lactantius*, dictus, haec diserte commentatur: *Persae in spelaeis coli Solem primi inveniisse dicuntur. Et hic* SOL *proprio nomine vocatur* MITHRA. etc. Ita vero Mithra colebatur, tanquam conditor et moderator universi, vitaeque humanae praeses, docente PORPHYRIO, de *antro Nympharum*. Is nuncupabatur in mysteriis Θεὸς ἐκ πέτρας; quia, referente IVSTINO MARTYRE, in *Dialogo cum Tryphone*, *p.* 296, illi, qui Mithrae initia tradiderunt, e PETRA eum natum esse memorarunt. Hunc Mithram Persae μεσίτην, *mediatorem*, sive intermedium inter *Oromazam* et *Areimanium*, statuerunt, eique ex Zoroastris instituto, victimas immolarunt, memorante PLVTARCHO, *de Iside et Osiride*, *pag.* 369.

369. Mithras hic proprie *leonina facie* effingebatur; quia, ut ait Statii Scholiastes, *hic deus ceteros sui numinis et potentiae impetu excellebat, ut inter ceteras feras Leo*; sive quia, interprete Porphyrio Sol, quem referebat Mithra, in domo Leonis constitutus, maxime vim suam exerat. De qua re sic disserit MACROBIVS, *Libr. I Saturn. cap.* 21, *p.* 211: *Tunc ad regnum suum Sol perveniſſe creditur: propterea Aegyptii animal in Zodiaco conſecravere ea coeli parte, qua maxime annuo curſu Sol valido effervet calore*; LEONISque *inibi ſignum domicilium Solis appellant; quia id animal videtur ex natura Solis ſubſtantiam ducere, primumque impetu et calore praeſtat animalia uti praeſtat Sol ſidera.* -- -- *idemque Leo oculis patentibus atque igneis cernitur ſemper; ut Sol patenti igneoque oculo terram conſpectu perpetuo atque infatigabili cernit.* Cum Romani Mithram in religionem recepiſſent, maluerunt eum humana effigie exhibere, tanquam iuvenem cum tiara Phrygia in antro repraeſentatum, ubi collum tauri configeret; atque ita forte et alii Populi in fingenda Mithrae forma a Perſis aliquando receſſerunt. Sed de forma et cultu Mithrae, ex inſtituto egit PHILIPPVS A TVRRE, in erudita diſſertatione *de Mithra eiusque Tabulis ſymbolicis*, quam *Monumentis Veteris Antii* adiecit. Nec paucos ſcriptores, qui hoc argumentum attigere, annotavit CASP. BARTHIVS, *T. II Comment. ad Statium*, *p.* 246. Singulare autem monimentum, quod Romae in vinea Horatii Mutii ante S. Vitalem repertum fuit, in lucem protulit

vir doctiſſimus, BERNHARDVS de MONTFAVCON, in *Diario Italico*, *pag.* 196; et deinceps in *Antiquit. T. I*, *pag* 369; Conſpicitur ibi *imago*, *corpore humano*, *capiteque leonino*; *pedibus inſiſtit globo*, *ex quo ſerpens egreſſus eius corpus circumplicat*, *eiusque ori caput immittit*: *ſimulacrum manibus pectori admotis* CLAVES *tenet*; *alae quatuor humeris haerent*, *quarum binae verſus coelum*, *totidemque verſus terram tendunt*. Omnia haec ſigna recte dicuntur in ſimulacrum *Mithrae* convenire. Proprie enim, et maxime a Perſis, Mithram *leonina facie* effictum fuiſſe, paullo ante indicauimus; idque Tertulliani, Hieronymi, Minutii Felicis, et Scholiaſtae Statii, auctoritate comprobarunt viri laudati, Philippus a Turre, et Bern. de Montfaucon. Certe hinc Magi apud Perſas, teſte PORPHYRIO, *Libr. IV de Abſtinentia*, *cap.* 26, ſacrorum Mithrae participes, Symmyſtas, *Leones* vocarunt; feminas vero *Leaenas*; ſubminiſtrantes autem *Corvos*. Hinc etiam certa Mithrae ſacra, quae ſigillatim curabantur a ſacerdotibus forma leonum indutis, appellata ſunt *Leontica*; quorum mentio in inſcriptionibus antiquis apud Gruterum et Reineſium aliquoties occurrit. Porro, tantum abeſt, ut *ſerpentis* ſignum a ſacris Mithrae alienum fuerit, ut *Montfaucon* teſtetur, nullum adhuc Mithrae monimentum ſibi videre contigiſſe, quod ſerpentis ſymbolo caruerit. Quodſi enim per Mithram deſignarunt Solem, facile patet, cur eidem etiam ſerpentem, vel draconem, attribuerint. Etenim, tradente MACROBIO, *Libr. I. Saturnal. cap. XX*, *Draconem eſſe*

Digitized by Google

esse inter praecipua Solis argumenta, etiam nominis fictione monstratur; quod sit nuncupatus ἀπὸ τοῦ δέρκειν, id est, videre. nam ferunt, hunc serpentem acie acutissima et pervigili naturam sideris huius imitari; atque ideo aedium, adytorum, oraculorum, thesaurorum, custodiam draconibus assignari. Imo et ideo, ad Solem, adeoque et Mithram, species serpentis referri consuevit; quia *hic praestare credebatur, ut humana corpora, velut infirmitatis pelle deposita, ad pristinum revirescant virorem, ut virescunt serpentes per annos singulos, pelle senectutis exuta; et quia Sol semper velut a quadam imae depressionis senecta in altitudinem suam, ut in robur iuventutis, reverti putabatur.* Serpens autem corpus Mithrae in hoc monimento circumplicat; ut Solis cursum et gyros circa Zodiacum denotaret. Sed et ALAE conveniunt in Mithram, tanquam Solem; cum, tradente MACROBIO, *Libr. I Saturn. cap. XIX*, etiam alia Solis simulacra *pinnata* a veteribus sint conficta, ad *velocitatem* eius denotandam; et forte alae quatuor referendae sunt ad quatuor mundi plagas; aut ad quatuor anni tempora, ver, aestatem, auctumnum, et hiemem. GLOBO insistit Mithras, interprete *Montfauconio*, sive quia is *mundi conditor et pater* habebatur; sive etiam, quia *orbi terrarum impositus Sol, Mithrae nomine cultus, totum illustrat, servat, calore fovet, et fructibus ornat.* Denique et CLAVES utraque manu tenet Mithras; non quidem eo consilio, prout Philippus a Turre, et Montfaucon, opinati sunt, ut idem Mithras *fur* et *boum*

abactor fuisse significaretur; sed potius, quod nos coniicimus, ut doceretur, Mithrae competere potestatem referandi portas Solis, ad moderandum animarum transitum. De quibus portis iam supra, §. V, ubi de Sole egimus, non nihil attulimus. Quo et illud pertinet, quod ORIGENES, *Libr. VI contra Celsum*, *p.* 290, memorat, Mithrae sacris apud Persas duplicem stellarum revolutionem praetendi, affixarum et erronearum, et per has ANIMARVM TRANSITVM; et esse septem COELI PORTAS; primam, plumbeam; alteram stanneam; aheneam, tertiam; quartam, ferream; quintam mixti numismatis; sextam argenteam; septimam, auream. Quod autem simulacrum illud repertum fuit in *camera* quadam, sive conclavi fornice instructo, itidem congruens est Mithrae; utpote quem in *antris* ac *spelaeis*, (quae, teste Porphyrio, *figuram mundi a Mithra condiri* exprimere debebant) cultum, eiusque sacra in locis subterraneis peracta fuisse, non pauca, quae restant, monimenta, veterumque scriptorum testimonia, declarant: neque difficulter intelligimus, cur tot *lampadas* circa istud idolum inferne positas animadvertamus; cum et hac ratione lux solis et natura ignis per Mithram adumbrata fuisse videatur. Sicut autem cultus huius Mithrae fuit antiquissimus; ut qui potissimum inter Persas obtinuit, et ad alios orientis populos sese diffudit; itemque in Aegypto celebratus est; et in insula Creta, quae inter Orientem et Aegyptum sita; cum testis sit EPIPHANIVS, *Libr. XLII de Haeresi*, iam Epimenidem, Mithrae, cuius-

cuiusdam apud Cretenſes idoli, ſacerdotem fuiſſe: ita, ſi PLVTARCHO, in *vita Pompeii*, *pag.* 631, fides habenda eſt, eadem ſacra primum a piratis, qui e diverſis Orientis partibus effuſi tandem a Pompeio devicti ſunt, allata fuerunt Romam; ubi diu ſubſtitere, et inprimis ſaeculo tertio increbuere: imo etiam tranſiere ad *Pſeudo-Chriſtianos*; quando inprimis Baſilides Alexandrinus ſeculum a nato Chriſto ſecundum praeſtigiis infamavit, et, veritate myſteriorum adſcitis paganorum deliramentis nefarie interpolata, praecipue baſin ſuperſtitionis ſuae conſtituit Perſarum figmenta de *Mithra*, quem *Abraxam* appellavit, ſaepiusque λεοντόμορφον in monimentis exhibuit. Vnde HIERONYMVS, in *cap. III Amos*: *Baſilides*, inquit, *omnipotentem Deum portentoſo nomine appellat Abraxas, et eundem ſecundum Graecas literas, et annui curſus numerum, dicit in Solis circulo contineri; quem Ethnici ſub eodem numero literarum vocant* MITHRAM. Sed et ipſos paganos iam olim ex ſanctiori veritatis coeleſtis diſciplina, impia quadam κακοζηλία, uti ad alia quaedam ſuperſtitionis ſuae genera, ita ſigillatim ad *ſacra Mithriaca*, non nihil tranſtuliſſe, iam ipſi obſervarunt *Patres Eccleſiae*. Sic IVSTINVS MARTYR, in *Dialogo cum Tryphone*, *pag.* 296; *Quando*, inquit, οἱ τὰ τοῦ Μίθρου μυστήρια παραδιδόντες, *illi qui Mithrae initia tradunt, e petra eum natum eſſe memorant, et ſpecum nominant eum locum, ubi initiari credentes ei perhibent; non ego hic, quod a Daniele* (Cap. II,) *eſt dictum, lapidem abſque manibus abſciſſum de monte ingenti;*

et quod ab Esaia (Cap. XXXIII,) *est promulgatum* (*Hic habitabit in excelso* SPECV PETRAE FORTIS. *Panis dabitur ei, et aqua eius fidelis. Regem cum gloria videbitis*, etc) *eos sequutos esse, atque haec similiter instituisse, sciam? cuius propheticae promulgationis etiam verba omnia imitari sunt conati.* Putes, etiam *alas Mithrae* huc respexisse; cum MALACHIAS, *Cap. IV, v.* 2, ita loquatur: *Et orietur vobis timentibus nomen meum* SOL IVSTITIAE, *et sanitas in* PENNIS *eius.* Imo, ubi Novi Foederis tempore maiori luce mysteria et sacramenta religionis christianae peragerentur; pagani etiam maiori κακοζηλίᾳ eadem imitari sunt ausi. Hinc TERTVLLIANVS, de *praescript. Haereticorum, cap. XL: Diabolus*, inquit, *ipsas quoque res sacramentorum divinorum idolorum mysteriis aemulatur.* TINGIT *et ipse quosdam, utique credentes et fideles suos; expiationem delictorum de* LAVACRO *repromittit; et, si adhuc memini, Mithra* SIGNAT *illic in frontibus* MILITES *suos; celebrat et* PANIS OBLATIONEM, *et imaginem* RESVRRECTIONIS *inducit, et sub gladio redimit coronam* etc. Atque ita IVSTINVS MARTYR, *Libr. II. Apolog. pag.* 98. ubi de sacramento S. Coenae egerat: *Quod quidem*, inquit, *etiam in mysteriis Mithrae fieri docuerunt, per imitationem, pravi Daemones.* Ὅτι γὰρ ἄρτος, καὶ ποτήριον ὕδατος, τίθεται ἐν ταῖς τῶ μυουμένω τελεταῖς, μετ' ἐπιλόγου τινῶν, ἢ ἐπίστασθε, ἢ μαθεῖν δύνασθε. *Panem enim, et poculum aquae, in re divina eius, qui initiatur, poni, additis verbis quibusdam, aut certe scitis,*

Digitized by Google

ſcitis, aut cognoſcere poteſtis. Conf. ANTON. VAN DALE, in Diſſert. *de origine ac ritibus ſacri Taurobolii; pag.* 9, 13: qui vero in eo fallitur, quod ſibi perſuaſum habuit, ſacra Mithriaca, demum poſt Chriſtum natum, apud Graecos Romanosque fuiſſe introducta. Ceterum, uberius demonſtrationem iſtius *κακοζηλίας* proſequutus eſt HIERONYMVS ALEANDER, apud *Philippum a Turre, l. c. p.* 224; qui plane cenſuit, Mithram CHRISTO, vero DEO, a Satana vafro quodam fuco oppoſitum fuiſſe. *Itaque*, inquit, *quod de Chriſto dictum eſſet:* VICIT LEO *de tribu Iuda; non tantum* INVICTI *nomen Mithrae fuit inditum; ſed Leonina quoque facie effigiari ſolitus eſt. Idem etiam Mithras, qui* SOL *creditus eſt; nimirum, quia* CHRISTVS SOL IVSTITIAE *appellaretur, ſeque ipſe* LVCEM MVNDI *dixerit. Ignem ſe in terras attuliſſe, Chriſtus docebat; ideoque ſacra Mithriaca ad ignis transferebant poteſtatem, ut conſtat ex Iulio Firmico. Quid? quod eius myſtae dicebantur* MILITES: *annon, quia* CHRISTI MARTYRES *hoc nomine inſigniri conſueverant? nam martyrii quodammodo mimum agere, ut loquitur Tertullianus, videbantur, dum corona, qua in martyriis donabantur, e capite in humerum reiecta, ſuam coronam Mithram eſſe teſtabantur, ut idem auctor eſt, Libr. de corona mil.* Deinde, ubi Aleander et imitationem *divinorum Sacramentorum*, in Mithriacis ſacris, ex Tertulliani et Iuſtini locis, paullo ante a nobis excitatis, oſtenderat; ſic finit: *Vt vero fabulam hanc omnibus abſolutam partibus egregie pravus Daemon clauderet,*

palam est ex Kalendario vetusto, NATALEM *Mithrae hac die VIII. Kal. Ian. institutum; qua die* CHRISTI NATALEM, *veri* DEI, *vere Invicti, quotannis solenniter celebramus.* Itaque et Christiani, et pagani, XXV. Decembris sacrum festumque habuere: illi; quod CHRISTVM eo die natum esse pie recordarentur; hi, quoniam tunc Solem novum prodire, et veluti renasci putarent.

VII. Satis de Mithra; nunc de SERAPIDE sive SARAPIDE, dicemus. Hic enim aeque *Mithras*, ad *Solem* referebatur. Hinc MARTIANUS CAPELLA, *Libr. II. de nuptiis philologiae, p.* [illegible] cecinit;

SOLEM *te Latium vocitat, quod solus ho*[illegible]
Post patrem sis lucis apex. - - -
Te SERAPIM *Nilus; Memphis veneratur* OSI[illegible]
Dissona sacra MITHRAM, DITEMque *fe*[illegible]
que TYPHONEM etc.

Serapis autem, praedicante ARISTIDE, *T*[illegible] *Orat. VIII, p.* 96, πάσας πράξεις καὶ [illegible] σας ἐυπορίας ἐν ἅπασι καιροῖς καὶ τό[illegible] συγκατεργαζόμενος· γῆς καὶ θαλάττης, [illegible] εν ἂν ποιηταὶ, κληΐδας ἔχων. ἐπεὶ καὶ [illegible] τὰ τὴν ἀναγκαίαν τοῦ βίου τελευτὴν, ἔτι [illegible] ἄρχων ἀνθρώποις μένει καὶ παρὰ τοῦτο [illegible] βαδίζειν παρ' αὐτοῦ. i. e. *omnes hominum* [illegible] *nes et commoditates omnibus in locis ac tem*[illegible] *bus adiuuat*, MARIS ET TERRAE, *quod dic*[illegible] *Poetae*, CLAVIGER. *Nam etiam post necessa*[illegible]

vi[illegible]

vitae obitum manet idem hominum praefectus, et ab ipso ad ipsum transeundum est. Σωτὴρ αὐτὸς καὶ ψυχοπομπὸς, ἄγων εἰς φῶς, καὶ πάλιν δεχόμενος, παντα χῆ πάντας περιέχων i. e. *Servator idem, et animarum dux, in lucem producens, et reducens, omnesque ubique continens.* Et infra: Φύλαξ τε τῶν φανερῶν, καὶ τῶν ἀπορρήτων, ἡγεμὼν ἀνθρώπων καὶ δαιμόνων. i. e. *custos publicorum et arcanorum, Deorumque et hominum Dux.* TACITVS, *Libr. IIII. Histor. cap.* 84, ubi de origine Serapidis, eiusque adventu Romam, agit: *Hunc Deum ipsum*, inquit, *multi* AESCVLAPIVM, *quod medeatur aegris corporibus; quidam* OSIRIM, *antiquissimum illis gentibus numen; plerique* IOVEM, *ut rerum omnium potentem; plurimi* DITEM PATREM, *insignibus, quae in ipso manifesta, aut per ambages coniectant.* Fabulam integram *Serapidis* excutere hoc loco nolumus. Si vero hic, docente PLVTARCHO, *de Iside et Osiride, pag.* 361, et IVLIANO IMP. *Orat. IV. pag.* 136, idem fuit, qui *Pluto*; adeoque ipsi haud raro etiam *Cerberus* in antiquis monimentis adiungitur: facile intelligimus, cur eidem CLAVES tribui potuerint; quamquam opiner, Aristidem magis μεταφορικῶς ita locutum esse. In Aegypto autem potissimum cultus fuit Serapis; ubi scilicet, teste Aristide, *pag.* 100, duo et quadraginta templa habuit. Eius vero cultus etiam Graecos et Romanos, aliosque populos, occupavit; et ab ipsis quoque Basilianis aliquando receptus fuit.

VIII. Nunc

VIII. Nunc nobis occurrit CABIRVS *Claviger*. Certe talis conſpicitur in vetuſto numo; cuius ἔκτυπον, et PETRVS SEGVINVS *in Numiſmatibus ſelectis*, *pag.* 16, exhibet. In altera numi facie extat figura Theſſalonicae urbis, more veterum expreſſa capite mulieris velato, turribusque ac moenibus urbis coronato, addito verbo ΘΕC-ΣΑΛΟΝΙΚΗ. In altera facie conſpicitur *Cabirus*, cum inſcriptione ΚΑΒΕΙΡΟC. Qui Cabirus, fere feminudus, ſiniſtra manu *malleum* gerit; dextra CLAVEM tenet. De qua figura quamvis Seguinus haeſitans loquatur; vix tamen eſt dubium, quin conveniat cum forma aliquot vetuſtarum clavium, quas Scriverius, Montfaucon, et alii, exhibent. Id vero nondum certum eſt, quid ſibi iſta *clavis* velit: imo nec pauci eruditi nondum ſatis exploratum eſſe putant, quis deus ſit Cabirus ille; an ſaltem deorum miniſter? Saepe etiam per multitudinem *Cabiri* dicuntur; quorum nomen, teſte STRABONE, *Libr. X Geograph. p.* 472, quidam deducunt a *Cabiro*, monte in regione Berecyntiae. IO. GOROP. BECANVS, in *Hermathena*, *p.* 167, et in *Hieroglyph. p.* 256, *Cabiros* derivat a Belgica voce *cavveren*, *qui cavent et defendunt* VOSSIVS, BOCHARTVS, MAIVS, et alii recentiores, ab Hebraico כביר, *magnus*, *fortis*, *validus*. Samothracas autem Deos, ad quos referebantur *Cabiri*, indice inſcriptione antiqua apud REINESIVM, *Claſſ. I*, *n.* 143, proprie dictos eſſe θεὸς μεγάλος, θεὸς χθονιους, θεὸς δυνατὸς, teſtis eſt MACROBIVS, *Libr. III Saturnal.*

Digitized by Google

turnal. c. 4. De ortu et poteſtate ac numero *Cabirorum* quam incerti fuerint ipſi veteres, demonſtrat modo laudatus STRABO, *Libr. X, p.* 472: ex quo ſaltem haec pauca verba Latine facta hic repetere liceat. *Sunt, qui Corybantes Iove et Calliopa natos putent, eosdemque cum Cabiris; eosque veniſſe in Samothracen, quae ante Melita dicebatur, eorumque actiones eſſe myſticas.* --. *Acuſilaus Argiuus, Cabira et Vulcano natum ait Camilum; hoc tres Cabiros; ex his nymphas Cabiridas. Pherecydes ait, e Cabira, Protei filia, et Vulcano, Cabiros tres, et tres nymphas Cabiridas; utrisque ſua ſacra fuiſſe, maxime in Lemno et Imbro Cabiros cultos, ſed et ſecundum urbes Troiae; quorum nomina ſunt myſtica. Herodotus auctor eſt, etiam apud Memphin templa fuiſſe, ut Vulcani, ita etiam Cabirorum;* (ibique ſimulacra *Cabirorum* ſimilia fuiſſe ſimulacris Vulcani) *ſed eſſe a Cambyſe deleta.* Alia adhuc de *Cabiris* tradit *Scholiaſtes Apollonii, ad Libr. I verſ.* 917: Μύσνται, inquit, ἐν τῇ Σαμοθρᾴκῃ τοῖς Καβείροις, ὧν Μνασέας φησὶ καὶ τὰ ὀνόματα. Τέσσαρες δ' εἰσὶ τὸν ἀριθμόν. Ἀξίερος, Ἀξιόκερσα, Ἀξιόκερσος, Ἀξίερος μὲν ἔν ἐστιν ἡ Δημήτερ. Ἀξιόκερσα δὲ ἡ Περσεφόνη. Ἀξιόκερσος δὲ ὁ Ἀδής· ὁ δὲ προστιθέμενος τέταρτος, Κάσμιλος, ὁ ἑρμῆς ἐστιν, ὡς ἱστορεῖ Διονυσόδωρος. i. e. *Initiantur in Samothrace Cabiris, quorum etiam nomina recenſet Mnaſeas. Sunt quatuor numero: Axieros, Axiocerſa, Axiocerſus; Caſmilus vero quartus*

quartus est. Axieros quidem est Ceres; Axiocersa Proserpina; AXIOCERSVS *autem* PLVTO; *qui vero addicitur quarto loco, Casmilus,* (sive *Camillus*, uti alibi scribitur) *is Mercurius est.* etc. Testantur vero antiqua monimenta, hos Deos *Cabiros* primum in Phoenicia esse cultos, et maxime in urbe Beryto, quae inter Byblum et Sidonem sita est, teste Sanchoniathone, apud Eusebium, *Libr. I. Praep. Evang. cap.* 10: sed et in Mesopotamia; item in Aegypto, et in Asia minori, et in Graecia, aliisque in locis, quae diligenter commemoravit, hocque argumentum egregie illustravit, vir eruditus, TOB. GVTBERLETHVS, in *dissert. philolog. de Mysteriis Deorum Cabirorum.* Vt ergo ad explicandum numum Thessalonicensium, quem ex Seguino proposuimus, revertamur; coniicimus, in eo repraesentari *Cabirum* illum, quem Scholiastes Apollonii AXIOCERSVM nominat, et PLVTONEM interpretatur. Cuius nominis rationem BOCHARTVS, *Libr. I. de Colon. Phoenic. cap.* 12, ita exponit: Ἀξιόκερσος *et* Ἀξιόκερσα *genere et terminatione differunt: nam utriusque vocis prima pars* ἄξιο *idem significat, quod* ἄξι, *vel* achazi, *possessio mea, o in fine addito. Secunda pars* κέρσος *et* κέρσα *fit ex Hebraeo* קרץ, *quod pro* excidio *et* morte *usurpatur. Ierem. XLVI, v.* 20. *Igitur* קרץ - אחוי, *vel* Ἀξιόκερσος *vocatur* PLVTO, *quia imperium in mortem habet. Nec dissimili locutione Paulus, ad Hebr. II, v.* 14, *Diabolum dicit τὸ κράτος ἔχειν τοῦ θανάτου, imperium habere mortis.* Per *Cabirum* autem hunc Thessalonicensium, indicari

indicari nominatim Ἀξιόκερσον, sive *Plutonem*, aut certe Deum, qui potestatem *Plutoni* similem habeat; argumento nobis est CLAVIS; quam is dextra tenet, ad significandam eius potestatem terrae et inferorum. Clavem autem hac ipsa ex caussa Plutoni attribui consueviſſe, iam supra ostendimus. Dum vero idem Cabirus laeva manu gestat MALLEOLVM, hoc signum ad eius ortum ex Vulcano et Cabira, Protei filia, itemque ad eius cultum sacris Vulcani aliquando similem, denotandum referimus. Certe testatur HERODOTVS, *Libr. III, c.* 37, Memphi extitiſſe simulacra *Cabirorum* simulacris Vulcani similia; cum *Cabiros Vulcani filios* esse dixerint indigenae. Erant vero et *Cabiri*, Iovis et Proserpinae filii, inde Διόσκουροι cognominati. Cum autem plures Dii *Cabiri* fuerint dicti; hinc usu venit, ut horum simulacra variis etiam figuris atque signis distincta observentur. Sic MONTFAVCON, *T. I. Supplem. Antiquit. Tab. LXXIII*, itidem numum protulit Theſſalonicensium, in cuius postica facie *Cabirus* conspitur cum inscriptione ΚΑΒΕΙΡΟC: ubi hic Cabirus laeva manu *malleum* erectum; dextra vero non *clavem*, sed *capricornum*, tenet. Qui *Capricornus*, ex interpretatione MACROBII, *Libr. I. in Somn. Scip. cap.* 12, denotat portam Solis superioris, per quam homines de terris in coelum remeare credebantur; et cuius portae custos praesesque fortasse ille Cabirus habitus est; cum alter, qui Plutoni clavigero similis, custos *Cancri*, sive alterius portae, per quam animae de

de coelo in inferiora descendere dicebantur, putari potuerit.

VIIII. PORTVMNVM etiam inter Deos clavigeros numerat v. cl. WESSELING, auctoritate FESTI fretus; in quo haec legimus: CLAVDERE *et* CLAVIS *ex Graeco* κλείω *et* κλεὶς *descendit: cuius rei tutelam penes* PORTVMNVM *esse putabant; qui* CLAVIM *manu tenere fingebatur, et Deus putabatur esse portarum.* Sed dubium movet VOSSIVS, *de Idololatr. Libr. IX, cap.* 35; qui putat, apud Festum perperam exscriptum esse *clavim*, pro voce CLAVVM. Et sane, quamvis signum *clavis* fortasse non plane alienum videretur a *Portumno*, (qui et *Portunnus*, et potissimum *Portunus*, scribitur) eius tamen muneri multo magis convenit signum CLAVI, quam CLAVIS. *Clavus* autem etiam a *claudendo* proprie quidem dicitur nobis *ein Nagel.* Secundum ISIDORVM enim, *Libr. I. Orig. clavus* talis ob id figitur, vel pangitur, ut claudat, sive contineat aliquid. Deinde vero *clavus* etiam dicitur *gubernaculum navis*; quia hic, instar clavi, in nave pangitur. Vnde PLAVTVS: *Parata navi*, inquit, *clavo haereas sedulo.* Et dicitur is *clavum tenere in navi*, qui navim ipsam regit. Iam autem *gubernaculum navis* magis congruit Portumno, quam *clavis.* Is enim habebatur maris et portuum Deus; unde et viri eruditi in citato Festi loco, non *portarum*, sed *portuum*, legi volunt. Sic vero CICERO, *Libr. II. de natur. Deor. cap. XXVII: Vt* PORTVNVS *a* PORTV, *sic Neptunus a nando.* VIRGILIVS

Digitized by Google

LIVS autem *Libr. V. Aen. v.* 241, *Portunum* numerat inter Deos marinos, ab eoque dicit adiutum fuisse Cleanthum, ut salvus pervenerit in portum:

Dixit, eumque imis sub fluctibus audiit omnis
Nereidum Phorcique chorus, Panopeaque virgo,
Et Pater ipse manu magna PORTVNVS *eumtem*
Impulit, etc.

Mythologiam Portumni ad citatum Virgilii locum breviter exponit SERVIVS, monetque, hunc Deum Graecis dictum esse *Palaemonem*; antehac vero audiisse *Melicertam*. Conf. OVIDIVS *Libr. VI. Fastor. v.* 546, *sequ.* A quibusdam Palaemon hic confunditur cum Neptuno; cum hi distincti fuerint Dii, teste PAVSANIA, *Libr. II, cap. I*, ubi describit templum Palaemonis in Isthmo Corinthiaco situm, in quo, ait, fuisse statuas *Neptuni*, et *Leucotheae*, et ipsius *Palaemonis*. In numo CL. Neronis, apud VAILLANT, in *numis selectioribus Francisci de Camps, pag.* 9; et in IAC. BIAEI *Iconibus Numismatum, Tab. XX, n.* 22, conspicitur Portus Ostiensis; ad cuius portus introitum extat simulacrum Portumni, qui sinistra manu ad Delphinem reclinari; dextra autem *clavum*, sive gubernaculum navis, tenere videtur: unde coniectura Vossii facile comprobatur.

X. Dubito, an inter Deos clavigeros etiam ΕΡΩΤΑ, sive AMOREM, referre debeam? Equidem eundem ORPHEVS, aut quisquis auctor, in hymno *Amori* dicto, vocat παντων κλειδα, ἐχοντα,

ἔχοντα, Αἰθέρος, Οὐρανίδ, Πόντ, Χθο
νός, *omnium* CLAVES *habentem*, *Aetheris*, *Coeli*
Ponti, *Terrae*; hic tamen ista loquendi ra
tio non nisi μεταφορικὴ esse videtur, ad Amo
ris, sive Cupidinis, potestatem animorum fle
ctendorum denotandam. Eius enim insignia pe
culiis erant *alae*, *pharetra*, *sagittae*; quae
eodem carmine commemorantur. Imo,
hic dicitur *habere claves omnium rerum*; ita
hoc ipso hymno similiter μεταφορικῶς dici
κρατύνειν πάντων ὄϊηκα, *omnium rerum gub
naculum regere*. Nihil attinet de huius Dei
thologia nunc differere.

XI. Sed fuerunt etiam ΘΕΑΙ ΚΛΗ
ΔΟΥΧΑΙ, sive DEAE CLAVIGERAE; de
ampla differendi materia sese offerret. Ve
cum hoc argumentum maximam partem pr
cuparit V. CL. WESSELINGIVS, *Libr. I. C
vationum variar. cap. III*, ubi quendam
pidis locum illustrandum vindicandumque
perat; neque festinatio mihi iam perm
illud argumentum hoc tempore pluribus
qui; liceat mihi interim, quicquid Vir eu
de *Deabus clavigeris* magno studio exp
hic repetere. *Bene*, inquit, *atque em
scriptus est hic Euripidis in* Iphigenia in T
versus 130: Πόδα παρθένιον. Ὅσιον
ΚΛΗΙΔΟΥΧΟΥ δάλα πέμπω. i. e.
virgineum sanctum, sanctae CLAVIGERAE
nae) ferva mitto. *Aliter tamen visum*
doctissimo, *Ios. Barnesio*, *qui*, *quod*
Dianam Κλειδοῦχον *apud veteres memorat*
peri

perisset; *malebat* λαμπαδοῦχου *legere*. *Ab eo non possum*, *quin diversus abeam*. *Video quippe Deas eo titulo saepius appellari*. *Est* MINERVA Κληδοῦχος; CLAVIGERA; *in Comici* Thesmophoriazusis, *vers.* 1152: Ἣ πόλιν ἡμετέραν ἔχει, Καὶ κράτος Φανερὸν μόνη Κληδοῦχος τε καλεῖται. i. e. Quae nostram urbem tenet; Et sola manifestum imperium; Clavigeraque vocatur. *Dictam ita credo*, *aut ob custodiam arcis urbisque Atticae*; *cui praesidere credebatur*. *Atque hinc explicare soleo Euphorionis versum*; *in Stephani fragmento*:

Ἥτις ἔχεις κληΐδας ἐπιζεψύροιο Δυμαίης.
i. e. Quae habes claves ad Zephyrum positae Dymaeae.

Constat enim ex Pausania, *et notaverat antea Stephanus*, *Minervam in ea urbe*, *ut praesidem*, *praecipuo honore fuisse cultam*. *Nam quae alii de munitis urbibus*, *quae* κλεῖς *fuerint appellatae*, *observarunt*, *ea sicuti vera sunt*, *ita parum hic videntur apposita*. *Neque enim de una Dyme commode id dicitur*; *et quorsum tum* ἥτις ἔχεις; *verum*, *ne vagemur*, *appellari etiam Pallas clavigera potuit ob eam caussam*; *quam ipsa commemorat in Aeschyli* Eumenidibus: *v.* 834. Καὶ κλῆδας οἶδα δωμάτων μόνη Θεῶν Ἐν ᾧ κεραυνός ἐςιν ἐσφραγισμένος. i. e. Et sola Deorum novi aedium claves, ubi fulmen est obsignatum. *Sed prius malim*. IVNONEM CLAVIGERAM *habet Aristophanes*, *in eadem Comoedia*, *v.* 982: Καὶ κλῆδας γάμου φυλάττει. i. e. Et matrimonii claves servat. *Forte id nominis*

ἔχοντα, Αἰθέρος, Οὐρανίου, Πόντου, Χθονὸς, *omnium* CLAVES *habentem*, *Aetheris*, *Coeli*, *Ponti*, *Terrae*; hic tamen ista loquendi ratio non nisi μεταφορικὴ esse videtur, ad Amoris, sive Cupidinis, potestatem animorum flectendorum denotandam. Eius enim insignia potius erant *alae*, *pharetra*, *sagittae*; quae in eodem carmine commemorantur. Imo, uti hic dicitur *habere claves omnium rerum*; ita in hoc ipso hymno similiter μεταφορικῶς dicitur κραταιύνειν πάντων οἴηκα, *omnium rerum gubernaculum regere*. Nihil attinet de huius Dei *mythologia* nunc differere.

XI. Sed fuerunt etiam ΘΕΑΙ ΚΛΕΙΔΟΥΧΑΙ, sive DEAE CLAVIGERAE; de quibus ampla differendi materia sese offerret. Verum, cum hoc argumentum maximam partem praeoccuparit V. CL. WESSELINGIVS, *Libr. I. Observationum variar. cap. III*, ubi quendam Euripidis locum illustrandum vindicandumque susceperat; neque festinatio mihi iam permittat, illud argumentum hoc tempore pluribus prosequi; liceat mihi interim, quicquid Vir eruditus de *Deabus clavigeris* magno studio exposuit, hic repetere. *Bene*, inquit, *atque emendate scriptus est hic Euripidis in* Iphigenia in Tauris *versus* 130: Πόδα παρθένιον, Ὅσιον, Ὁσίας ΚΛΗΙΔΟΥΧΟΥ δόλια πέμπω. i. e. Pedem virgineum sanctum, sanctae CLAVIGERAE (Dianae) serva mitto. *Aliter tamen visum est viro doctissimo*, *Ios. Barnesio*, *qui*, *quod nusquam Dianam* Κληδοῦχον *apud veteres memoratam reperisset*,

periſſet, malebat λαμπαδοῦχος *legere. Ab eo non poſſum, quin diverſus abeam. Video quippe Deas eo titulo ſaepius appellari. Eſt* MINERVA Κληδοῦχος, CLAVIGERA, *in Comici* Thesmophoriazusis, *verſ.* 1152: Ἡ πόλιν ἡμετέραν ἔχει, Καὶ μόνη Κληδοῦχος τε καλεῖται. i. e. Quae noſtram urbem tenet, Et ſola manifeſtum imperium, Clavigeraque vocatur. *Dictam id credo, aut ob cuſtodiam arcis urbisque Athenarum, cui praeſidere credebatur. Atque hinc exſtitiſſe ſolet Euphorionis verſum, in Stephani fragmento:*

Ἥτις ἔχεις κλῆιδας ἐπιζεφύροιο Δυμαίης.

i. e. Quae habes claves ad Zephyrum poſitae Dymaeae.

Conſtat enim ex Pauſania, et notaverat antea Stephanus, Minervam in ea urbe, ut praeſidem, praecipuo honore fuiſſe cultam. Nam quae alii de munitis urbibus, quae κλεῖς *fuerint appellatae, obſervarunt, ea ſicuti vera ſunt, ita parum hic videntur apposita. Neque enim de una Dyme commode id dicitur; et quorſum tum* ἥτις ἔχεις? *verum, ne vagemur, appellari etiam Pallas clavigera potuit ob eam cauſſam, quam ipſa commemorat in Aeſchyli* Eumenidibus: *v.* 834: Καὶ κλῆδας οἶδα δωμάτων μόνη θεῶν Ἐν ᾧ κεραυνὸς ἔστιν ἐσφραγισμένος. i. e. Et ſola Deorum novi aedium claves, ubi fulmen eſt obſignatum. *Sed prius malim.* IVNONEM CLAVIGERAM *habet Ariſtophanes, in eadem Comoedia, v.* 982: Καὶ κλῆδας γάμου φυλάττει. i. e. Et matrimonii claves ſervat. *Forte id nominis*

nacta est, quod ipsam putabant matrimonii et partus esse praesidem; quamobrem et PATVLCIA *in lapide Reinesiano nuncupatur.* MATRI DEVM *cur clavem dederint, hanc caussam Servius, ad* Aeneid. X, 252, *adfert:* Terram autem ipsam constat MATREM DEVM esse: unde et simulacrum eius cum CLAVI pingitur; nam terra aperitur verno, hiemali clauditur tempore. PARCAS *Plutarchus*, de Socratis daemonio, (pag. 591.) κλειδούχους, CLAVIGERAS, *quae vitam hominis claudere et reserare ferebantur, nominat.* QVIETEM *Deam Pindarus*, Pythic. Ode VIII *sic alloquitur:* Βουλάν τε καὶ πολέμων ἔχοισα κλαῖδας Ὑπερτάτας. i. e. Consiliorum bellorumque habens supremas claves. *Denique, ne nimius sim, Nicomacho Geraseno apud Photium Patriarcham* ἡ τετρὰς, NVMERVS QVATERNARIVS, *appellatur* τῆς Φύσεως κλειδοῦχος. *Quum ergo in hac voce luxuriaverint Graeci; quis prudens negaverit, Euripidem, licet etiam nusquam ita dicta legeretur,* DIANAM *potuisse eo titulo insignire: inprimis cum Diana a* PROSERPINA *parum discrepet; cui tamen cum marito* (PLVTONE) *Orpheus*, Argonaut. u. 1368, κληῖδας νερτερέων, βερεθρέων CLAVES INFERORVM *contribuit. Verum, ne destituunt hic quidem Euripidem veteres. Nam idem Orpheus, seu quisquis auctor est Hymnorum, qui nomen illius prae se ferunt,* DIANAM

Ταυροπόλον παντὸς κόσμου κλειδοῦχον ἄνασσαν,

appellat. Causam nominis ipse addit Hymno I;

ubi

Digitized by Google

ubi non tantum κλειδοῦχον, sed θηλειῶν σώτειραν et ὠδίνων ἐπαρωγὸν; sospitam feminei sexus et partus adiutricem nuncupat. Quid? superant Dianae imagines, quae CLAVEM *manu ferunt: eas, si lubet, uide Tom. V Antiqu. Rom. p.* 776. Quae pauca idem Wesselingius de *Diis clavigeris* subiicit, non est necesse, ut hic repetantur; cum iam supra a nobis simul repetita sint et copiosius exposita.

XII. Ne vero a recensendis *Deabus clavigeris* prorsus ἀσύμβολοι recedamus, duo huius argumenti monimenta antiqua, ad quae et alii quidam iam provocarunt, breviter exponemus. Alterius schema primum ex Museo Chiggio publicatum fuit a Mich. Ang. Causseo; deinde a Montfaucono relatum est in *T. I. Antiquit. Libr. III, cap.* 14. Conspiciuntur tres figurae femineae, a dorso iunctae, sibique dissimiles. Prima galerum Phrygium gestat; ex cuius inferiori ora radii prodeuntes coronam quasi radiatam efficiunt: dextra manu gladiolum, seu cultrum; sinistra serpentem, gestat. Secunda, lauru coronata, manu dextra CLAVEM tenet; sinistra vero FVNES. Tertia, bicornem lunam praefert, et super cornibus forte loti florem; manu autem utraque tenet facem. Recte hic a viris doctis, modo laudatis, *Cauceo* et *Montefalconio*, agnoscitur simulacrum HECATES. Huic non una potestas, neque una semper forma ab antiquis poetis fuit tributa. HOMERVS, quantum nobis constat, eius prorsus non meminit; at meminit HESIODVS,

Θεογον. v. 411, *seqq.* ubi is ait, *Hecaten* habere potestatem tam in *terra*, ac *coelo*; quam in *mari*, neque vero hic Poeta formam Hecates describit. Efficta autem illa fuit antiquissimis temporibus una facie et corpore; deinde vero triformi. Ita PAVSANIAS, *Libr. II, cap.* 30, commemorat, Aeginetas inprimis, auctore initiorum Orpheo Thrace, coluisse Hecaten, cuius signum unicam habuerit faciem, unumque corpus; ipse autem existimat, primum Alcamenem Athenienſibus triplex feciſſe iunctis corporibus Hecates ſimulacrum. Vnde Ἑκάτη τρίμωρφος, et τριπρόσωπος, ATHENAEO, *Libr. VII, p.* 327, dicitur. *Hecate triformis*, a SENECA, in *Hippolyto, Act. II, v.* 412, VIRGILIVS, *Libr. IV. Aeneid. v.* 511, vocat *Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianae.* CLAVDIANO, de *raptu Proſerpinae, Libr. I, v.* 15, audit: *Ternas Hecate variata figuras.* SERVIVS, ad citatum Virgilii locum, haec commentatus eſt: *Iteratio eſt eiusdem rei,* LVNAE, DIANAE, PROSERPINAE. *Et cum ſuper terras eſt, creditur eſſe* LVNA; *cum in terris,* DIANA; *cum ſub terris,* PROSERPINA. *Quibusdam ideo triplicem eſſe* HECATEN *placet; quia Luna tres figuras habet. Non nulli eandem Lucinam, Dianam, Hecaten, appellant, ideo, quia uni Deae tres aſſignant poteſtates, naſcendi, valendi, moriendi; et quidem naſcendi Lucinam Deam eſſe dicunt; valendi, Dianam; moriendi, Hecaten. Ob quam triplicem poteſtatem triformem eam triplicemque finxerunt, cuius in triviis templa ideo ſtruxerunt.* ARNOBIVS, *adverſu*

Digitized by Google

versus Gentes, *Libr. III*, *p.* 144: *Non indocti*, inquit, *apud vos viri*, DIANAM, CEREREM, LVNAM, *caput esse unius dei triviali germanitate pronuntiant; neque, ut sunt trinae dissimilitudines nominum, personarum differentias tres esse; Lunam enim his omnibus vocari, atque in eius vocamen reliquorum seriem coacervatam esse cognominum.* Multae tricae sunt huius mythologiae, longaeque ambages. Id unum notamus, aliam formam tradi *Hecates Tartareae* a forma *Hecates terrestris* et *coelestis*. ORPHEO, in *Argonauticis*, *v.* 975. *seqq. Tartarea Hecate* dicitur τρισσοκέφαλος, sive *triceps*; e cuius humero sinistro extitit caput *equi*; e dextro, *canis*; medium vero caput faciem *apri*, vel *hominis ferini*, habuit. Exhibitum Schema non esse huius Dianae Tartareae, facile patet; interim non dubitamus, quin Hecates vim, et in coelo, et in terra, et apud inferos, exprimere debuerit. Vna forma *bicornem Lunam* cum *flore* imposito praefert, et utraque manu *facem* gestat. Haec est illa ipsa Hecate, quam EVRIPIDES, in *Helena*, *v.* 575, vocat φωςφόρον ἑκάτην. Et quae similiter ARISTOPHANI, in *Ranis*, *v.* 1405, dicitur Διπύρους, ἀνέχουσα λαμπάδας ὀξυτάταιν χεροῖν Ἑκάτη. i. e. *duplices faces tenens manibus perquam agilibus Hecate.* Vid. SPANHEM. *in Comment. ad Callimachum*, *p.* 132. Alteram formam referrem ad *Hecaten inferorum*, quae dextra *cultrum*, sive *gladium manubriatum*, gerit, haud secus, ac ORPHEVS, *Argonaut. u.* 978, ei tribuit

buit ἀόρα κωπήνυτα. Laeva tenet *serpentem*; cuius signum etiam aliis inferorum numinibus, uti Plutoni, Proserpinae et Furiis, aliquando fuit commune. Habuit vero Hecate sociam et cognatam potestatem cum Mithra, cuius et mitram gestare videtur; corona autem radiata Solis vim cum Hecate communicatam innuit. Tertia forma est *Hecates* vel *Dianae* ἐμπυλίας, sive *ianitricis* et *custodis*; uti vocatur ORPHEO, in *Argonaut.* v. 900 et 981. Quae et Ἐπάτη πρόπυλαία, et προσατηρία, et προθυρία, audiit, annotante SPANHEMIO *ad Callimachum*, p. 157; item EVER. OTTONE, *de Diis vialibus*, p. 87. Ab ORPHEO, in *Hymno I*, appellatur προθυραία, *ianuae custos*, ΚΛΕΙΔΟΥΧΑ, *Clavigera*; ἡ κατέχει οἴκους πάντων, θαλίαις τε γέγηθε, i. e. *quae aedium omnium praeses est, et delectatur epulis.* Quibus posterioribus verbis Poeta respexisse videtur ad *epulas*, vel *coenam Hecates*, cuius meminit LVCIANVS, *Dial. I. mortuor.* p. 262; et ATHENAEVS, *Libr. VII. cap.* 21; et SCHOLIASTES ARISTOPHANIS, in *Pluto*, *Act. II. Sc. V*, v. 594; quo posteriore referente, antiquitus coluerunt in triviis HECATEN. Quolibet autem novilunio dites vesperi coenam, ut sacrificium, Hecatae obtulerunt, et in triviis collocarunt; ubi tum pauperes, famelici accedentes oblata comederunt, dicentes, Hecaten illa comedisse. Num simili ratione, quod CLERICVS, ad *Hesiodi Theog.* v. 411, coniecit, apud Orientales culta fuerit Hecate, secundum illud, quod legitur

ESAIAE

ESAIAE *Cap. LXV, v.* 11; hoc loco non decertamus. Quam vero rem ex instituto tractat DAV. MILLIVS *Dissertatione V et VI, inter Selectas.* Interim ex dictis haud aegre intelligitur, cur *Hecate* κλειδοῦχος in citato Schemate CLAVEM gestet dextra? Neque non *Clavigerae* et *Custodi inferorum* conveniunt VINCVLA et FVNES, quos ista manu laeva tenet. Quis enim non legit, animas quorundam mortuorum a Diis inferis *constringi* dictas esse? Quid? quod vetustissimis temporibus homines loco clavium ostia et cistas *loris vinculisque* munire atque custodire, aut claustris simul etiam *vincula* et *catenas* addere, consueverunt. Id quod viri eruditi iamdudum, potissimum auctoritate Homeri, eiusque interpretis, EVSTATHII, *Odyss.* Δ. *v.* 802. *Od.* θ. *v.* 447. *Od.* Φ. *v.* 45 et 240, comprobarunt. Vid. MOLINI Dissert. de *Clavibus veterum*, Vpsal. 1684 edita, et in *Tomum III Thesauri Sallengriani Antiquitatum* relata. Vnde accidisse verisimile est, ut verba δῆσαι et λῦσαι, pro *claudere* et *recludere*, sive *aperire*, aliquando sint usurpata.

XII. Restat paucis explicandus ex SEGVINI *Selectis Numismatibus*, *p.* 180, numus, in quo extat caput Philippi Imp. filii, cum inscriptione M. IOY. ΦΙΛΙΠΠΟC ΚΑΙCΑΡ. In aversa parte itidem stant tres figurae muliebres, obversis tergis iunctae, cum modiis, aut turriculis in capite: quarum media manibus utrisque gerit facem. Quae dexterior est, serpentem dextra,

laeva CLAVIM antiquae formae, tenet. Quae si posterior, dextra flagellum, laeva cultrum, vel gladiolum, ostentat. Ad harum pedes utrinque sedet Canis. Inscribitur: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. Seguinus applicat has figuras ad *Furias*. At enimvero, quamvis tres fuerint Furiae; eae tamen nusquam alibi *tricorpores*, sive triformes, unitis corporibus, reperiuntur; aeque ac neque *Parcas*, neque *Gratias tres*, triformes videas. Potius igitur alii viri eruditi huius numi figuras itidem ad HECATEN retulerunt. Et certae figurae istae quam maxime conveniunt cum schemate *Hecates* paullo ante explicato; praeterquam, quod tribus capitibus *modios* impositos cernas; et in alterius furiae manu pro loris, sive funibus, *flagellum*; ac denique inferne *canes* assidentes, animadvertas. Sed neque haec signa adversantur simulacro *Hecates*, Serapis pro Plutone clavigero habitus vulgo gestavit capite *modium*, sive *calathum*; quidni potuerit etiam gestare *Hecate* κλειδοῦχος; *Flagellum* et aliis quibusdam diis tribuitur ad significandum imperium; quidni et Hecatae, principi inferorum; quae etiam *funes* facile cum *flagello* commutare potuit ad poenas infernales exercendas; *Canis* vero praecipuum signum *Hecates* est. Canes *Hecatae* sacros immolatosque fuisse, multa testantur scriptorum veterum loca. Vid. v. CL. EV. OTTO, l. c. *pag.* 92, *seqq.* De *calatho* et *lauru* Hecates legere licet EVSEBIVM, de *Praepar. Evang. Libr. III*, *p.* 113; qui et *Libr. V*, *p.* 202, inter insignia Hecates refert μάστιγα, καὶ λαμπάδα, καὶ ξίφος,

λάβας, καὶ δράκοντα, i. e. *flagellum*, *lampadem*, *gladium*, *draconem*, sive *serpentem*. *Funes* vero, et *vincula*, quae Hecate, gestat, ideo illi data videntur, ut simul eius vim magicam exprimerent; unde et magi magaeque *ferna licia intorta*, sive συνδέσμους, usurparunt, quibus, ope Hecates, et morbos varios curarent, et, colligatis Amoris vinculis, mentes hominum constrictas tenerent, et ipsos sibi deos devincirent. Qua de re plura tradit MILLIVS, in *Dissertatione VIII*, *p.* 237; et commentatores ad VIRGILII *Eclogam*, quae *Pharmaceutria* inscribitur, *v.* 73. Sed lubet ad extremum huc transferre partem versiculorum, quos EVSEBIVS, *Libr. V*, *p.* 202, ex veteri Poeta attulit, cum ad explicandas *Hecates* figuras non parum faciant?

Δείμα πρτίεμαι κυνῶν	Terror inferum canum,
γλῶσσα δεινὸν Ἑκάτης,	Tetra sit forma Hecates;
λαμπὰς ἔστω πρὸς χέρας,	Lampas in manu ardeat;
καὶ ξίφος τὸ φοίνιμον,	Vltor horreat mucro;
Καὶ δράκων περισταλὴς	Hanc draco circum ambiens
Ἀμμασι κόμην κρωτῶν	Flexibus nectat vagis
Δεινὸν ἀμφὶ κρᾶτα θείς	Ac ferum implicet caput.
Λιόλη τε ΚΛΕΙΣ ὁμῦ,	CLAVIS adsit mobilis,
Καὶ τὸ δαιμόνων κράτος	Et potens vis Daemonum,
Μάσιγας ψόφος πολύς.	Plurimus flagri sonus.

XIIII. Hactenus de *Diis Clavigeris*; nunc paucis iniicienda est mentio SACERDOTVM et MINISTRORVM CLAVIGERORVM. Scilicet etiam Deorum quidam sacerdotes et aeditui dicti fuerunt κλειδοῦχοι, quasi mysteriorum et sacrarum aedium custodes; quod nimirum huiusmodi ministris

Digitized by Google

miniſtris cura *clavium* templi, eiusque et aperiendi et claudendi facultas, committi conſueverat. Hinc Io, annotante SPANHEMIO, *ad Callimachum*, *p.* 694, κληδοῦχος Ἥρας, *Iunonis clavigera*, seu *aeditua*, dicta apud *Aeſchylum*, *Supplic. v.* 299; et de Iphigenia, futura Dianae Tauricae ſacerdote κληδοῦχον Θεᾶς *clavigeram Deae fore*, dicitur ab Euripide: *Iphig. Taur. v.* 1463. Sic de Caſſandra, Apollinis ſacerdote, ait apud eundem Tragicum Hecuba, *Troad. v.* 256: Ῥῖπτε, τέκνον, ζαθέας ΚΛΗΙΔΑΣ, i. e. *abiice*, *filia*, *ſacras* CLAVES. Quae loca etiam repetit v. CL. IACOB. ELSNER, in *obſervat. ſacris*, *p.* 228. Cum vero CALLIMACHVS, in *hymno in Cerer. v.* 45, deſcriberet *Sacerdotem Cereris*, quae gereret manu *ſerta* et *papauer*; quaeque haberet κατωμάδιον κλαῖδα, i. e. CLAVEM DE HVMERO PENDENTEM, ſecundum iſtam veterum clavium formam, quae humeris commodius, quam manibus geſtari potuiſſe videantur: hinc non nulli illuſtrandum cenſent ESAIAE *cap. XXII*, *v.* 22. et APOCAL. *III.* 7. Qua de re videre licet HVETIVM, in *Penſees diverſes*, in v. CL. LACKAMACHERI *Obſervat. Philol. p.* 337: praecipue autem G. OVTHOVIVM, in *Diſſert. de Meſſiae principatu ſuper humerum eius*, *ad Eſa. IX*, 5; quae extat in *Bibliotheca Brem. Claſſ. VI Faſc. V.* 824. Sic etiam in *Eccleſia Chriſtianorum*, medio aevo *Theſaurarium Eccleſiae* dictum eſſe CLAVIGERVM, et *Archiclauem*, teſtimoniis citatis probat CANGIVS, in *Gloſſario Latino*; qui ibidem oſtendit, etiam ob certam rerum curam et adminiſtrationem quosdam Principum

cipum miniſtros appellatos κλειδούχους, κλειδοφύλακας, *et Gazophylacii clavicularios.* Sicut autem iam olim *clavis* generatim fuit ſignum poteſtatis et gubernationis; ita, e. g. *uxores* κατ' ἐξοχὴν etiam κλειδοῦχαι, i. e. *clavigerae* aliquando dictae ſunt. Vnde HESYCHIVS: ΚΛΗΔΟΙΧΟΣ, inquit, γυνὴ, ἀπὸ τοῦ τὰς κλεῖς τῆς οἰκίας ἔχειν. Sic certe mos inſtitutumque Romanorum fuit, ut uxoribus primum domum mariti ingredientibus CLAVES darentur; vel boni ominis cauſſa, ad ſperandam partus facilitatem, ut vult FESTVS; vel potius ad ſignificandam rei familiaris diſpenſationem, domusque cuſtodiam, quae iis ipſis uxoribus tunc committebatur: cum e contrario, ademtio *clavium* ſignum eſſet divortii, et amiſſi iuris uxorii; ſicuti CICERO, *Philipp. II, cap.* 28, de Mima ab Antonio repudiata ſcribit: *Illam ſuas res ſibi habere iuſſit, ex XII tabulis*; CLAVES ADEMIT; *exegit.* Vid. VICTORIVS, *Var. Lect. Libr. II, c.* 2. HOTOMANNVS, de *vet. Ritu nupt. cap.* 10, et alii. Praetereo alia de *traditione* et *cuſtodia clavium*; neque pluribus commemoro, quod S. R. D. ZELTNER, in *Diſſert. de Fragmento Paulli* ἀλεοπινεύζω, *§.* 27 *et* 28, annotavit, CLAVES etiam antiquitus inter Iudaeos fuiſſe *eruditionis ſymbola, et inſignia doctorum, publice docendi poteſtatem adeptorum*; ex eoque ritu lumen aliquod τῆ κλῆδι τῆς γνώσεως, *clavi cognitionis*, a Phariſaeis ablatae, *Matth. XXIII*, 13. *et Lucae XI*, 53, poſſe accendi.

SECTIO

SECTIO II.

I. Ne vero quis putet, nos in hac parte antiquae mythologiae explicanda operam plane inutilem posuisse; praeter tot alios, pro nobis iam loquatur D. BVDDEVS, in *Isagoge ad Theol. Libr. I. cap. 4, p. 167*; qui inter alia *propaedeumata theologica* etiam commendat *studium mythologiae*, et cum aliis viris eruditis censet, *in hac ipsa mythologia deprehendi multa veritatis vestigia, multa quae ad confirmandam historiam sacram, antiquissimasque rerum variarum origines eo rectius intelligendas, faciant, aut aliunde etiam in theologia, historia et philosophia, usum praebeant.* Dum vero in hoc argumento exponendo tam absurda superstitionis deliramenta, et religionis paganae portenta, fuerunt commemoranda; non potuimus non excitari ad agnoscendam paaedicandamque nostram Christianorum felicitatem; utpote quibus DEVS pro immensa bonitate sua tam sincerum sanctumque veritatis coelestis lumen impertiit. Merito igitur nobis succurrit illud divinum PAVLLI monitum, *ad Coloss. I, 12, 13*: Εὐχαριστοῦντες τῷ πατρὶ τῷ ἱκανώσαντι ἡμᾶς εἰς τὴν μερίδα τοῦ κλήρου τῶν ἁγίων ἐν τῷ φωτί. Ὃς ἐρρύσατο ἡμᾶς ἐκ τῆς ἐξουσίας τοῦ σκότους, καὶ μετέστησεν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ υἱοῦ τῆς ἀγάπης αὐτοῦ, κ. τ. λ. *Gratias agite Patri, qui idoneos nos fecit ad participationem sortis sanctorum in lumine; Qui eripuit nos a potestate tenebrarum, ac transtulit in regnum*

Filii

Filii sui dilecti. Atque adeo hac occasione et illud nostrum facimus, quod de se pie graviterque scripsit PHILIPPVS A TVRRE, cum in recensenda *Mithrae* mythologia versaretur, *cap. V, p.* 199: *Haec dum horrenti et attonito calamo persequor, ne quis existimet, a christiano viro ac veri numinis cultore alienum, falsos et inanes Ethnicorum deos ritusque vanos ab obscura antiquitatis latebra in lucem revocare et legentium oculis prodere. Nam id in religionis nostrae argumentum conducet, et* DEI O. M. *laudem, qui, discussa pridem erroris caligine, et impio idolorum cultu profligato, verum sanctumque Evangelii patrimonium nobis in hereditatem reliquit, et fidem, sanguine* FILII *sancitam, in symbolum et tesseram aeternitatis condidit: ut, dum gentilium insanias horremus et proscindimus, maneat firmeturque nostrae religionis amor; et pietas comparatione indicta, altius animis insideat.*

II. Si iam speciatim dispiciamus, an haec ipsa, quam de *Diis clavigeris* proposuimus mythologia etiam speciatim possit accommodari ad quaedam diviniorum literarum loca illustranda; animo nostro nunc potissimum obversatur illud, quod CHRISTVS, servator noster optimus maximus, de se dicit, APOCALYPS. I. v. 18: ΕΧΩ ΤΑΣ ΚΛΕΙΣ ΤΟΥ ΑΔΟΥ ΚΑΙ ΤΟΥ ΘΑΝΑΤΟΥ. i. e. *habeo claves inferorum et mortis.* Sunt omnino, qui ita sentiant. Quia vero angustia temporis, qua circumcludimur, prohibet, quo minus plurium sententias in praesenti colligamus, eos dumtaxat, qui

qui nobis in promtu sunt, testes excitabimus. Ita LAMB. BOS, in *Diatrib. Philol. ad N. F. cap. XXXVI, p.* 179, tradit, in loco APOCALYPSEOS a nobis proposito *locutionem* esse desumtam ab Ἅιδη, sive *Inferis Gentilium*; propterea, quod loci illius claves a Pausania et Platone tribuuntur *Orco*, sive *Plutoni*, Inferorum Regi, easdemque claves servare traditur *Aeacus*, apud Apollodorum: et quemadmodum hic τῷ Ἅιδη κλεῖς, *claves*; ita apud Matthaeum πύλαι, *portae*, ipsi tribuuntur; id quod itidem a paganis desumtum putat. CL. ZORNIVS, in *Biblioth. antiquar. Tom. I, P. VI, p.* 508, accedere videtur *Lamberto Bos*; cumque minus dubitet, quin idem error de *diis clavigeris*, et maxime de *Plutone clavigero*, invaserit incolas Asiae; hinc existimat, istis fictitiis falsisque numinibus oppositum fuisse DEVM verum, qui inferorum habeat claves. At, *Tom. I, Part. XII, p.* 1062, mauult vir eruditus, verbis *Apocal. I*, 18, respici HECATEN *clavigeram*, quae una eademque sit cum Diana: *Etenim Diana*, inquit, *non solum in Asia universa, ad cuius praecipuas Ecclesias scripsit Spiritus S. sed et in toto terrarum, quaqua versum patet, orbe celeberrima erat, a Tatiano* Μάγος *apellata*: Ἀφροδίτη δὲ γάμοις πλοκαῖς ἥδεται, Μάγος ἐστὶν Ἄρτεμις, Θεραπεύει ὁ Ἀπόλλων. i. e. *Venus nuptiarum complexibus gaudet; Diana magiam exercet; Apollo medicinam. Hinc literae Ephesiae h. e. magicae*, ἐπὶ τοῖς ποσὶ τῆς ἐφεσίας Ἄρτεμιδος, *in pedibus Dianae scriptae erant*; teste

teste Diogeniano, apud Erasmum, in Adagiis Cent. II, p. 578. vel ἐπὶ ποδῶν, καὶ ζώνης, καὶ στεφάνης, in pedibus, Zona, et corona extabant, quemadmodum Plutarchus apud Eustathium ad Homeri Odysseam V, p. 1864, memoriae prodidit. - -. Deinde, cum sub Hecates, sive Dianae, effigie Diabolus, hominibus Asiaticis illudens, non magiam solum doceret, sed et sibi falso imperium in inferos effingeret; e re utique erat, ut Christus, Asiaticos allocutus, de traditis sibi inferorum clavibus mentionem faceret, et hoc pacto, vel magiae tractandae, vel Diaboli sub insigni quadam specie colendi causas reiiceret, ac detestaretur.

III. De hac interpretatione, si iam nobis nostram exponere sententiam licet, illam quidem ingeniosam et eruditam esse fatemur, neque negamus, fieri potuisse, ut CHRISTVS se opposuerit *diis* paganorum *clavigeris*, adeoque ex singulari stili divinioris συγκαταβάσει, sese potius verum DEVM CLAVIGERVM, et *dominum mortis atque inferorum*, appellarit; inprimis cum tunc alloqueretur Ecclesias Asiae minoris, quibus quidam paganorum *Dii clavigeri* non incogniti esse potuerunt: verum non videmus, istam interpretandi rationem, in dicto APOCALYPSEOS a nobis proposito, locum necessario habere debere. Primum enim CLAVIS, qua ad aperiendum, vel claudendum, utimur, apud multas nationes, iam ex vulgari usu et quasi naturali significatione, est σύμβολον ἐξου-

σίας, i. e. *symbolum et signum potestatis, aut administrationis alicuius.* Si ipse Dominus et herus *clavem* habet; hoc modo per *clavem* μετωνυμικῶς potestas suprema et absoluta denotatur. Sin *ministri* et *oeconomi*, aut *servi*; *potestas subordinata*, et administratio, rerumque custodia iis commissa, significatur. Qua ratione sufficeret, in proposito loco *Apocalypseos*, per CLAVES simpliciter et non nisi μεταφορικῶς intelligere summam CHRISTI in mortem et inferos potestatem; ubi *mors*, ex quorundam interpretum sententia, satis congruenter mortem *primam et secundam*; ἅδης vero *statum post mortem*, denotat. Neque enim necesse est, ut hanc significationem ex mythologia deorum clavigerorum repetamus; cum ea etiam vulgari usu multorum populorum, et exemplis variarum linguarum, maxime *Ebraeae* et *Graecae*, se tueatur. Atque adeo, sicuti trita est gentium consuetudo, ut victi victoribus tradant claves urbium devictarum, ad ius et dominium victoris declarandum exercendumque; sic CHRISTVS, inquit OVTHOVIVS, l. c. *victo Diabolo, ad indicandum suum omnimodum imperium ac potestatem, sibi vendicat claves inferni ac mortis.* Deinde, idem SERVATOR noster, sequenti CAP. III. APOCAL. *u.* 7, ait: Τάδε λέγει ὁ ἅγιος ὁ ἀληθινὸς, ὁ ἔχων τὴν ΚΛΕΙΔΑ ΤΟΥ ΔΑΒΙΔ, *κ. τ. λ. Haec dicit Sanctus et Verax, qui habet clavem David.* Vbi vix dubium esse potest, quin, non ad *mythologiam deorum clauigerorum*, sed potius ad loquendi formulam iam in Veteri Testa-

Teſtamento, ESA. XXII, 22, uſurpatam, reſpexerit CHRISTVS, teſtatusque ſit, ſe non tantum mortis et inferni poteſtatem habere, ſed et pleniſſimum imperium in domo DEI; quemadmodum Eliakimus in domo Ezechiae, qui erat ex Davidis poſteris. Vid. GROTIVS ad h. l. Hinc recte CALOVIO, in *Bibliis illuſtratis*, hoc loco *clavis David* dicitur *poteſtas et facultas aperiendi et claudendi Domum Davidis, regnum ſcilicet coeleſte, vel Eccleſiam: quoniam Eccleſia eſt regnum ſpirituale Davidis, qui nominatur, quia* CHRISTO *datus eſt thronus Davidis*, LVCAE I, 32. *Plenam ergo habet poteſtatem in Eccleſiae regimine coelum aperiendi, et recipiendi in Eccleſiam, non militantem ſolum, ſed et triumphantem.* Sicuti igitur non in hoc poſteriori, ita nec in priori loco *Apocalypſeos* interpretando, neceſſe erit, ut confugiamus ad *mythologiam deorum clavigerorum.* Quae vero poſteriores Iudaei, in *Paraphraſi Hieroſolymitana*, GENES. XXX, 22, de *quatuor* DEI *clavibus* fabulati ſunt, huc nihil faciunt. Plura quidem de vocabulis Θάνατος et Ἅδης, item de ſumma CHRISTI poteſtate, ac de miniſterio *clavium regni caelorum*, hac occaſione differere conſtitueramus; ſed cum argumentum hoc, praeter opinionem, iam nimis excreverit, in his nunc ſubſiſtimus.

* * * *
* * *
* *
*

Digitized by Google

XV.

DE LVDO EQVESTRI AB HENRICO VI. IMPERATORE A. CIↃCLXXXXVII. NORIMBERGAE CELEBRATO

M. IOH. CHRISTOPH. GATTERER
Altorfii 1752.

De ſolennni Ludo Equeſtri, quem Henricus VI. Imperator, A. CIↃCLXXXXVII. Norimbergae inſtituit, dici non poteſt, quam variae ſint hominum doctiſſimorum, quamque diſcrepantes ſententiae. Alios enim negare eum, alios in dubium vocare, alios defendere, animadverto: ut adeo, cui in tanto opinionum divortio accedendum ſit, difficulter admodum definiri poſſe videatur. Qui ſequuntur GEO. RÜXNERVM, ſubleſtae fere ceteroquin fidei ſcriptorem, in *Thurnierbuch* p. CII-CXIII; ii multis undique difficultatibus premi dicuntur: quamquam dubia pleraque, quae de narratione hac Rüxneriana moventur, expenſa videas atque expedita a GEO. SCHVBARTO in Lib. *de Ludis Equeſtribus*, cap. V. §. XI. p. 125. ſeqq., et *Auctore notarum, orationi Nadlerianae de Henrico ſexto Imperatore* Norimb. 1743. 4. editae, *ſubiunctarum*: quibus merito adiungitur Ill. *Auctor ſingularium Norimbergenſium* p. 463-489. Nec exigui momenti ſunt ea, quae in Generoſ. Dom. VOLCAMERI Or. MST. *de ludis equeſtribus Norimbergae celebratis*, p. m. 24. hunc in modum legimus: *Teſtem in medium proferam, virum*

Digitized by Google

rum ampliſſimum atque integerrimum, cuius fidem laceſſere piaculum eſto. Vos noſtis iam ſcriptorem illum de rebus Baiuariorum optime meritum Vigulaeum Hundium. Hic quasdam chartas Sinichingae ſibi viſas eſſe tradit, (nim. in praefat. des Bayriſchen Stammenbuchs) *quae torneamenti Norimbergae exhibiti deſcriptionem referrent, ubi Dietericus Stauffius, Eques ac Dominus in Erenfels praemium conſecutus* etc. Inter eos autem, qui hac in re auctoritatem Rüxneri prorſus reiiciunt ac damnant, quid? quod ipſum ludum equeſtrem omnino ac funditus evertere conantur, iure commemorandus eſt IO. MÜLLERVS vir alioquin perdoctus optimeque meritus, qui quondam Senatus Norimbergenſis a Secretis intimis erat, in dem *Diſcours*: *ob Geo. Rüxners Thurnier-Buch pro Scripto authentico zu halten, und wie weit demſelben Glauben zuzuſtellen?* quem ſermonem exhibet V. C. IO. GEO. CRAMER in *Commentariis de iuribus et praerogativis Nobilitatis avitae*, T. I. p. 467-508.

Tota Mülleri ratiocinatio, l. c. §. XVII. p. 502. ſeqq., eo potiſſimum valet, ut multis conquiſitis rationibus teſtimoniisque oſtendere ſtudeat, hoc certamen plane non potuiſſe inſtitui ac frequentari ab Henrico VI, Imperatore, propterea quod hic A. CIↃCLXXXXVII, et anno ſequenti non in Germania, ſed in Sicilia, vel mortuus, vel vivus fuiſſet. Sed digna ſunt verba eius, quae hic repetantur. Sic ſcribit p. 502: *Das vornehmſte aber, ſo alles das,*

Digitized by Google

was von diesem Nürnbergischen Thurniere erzehlet wird, verdächtig macht, und dem Fass gar den Boden ausstöst, ist dieses, dass Otto de S. Blasio in Append. ad Ottonis Frising. Chron. schreibt, Kayser Heinrich seye anno MCXCV. das dritte mal (attende lector, *tertium* iter memorat Otto, non *ultimum*, quod Müllerus, Ottone invito, suspicatur) *aus Teutschland in Italien und fürder in Apulien, Calabrien und Sicilien verreiset: sey anno MCXCVI. in Sicilien verharret, -- der Kayser aber sey zu Messina gestorben.* Affert deinde multa veterum ac recentiorum scriptorum testimonia, quibus confirmat (id quod, Müllero non monente, vel tirones historiae imperialis norunt), alios mortem Henrici VI. ad A. CIↃCLXXXXVII, alios ad A. CIↃCLXXXXVIII, referre. Quae vero p. 504. sq. tradit, altioris sunt indaginis. *Vnd obwol auch*, inquit, *Vrspergensis, et eum secuti Mutius c. 19. und Spangenberg in der Mansfeldischen Chronick c. 237. schreiben; Kayser Heinrich sey gestorben anno MCXCVIII --, so ist doch nirgend zu finden* (menti-is bone Müllere!), *dass er nach seiner Abreis, so anno MCXCV. geschehen, wieder heraus in Teutschland kommen, sondern es melden die Historien, dass er auch Vorhabens gewesen, wann die irrigen Sachen in Sicilien geschlichtet, denen andern Fürsten, so vergangen Iahr in das heilige Land gereiset, nach zu folgen, er sey aber durch den Tod daran verhindert worden. -- Dem allen nun seye, wie ihm wolle, es habe Kayser Heinrich noch gelebt oder nicht, so ist doch daraus klar*

klär und deutlich zu erkennen, daſs er eben zu der Zeit um Lichtmeſs anno MCXCVIII. da vermoeg Rüxners Gedicht der Thurnier zu Nürnberg gehalten, und der Kayſer gen Donauwerth begleitet worden ſeyn ſolle, entweder tod oder lebendig in Sicilien geweſen; Vnd obwol Spangenberg im Adels-Spiegel Rüxnern gern helffen wolte, und vermeint, der Thurnier ſey nicht anno MCXCVIII. ſondern MCXCVII. gehalten worden, ſo iſt doch aus obſtehendem Inhalt (nim. ex ſolo Ottonis de S. Blaſio loco, quem vero interpretatione ſua turpiſſime corrupit Müllerus) *zu vernehmen, daſs auch dieſes nicht ſeyn koenne, weil der Kayſer anno MCXCV. aus Teutſchland gereiſet, und nicht wieder darein gekommen* (hem! quam placide hic iterum Homerus noſter dormitat!). *Man will nun einen ieden unpartheiſchen gering-verſtaendigen urtheilen laſſen, ob nicht Vrſachen genug angezeiget* (ſed non demonſtratae ſufficienter), *daraus unzweiffentlich zu ſchlieſſen, daſs dieſer ganze Nürnbergiſche Turnier nichts dann ein pur lauter Gedicht ſey,* (erras!) *deſſen Rüxner, wann er noch im Leben waere, ſich ſelbſt würde ſchaemen müſſen.*

Iam quid in his verbis falſi, quid veri inſit, accuratius perveſtigabo, quia hoc dubium nondum video ab aliis profligatum eſſe. Primum Rüxnero, quod Müllerus vult, non opus eſt Spangenpergii aliorumue praeſidio et emendatione. Rüxnerus enim ipſe in prima editione libri ſui, quod iam ab aliis animadverſum eſt, annum CIↃCLXXXXVII. his ludis equeſtribus aſ-

ſignavit. Nec in ſubſequentibus editionibus inſcriptio commentationis de hoc haſtiludio alium annum prae ſe fert: quamquam non diffitendum ſit, in ipſo narrationis argumento, per errorem quemdam (a typographis ſine dubio profectum,) deſignatum eſſe annum CIↃCLXXXXVIII. Sed hoc mendum ex prima editione, et inſcriptione reliquarum editionum corrigendum eſſe, quis non videt? Fuit ergo utique animus Rüxnero, hunc ludum equeſtrem ad annum CIↃCLXXXXVII. referre. Proximum eſt, ut iam *diſquiramus*: *primum*, *an Henricus VI*, *Imperator*; *poſt annum* CIↃCLXXXXVII. *numquam ex Italia in Germaniam redierit*; *deinde fueritne is ſub initium anni* CIↃCIXXXXVII. *in Germania*, *an in Italia?* De utroque quid ſentiendum ſit, ut clarius pleniusque intelligatur; *omnes expeditiones Italicas huius Imperatoris inde ab A.* CIↃCLXXXX. *enarrabo fuſius*, easque diplomatum ac ſcriptorum, fide dignorum, auctoritate perpetuo perſequar. Conf. HAHN. in der *Reichs-Hiſtorie*, GEORGISCH. in *Regeſtis Chronologico-Diplomaticis*, et MVRATORI *in den Geſchichten von Italien.*

Henricus VI. Imperator A. 1190. Menſe Novembri primum in Italiam proficiſcitur.

Godefried. Colonienſ. ad a. 1190 p. 256. In menſe Novembri Rex in Apuliam proficiſcitur, ſed audita morte patris - (revertitur,) - poſtea tamen - in Apuliam tendit. Opizo Marchio de Eſte IX. Id. Febr. A. 1191. privilegium obtinuit ab Henrico VI. commorante Bononiae. vid. *Ill. Iung* de Comicia Burggraviae Norimb. p. 5.

A. 1191. die II. Paſchatos Romae inauguratur Imperator Romanus.

Godefr.

Digitized by Google

Godefr. Colon. ad a. 1191. p. 259. Henricus in Apuliam ducens exercitum Romae in Imperatorem, et Conſtantia uxor eius in Imperatricem ſecunda feria Paſchae conſecrantur.

A. 1192. in Germaniam revertitur.

Subſcriptio Diplom. ap. *Murator.* in Antiqu. Ital. med. aeu. T. IV. Diſſ. 47. col. 731. ſq: Acta ſunt hec an. ab inc. Dom. MCXCII. Indict. X. Regn. Dom. Henr. Rom. Imp. Sereniſſ. an. Reg. ei. XXXII. (XXIII.) Imperii vero I. Dat. ap. Hagenove -- III. Non. Marcii.

A. 1194. Menſe Iunio alterum iter in Italiam ſuſcipit,

Anonym. Caſinenſ. ad a. 1194. p. 154. Imperator exercitu collecto Menſe Iunio Italiam ingreditur.

aut fortaſſe iam ante hunc menſem.

Subſcript. chartae ap. *Murat.* Ant. Ital. T. I. diſſ. 15. col. 845: Acta ſunt hec an. Inc. Dom. MCXCIV. Ind. XII. Regn. Dom. Henr. VI. Rom. Imp. glor. an. Regn. ei. XXIV (XXVI.) Imperii vero III. (IIII.) Dat. ap. Placentiam per manus -- III. Non Iun.

Tempore verno A. 1195. adhuc in Italia commoratur.

Dipl. in *Vghelli* Ital. Sacr. T. VI. col. 700: Actum an. Do. MCXCV. Regn. Henr. VI. Imp --- Dat. apud Eſculum, in Marchia die I. Mart. Ind. III (XIII.) *ibid.* T. VIII. col. 127: Dat. an Dom. MCXCV. Ind. XIII. --- Datum Bari III. Non. April. *ibid.* T. I. col. 460: Actum an. Do. MCXCV. --- Datum ap. Tranum IV. Id. April. Add. *Godefr. Colon.* ad h. an.

Die XXV. Maii apud Burgum Sancti Domini, d. XXVIIII. Maii Placentiae, d. IV. Iunii Mediolani, deprehenditur.

Dipl. ap. *Sigon.* de Regno Ital. L. XV; Datum VII. Kal. Iun. ap. Burgum Sancti Domini an. MCXCV. ap. *Vghell.* Ital. Sacr. T. II. col. 174: Actum an Do. MCXCV. - Dat. Placentiae IV. Kal. Iun. *ibid.* T. IV. col. 174: Actum an. Do. MCXCV. - - Mediolani, Die Dominico, die IV. M. Iunii.

Die IV. Iulii iam finibus Germaniae proximat.

Vid. Dipl. Veronae datum, in *Tschudii* Schweizer. Chronick T. I. L. II. p. 96.

Menſe Octobri A. 1195. in Germania ipſa verſatur.

Dipl. in *Martene* Theſ. Anecd. T. I. p. 661: Actum an. Dom. MCXCV. - - Datum Moguntiae, III. Kal. Novembr. *Iohannes de Ceccano* ad a. 1195. p. 475: Henricus omne aurum et argentum, quod de regno ad manus habere potuit, congregavit, et per terras et per mare in Alemanniam miſit, et ipſe per Terram reverſus eſt in Alemanniam. Add. *Godefr. Colon.* ad h. a. et alii.

A. 1196. d. XXI. Ianuarii Hagenoviae verſatur.

Diplom. in Ill. *Gudeni* Syllog. I. varior. diplomatarior. in Diplomatario Schonaugienſi num. XVI. p. 41: Acta ſunt hec anno Dom. incarn. MCXCVI. Indict. XIIII. - Datum apud Hagenowe, XII. Kal. Febr.

In Germania usque ad menſem Iunium A. 1196. manet. Die VI. Novembr. et d. VII. Decembr. commoratur Wormatiae.

Dipl. in *Schannat.* Hiſt. Wormat. cod. prob. num. XCV. p. 89; Dat. VIII. Id. Novembr ap. Wormatiam an. Do. MCXCV. et in *Olear.* Synt. Rer. Thur. P. I. p. 193: Acta ſunt haec an. Do. Inc. MCXCV. - - Dat. Wormatiae VII. Id. Dec. Aliud dipl. itidem Wormatiae

Digitized by Google

Wormatiae eodem die datum vid. in *Otton.* Thuring. Sacr. Monum. Monaſt. S. Vallis c. XII. p. 478.

A. 1196. d. V. Martii Francofurti ſe tenet.

Vid. docum. in *Miraei* Oper. diplom. T. II. p. 1199.

D. VI. Martii Gelnhuſae, et d. XVII. Maii Lobdinburgi moratur.

Dipl. in *Miraei* op. dipl. T. I. p. 289: Actum an. MCXCVI. - - Dat. Gulenhuſen Prid. Non. Mart. et in *Gudeni* Syllog. I. varior. Diplomatarior. in Diplomatario Schonaug. num. XIIX. p. 46: Acta ſunt hec an. MCXCVI. Datum apud Lobdinburg - XVI. Kal. Iun. Indict. XIIII.

Menſe Iunio A. 1196. incipit tertium in Italiam proficiſci; nosque hoc iter perpetuis diplomatibus perſequemur.

Godefr. Colon. ad a. 1196. p. 262: Imperator in Apuliam denuo proficiſcitur etc. *Otto de S. Blaſio* c. XLIII. p. 221: Henricus contracto exercitu tertia vice Italiam intravit. *Auctarium Aquicinctinum* ad a. 1196 p. 255: Henricus Imp. hieme transacta iterum ad Siciliam et Apuliam proficiſcitur.

Die X. Iunii Wormatiae, d. XXV. Iunii Ehenheimii, d. VI. Iulii Biſuntii, d. XIII. Iulii iterum Wormatiae, conſiſtit.

Schannat. Hiſt. Worm. T. II. p. 90: Acta ſunt haec - - an. Do. Inc. MCXCVI. - Dat. ap. Wormatiam, IIII. Id. Iun. *Laguille* Hiſt. d'Alſace P. III. p. 30; Actum an. Do. MCXCVI. - - Dat. ap. Ehenheim VII. Kal. Iul. *Guden.* Syllog. I. l. c. num. XIX. p. 48: Dat. ap. Biſuntium an. inc. MCXCVI. Ind. XIV. II. Non. Iul. *Vgbell.* Ital. Sacr. T. IX. p. 132: An. Do. MCXCVI. Ind. XIV. - - Dat. Wormatiae III. Id. Iul.

Die XXVIII. Iulii in Italia Auguſtae Taurinorum agit.

Dipl.

Digitized by Google

Dipl. V Kal. Aug. datum vid. in *Iob. a Boſco.* Antiqu. Vien. Allobr. Gall. p. 88.

Die XII. Auguſti Mediolani, d. XXIII. Aug. Ticini ſive Papiae, d. VI. Septembr. Placentiae, d. II. Octobr. Aſſani, commoratur.

Primum diploma exſtat in *Puricelli* Monum. Ambroſ. p. 482. in Theſ Ital. T. IV. P. I: Dat. ap. Mediolanum II. Id. Aug. an Do. MCXCVI. - -; alterum in *Danduli* Chron. Veneto L. X. c. 3. part. 4. collect. *Murator.* Script. Ital. T. XII. p. 316: Dat. X. Kal. Sept. - -; tertium in *Vghell.* Ital. Sacr. T. V. p. 290: Dat. Placentiae an Dom. MCXCVI. VIII. Id. Sept. quartum denique in *Vghell.* Ital. Sacr. T. I. p. 1444: Dat. apud Aſſanum an. Dom. MCXCVI. Ind. XV. VI. Non. Octobr.

Die XX. Octobr. Caſſini ſive Monte Caſſino degit.

Vid. diplom. in *Bullario Caſinenſi* T. II. Conſt. 220. ſqq. d. XIII. Kal. Novembr. dat.

Die XVI. Novembr. Tibur (Tivoli) ſuſpicit Auguſtum praeſentem.

Vid. Dipl. XVI. Kal. Decembr. datum in *Bullar. Caſin.* l. c.

Iam tempore maxime inopportuno codicillorum nos praeſidium deſerit, nec prius ex hoc tempore ullum nobis genuinum, innotuit diploma, quam illud, A. 1197. d. 18. Iulii in Sicilia datum, de quo deinceps. Quoniam ergo ſilent codicilli, ſcriptores loquantur.

Pergit Imperator, quo coepit, ac die ultimo Novembris Ferentinum pervenit, ibique ſeptem dies haeret. Inde Capuam ſe confert.

Iob. de Ceccano in Chron. Foſſae novae. *Richardus de S. Germano* in Chron.

Poſt

Post festum, nato Servatori sacrum, Henricus VI. iter parat in Siciliam. Sed eo ipso tempore tristis nuntius affertur, Conradum, Ducem Sueviae, fratrem Imperatoris, sine liberis oppetiisse mortem. Quibus rebus fit, ut Henricus VI. Philippo, alteri fratri suo, quem iam antea Ducem Etruriae declaravit, hunc etiam Ducatum Sueviae, gubernatore vacuum, concedat.

Otto de S. Blasio in Chronico p. 222. *Conradus Vrsperg.* p. 304. *Chronicon Weingartense* p. 799.

Non videtur autem Henricus iter, quod facere in Siciliam decreuerat, confeciſſe; sed potius, nuntio de fratris morte accepto, sub finem anni 1196. rediiſſe in Germaniam. Primum enim contrariam sententiam ex nullo, arbitror, scriptore posse confirmari. Deinde res ipsa profecto maximi momenti fuit, quae potuerit Henricum movere, ut gradum sisteret, pedemque referret in Sueviam, atque adeo sua praesentia copiarumque suarum robore omnes eorum nefarios ausus ac consilia reprimeret, qui iam peropportune possent res novas, aut defectionem, moliri. Ad haec turbae in Italia magis magisque gliscebant, vitaeque Henrici undique, etiam ab iis, qui sanguine ipsi coniuncti erant, insidiae parabantur, e quibus se ipse expedire facilius vix potuit, quam cum Italiam aliquamdiu relinqueret, Germanorumque fidelium opem ac praesidium contra Italos protervos imploraret. conf. ARNOLDVS LVBECENS. in *Chronic. Slauor.* L. V. c. I. p. 704. et ROBERTVS ANTISSIODOR. ad a. 1197. Quod tandem maxime rem caussam que

ſamque continet, in Germania utique fuiſſe, neceſſe eſt Imperatorem, eoque ſe vel ſub finem A. 1196. vel certe ineunte ſtatim anno 1197. recepiſſe, quoniam ex ſcriptoribus, fide digniſſimis, manifeſto liquet, eum A. 1197. revertiſſe in Italiam. Hoc enim diſertis verbis commemorat SICARDVS, Epiſcopus, Scriptor Italicus, temporum iſtorum aequalis, in *Chronico Tom. VII. Rer. Ital. Anno Domini* MCXCVII, inquit *reverſus Imperator in Italiam, in Sicilia mortuus eſt, et ſepultus.* Atque haud ſcio, annon etiam ea, quae *Auctor Geſtor. Innocentii III. §. XX. p. 5*, et RICHARDVS de S. GERMANO in *Chron.* ad a. 1197. p. 962. tradunt, huc poſſint referri: quorum ille haec ſcribit: *Iterum venit Imperator in regnum, et tandem apud Meſſanam praeſente Imperatrice diem clauſit extremum;* ab hoc vero ita relatum legimus: *Ipſe ſe confert in Siciliam Imperator, vbi ad ſe duci Imperatricem iubet, - - - ſuperveniente aegritudine - - - diem clauſit extremum.* Cum his convenit quoque CRVSIVS, teſtis locupletiſſimus, in *Anal. Sueu.* P. II. p. 525: *Imp. Henricus (poſtquam Haſtiludio ſcilicet, de quo poſterius dicam, Noribergae interfuiſſet) rurſum in Italiam et Siciliam profectus fuit;* itemque p. 527: *Anno* 1198. *ſcribuntur a Rüxnero, Noribergae facti eſſe duodecimi ludi equeſtres, Germanicae nobilitatis: die Dominico poſt purificationis D. virginis, ibi congregatae: et ſequentes dies huic exercitationi oſtentationique impertitae. Sed cum Henricus Imp. qui eis interfuit, poſt vernum tempus in Italiam et Siciliam praecedente anno* (1197.)

(1197.) *sit profectus, nec inde redeat: debemus eos ludos ad* 1197. *annum (qui initio a Rüxnero quoque, in Germanico ipsius opere ponitur) referre.* Hac ratione, opinor, omnia inter se belle apteque cohaerent, nec quidquam nos impedit, quo minus itinerarium Henrici VI. inchoatum, ita continuemus:

Sub initium A. 1197, vel, quod verisimilius est, senescente A. 1196. scil. mense Decembr. Imperator Capua discedit, in Suevi-am profecturus.

A. 1197. sub finem mensis Ianuarii, vel sub initia Februarii, in ipsa Suevia versatur.

Non iam eos audiemus, qui fortasse, vix credibile esse, putent, Henricum, tam breui tempore, itineris tanti spatia confeciſſe: ex Historia enim discimus, Imperatores tunc temporis equo vehi solitos. Quidni etiam credamus, Henricum cum delecta quadam et expedita manu praecessisse, exercitu ipso, si quem secum habuerit, sarcinis graui, paullatim subsequi iusso? Id certe *Rüxnerus* commemorat, Imperatorem, Norimberga Donawertham reversum, hic copias suas, vel ex itinere collectas, vel demum conductas in Germania, offendisse.

Mense Februario ex Suevia transit in Franconiam, ac sigillatim Norimbergam venit, ibique die Dominica post Sacrum Candelarum in conventu Procerum idemtidem de rebus gravioribus, et ad Imperium pertinentibus, deliberat, sollemnesque instituit ludos equestres.

Certaminibus his feliciter peractis, Imperator, splendido Virorum Principum aliorumque Nobilium,

Digitized by Google

Nobilium, ac nominatim Patriciorum Norimbergenſium, comitatu ſtipatus, Donawertham ſe confert, indeque vel ſtatim, vel, quod magis eſt credibile, poſtquam aliquamdiu in Suevia commoratus eſt: quartum in Italiam iter auſpicatur.

Die XVIII. Iulii, et d. III. Auguſti; iam in Sicilia, deprehenditur, ibique, quod maxime veriſimile, et plerorumque opinio eſt, in Vigilia D. Michaelis, i. e. d. XXVIII. Septembr. eiusdem anni 1197. diem obit ſupremum.

Dipl. in *Mongitor.* Monum. S. Dom. Trinit. Panorm. cap. IV. in Theſaur. Ital. T. XIV: Datum Panormi XV. Kal. Aug. an. Do. Inc. MCXCVII, et in *Cruſii* Annal. Suev. P. II. p. 525. ſq. Actum an. Do. *Inc.* MCXCVII. Ind. XV. - - Datum in Sicilia inſula die III. Auguſti. De anno et die emortuali Henrici VI. Imp. quam variae ſint ſcriptorum narrationes, vid HAHN. *Reich-Hiſt.* P. IV. c. I. §. VII. p. 35.

Iam videmus, ea, de quibus ſupra quaerebamus, utique affirmari debere, Henricum nempe VI. cum ab A. 1195. ex Italia in Germaniam, non ſemel, ſed bis, rediiſſe; tum A. 1197. potuiſſe in Germania commodiſſime verſari: quamquam eodem ſimul anno in Sicilia e degerit, et oppetierit mortem. Quocirca ex his, opinor, quilibet lector, vel levidenſi rerum cognitione imbutus, ad cuius, tamquam iudicis, arbitrium etiam Müllerus totam hanc cauſſam devolvit, intelliget dilucide, Müllerum ſi viveret adhuc, magis debere errorum ſuorum puden

Digitized by Google

pudere, quam Rüxnerum: quod hic, si quid finxerit, docte tamen et verisimiliter finxisset; ille, dum pugnaverit cum Rüxnero, invita sane Minerva, aperte pugnasset cum ipso veritatis robore, et, Rüxnerum confutando, omnem rerum gestarum seriem ac coagmentationem dissolvere voluisset. *Sequutus sum in narrando fidem codicis Illustris Familiae Hallerianae MST.* qui in nonnullis a narratione Rüxneri abhorret. Contectus est laudatus Codex A. CIↃIↃXXVI, antequam Rüxneri Liber de Torneamentis in lucem prodiisset: ut adeo in opinionem mihi veniat, Rüxnerum, nisi aliunde argumentum de hoc ludo equestri Norimbergensi acceperit, ex hoc codice, immutatis nonnullis, mutuatum illud esse. Equidem in *Singular. Norimbergens.* p. 484. in not. xx.) sequentia lego: *Und da übrigens folgendes wegen vilerwehnten und von Rüxner anhero gesendten Turniers damals gefertigtes Gutachten noch anzutreffen ist; als hat man solches gleichmessig hier beysezen wollen: Weiland Georg Rüxner - - - hat meinen Herrn einen E. Rath dieser Stadt den 12. Turnier anlängst im Jahr 1526. verehret, welchen Kayser Heinrich VI. in dieser Stadt gehalten haben solt. Nun ist nicht ohne, dass im Jahr 1106. und 1349. wie wissentlich ist, nicht allein der alten Geschlechte, sondern auch gemeiner Stadt alte Monumenta verlohren gegangen. Doch habe von dannen der Sache nachgedacht, und* bey Georg Rüxner, Pfalzgräflichen Herold selbsten gefunden, dass ihme Ludwig von Veltheim, Herrn Levin von Veltheim Thum-Probst zu Hildesheim Vattern

Bruder, ernannten Nürnbergischen Turnier, in einem alten Buch vor langen Iahren im Studieren zu Erfurth mitgetheilt habe - -. Quae quam vere dicantur, quoniam ad rem ipsam non videntur ἀμέσως pertinere; iam non pluribus excutiam.

XVI.

DE INFVLIS ET LIPSANIS IMPERII

D. ERNESTVS CREGEL IVR. PVBL. P. P. O.

Altorfii 1659.

I.

Ex naturali geniturae, et subiectionis o[illegible] apparet, Iuniores Senioribus, filios [illegible]rentibus, Vxores Viris subiici debere *a*) in multitudine, in Civitate, in Populo, in [illegible]vinciis regendis, non ita facile est iudicare [illegible] temere alii aliis subiiciuntur, cum natura [illegible] videantur pares, eiusdemque materiae ter[illegible] homines *b*); inde signum quodpiam adesse [illegible]luit veneranda Antiquitas, quo constet, [illegible] aliis praesit, et cui obtemperare aequitas [illegible]stitia suadeat.

a) *Aristotel. lib. 1. Polit. c. 5.*

b) *pr. I. de Libertin. Nov. 89. c. 9. P[illegible] Andlo de Imperio Romano lib. 1. c. 1. vers. de[illegible] culpa etc. Quod bene advertit Theodosius Magnus [illegible] solitus, se aliis hominibus similem, in eo tantum [illegible]*

Digitized by Google

quod sibi coccinea toga incedere liceat, Aventin. lib. 2. Zeiler. cent. 1. Ep. 55. pr.

II. Etenim occultam quandam licet Maiestatem Regibus et Magistratibus a DEO-TER-Sancto inditam fuisse non inficias eam *a*); Attamen et Imperatores, et Reges, et Duces infimae sortis homines fuisse *b*), historiarum monumenta produnt.

a) *Ne in Exemplis Sauli Davidis et Salomonis recensendis sim prolixus, in vulgus notis, Africanum duntaxat Maiorem Scipionem adducam, cuius Maiestatem teste Valerio Maximo lib. 2. c. 10. Rex Antiochus lacessitus, venerari quam dolorem suum ulcisci maluit. Eiusque conspectum et congressum quasi coeleste aliquod beneficium complures praedonum Duces expetiverunt. Mirabile exemplum de Flavio Vespasiano refert Suetonius in vita Eiusdem cap. VII. Auctoritas, et quasi Maiestas quaedam, (inquit) adhuc novo Principi deerat: haec quoque accessit. E plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure, sedentem pro tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudinis, demonstratam a Serapide per quietem;* RESTITVTVRVM (scil. VESPASIANVM) OCVLOS, SI INSPVISSET: CONFIRMATVRVM CRVS, SI DIGNARETVR CALCE CONTINGERE. *Cum vix fides esset, rem ullo modo succesturam, pergit Gravissimus Autor, ideoque ne experiri quidem auderet, extremo hortantibus Amicis, palam pro concione utrumque tentavit, nec eventus defuit. An haec falsa sit imitatio miraculorum* CHRISTI, *ut vult ibidem Doctissimus Casaubonus, an vero divina Virtus intervenerit, ut Principi divinitus destinato quae eretur veneratio, non vacat disquirere. Adeat benevolus Lector, si lubet, Clarissimam Boeclerum Dissertat. in Flav. Vespasianam n. 4. Et ne longius exteros conquiram, instar omnium exemplo esse poterit multarum ferocissimarum Gentium non tam Domitor, quam Pacator*

CAROLVS MAGNVS: *de eo Immortalis Marquardus Freherus in Φιλοπονημ; de Statura* CAROLI MAGNI *graviter ita disserit: Hunc cum oris quadam eximia dignitate, et quam Euripides vocat εἰδως αξιον τυραννιδος, tum in primis non vulgari corporis statura, et proceritate fuisse, non magis vulgo creditum, quam etiam consensu a Scriptoribus traditum videmus: et cum omnia in eo magna fuerint, neque hoc ornamentum ei defuisse satis credibile videtur.*

b) Quales copiose citatos videre est apud Martin. Zeiler. cent. 1. Ep. 89.

III. Vt hinc necessarium fuerit addere quaedam signa, per quae Princeps electus vel constitutus cognosceretur, ne subditi impune eius detrectent Imperium. Eaque signa, INSIGNIA, it: INFVLAE appellantur.

IV. Originem sive Notationem nominis quod attinet (quae omnino excutienda siquidem hoc artis est, ex proprietate nominum vim et substantiam rerum proponere.) descendunt INSIGNIA a Praepositione IN., quae hic auget, significationem vocis, et a nomine SIGNVM, quasi dicas Excellentia signa, quibus quis ab aliis discernitur. Vnde Insignis appellatur, qui inter alios excellit. *a*)

a) Gl. in l. 2. in pr. verb. insignibus, ff. de bis qui not. infam.

V. Eaque duplicia sunt; Familiaria, sive Hereditaria; et Personalia: illa ad heredes transeunt non ut inani Nobilitatis ingeneratae nomine tumeant *a*); Sed patrias Virtutes gnaviter imitentur: Haec Personis munus gerentibus competunt *b*)

a) Cru-

a) *Cruſius in Annalib. Suevic. p. 3. lib. 2. c. 13. — Nam quae non fecimus ipſi, vix ea noſtra puto. Iung. Iuvenal. ſatyr. 8.*

b) *Speidel. in obſer. Iurid. - Polit. Hiſtor. verb.* Wapen offene Wapen. §. *deinde inſignia etc.*

VI. Inde *Conſularia Inſignia*, quibus Conſul ab aliis diſcernebatur *a*). Vocantur eadem, uti dictum, INFVLAE. *b*) Nihil autem INFVLAE *Imperiales ſeu Imperii c*) *aliud ſunt, quam Principis Inſignia, ſive Imperatoria dignitas d*).

a) *Gl. in d. l. 2. verb.* INSIGNIBVS. *ff. de his, qui not. infam.*

b) *l. 1. pr. C. ut omn. iud. tam Civ. quam militar. etc. iuncta l. 1. C. de Conſul. et non ſparg. ab his etc.*

c) *in l. ult. in fin. C. de quadrien. praeſcript.*

d) *Salmaſius in Trebell. Pollion. p. 288. A. B. tit. 26. ibi: Imperialibus infulis.*

VII. Et quamvis me non lateat INFVLAS fuiſſe Sacerdotum *a*); aliud tamen genus *Infularum* ἀρχοντικῶν aut iudicialis adminiſtrationis (iudicem vero appellabant Romani omnem Magiſtratum Vrbis, Italiae, aut Provinciae) doctioribus non eſt ignotum *b*).

a) *Sacerdotes Cereris*, ait *Cicero lib. 4. act. 2. in C. Verr. praeſto mihi cum Infulis, ac verbenis fuerunt. Quo habitu ſacra Sacerdotes faciebant. Paul. Manut. ibid. p. 250.*

b) *Iſaac. Caſaubon. in Spartian. p. 14. Facit, quod citatus Cicero in orat. 1. de L. Agrar: Infulas ad ornamenta Imperii transferat* ibi: *His Inſignibus atque Infulis Imperii venditis, quibus ornatam vobis Maiores Veſtri Remp. tradiderunt etc. p. in edit. Manut. 66. A. B. d. t. 26.*

Digitized by Google

VIII. Quo sensu *Infulas* sive *Insignia* Imperii recte dixeris *Signa* sive *Ornamenta*, quibus Regentes ab aliis dinoscuntur. *a*)

a) *Guid. Pancir. in Thesaur. variar. lection. l. 1. c. 9. pr.*

IX. Alias in genere accepta *Insignia* ita ut Familiaria vel Hereditaria quoque comprehendant, non perperam describit Celeberrimus DN. Limnaeus, *a*) *quod sint signa summi Principis auctoritate alicui concessa, aut propria voluntate assumpta, personam a persona, familias a familiis, Civitates a Civitatibus, Collegia a Collegiis variae distinguentia.*

a) *l. 6. de I. P. Imp. Roman. Germ. c. 6. n. 13.*

X. Verum *Hereditaria Insignia*, impraesentiarum copiosius persequi mei non est instituti, et eorum origo valde incerta est *a*). Adducor tamen ut credam, initia illorum ab Assyriis adeoque prima Monarchia peti posse.

a) *Iung. Phil. Cluv. l. 1. Antiquit. Germ. c. 16. f. 139. et c. 43. f. 347. Wolffgang. Lazius de Rep. Rom. l. 9. c. 14. Philipp. Camerar. cent. 3. horar. succisivar. c. 42. Boxhorn. in Theatr. Holland. c. 6. Ioh. Iac. Dra co. l. 3. de origin. et iur. Patricior. c. 7. n. 10. et seq. DN. Limnaeus d. l. 6. de I. P. Imp. Rom-Germ.*

XI. Persarum Regum *Insigne* in sigillo fuit Imago Rhodogunis Reginae impressa, dissectis capillis praedita: eius rationem refert e Polyaeno Petrus Gregorius Tholozanus *a*) quo *aliquando Rhodogune lavans crines abstersit et cum veniret quidam nuntians gentem ei su iecta*

Digitized by Google

lectam defeciſſe, illa non abſterſis capillis, ſed ita, ut erant, revinctis, equam aſcenderit, exercitum eduxerit, iurans, non ante ſe crines purgaturam, quam a defectoribus victoriam reportaſſet; quod nec fecit, donec victoria habita crines collegit.

a) lib. 6. de Rep. c. 16. n. 13.

XII. Perſarum Reges *Diadema* etiam invenisse affirmat *Guid. Pancirolus a)*. Diadema autem a διαδεῖν, i. e. circumligare dicitur, quia fascia *b)* fuit candida a fronte capiti circumligata, et in occipitio constricta nodo in humeros pendens.

a) d. l. 1. var. lect. c. 9.

b) Quae Cidaris dicebatur Perſis. Marquard. Freber. in Not. ad Petr. de Andlo p. m. 181.

XIII. Quin proprium fuisse Regum Perſarum nutrire comam ex dicterio Veſpaſiani constat, quo, ſuis temporibus apparentem raro impune cometam riſit, dicens, eum ad Perſarum Regem pertinere, cui capillus effuſior.

a) Sueton. in Veſpaſ. c. 23.

XIV. Graecorum Imperatorem *Inſignia* Imperialia fuere, *Diadema*, *Purpura*, *cocc. et calcei etc. a)* Et a Graecis pleraque ad Dignitatem Imperialem pertinentia Franci ſunt mutuati *b)*

a) Mart. Cruſius lib. 2. Annal. Suevic. p. 2. c. 7. verſ. Michael Graecorum Imperat. etc.

b) Marquard. Freber. in Not. ad Petr. de Andlo p. m. 182. ubi ſubiungit, pomum quoque aureum a Graecis Impp. geſtari ſolitum.

Digitized by Google

XV. Sed exterorum Regum omnium et noſtrorum quoque in Imperio Principum ac Comitum *Inſignia a*) excutere nimis longum foret, tanta enim eſt eorum pluralitas, ut compendiaria interpretatione non poſſint exhauriri. Propero igitur ad id, quod caput eſt huius *Disquiſitionis*, in ſpecie *Infulas Imperii Noſtri* examinaturus.

a) *Eorum non contemnendum numerum videre apud Iohannem Althuſium in Polit. c. 19. n. 100. Petr. Gregor. Tholozanum d. l. 6. de Republ. c. 15. Guid. Pancirol. lib. 1. variar. lect. c. 9. Martin. Cruſ. lib. XI. Annal. Suevic. p. 2. c. 14. §. habebant Reges Bohemiae etc. it. l. 3. p. 2. c. 8. §. Inſignia Ducatus Sueviae cum ſeq. it. l. 4. p. 2. c. 3. §. longo tempore poſt etc. it. l. 7. p. 2. c. 4. §. antiquis temporibus in fin. it. l. 4. p. 2. c. 1. §. Fridericus hic etc. in fin.*

XVI. Iam inde autem ab initio Vrbis Romae Romulus et poſt eum alii Reges *Infulis* quibusdam uſi ſunt, ut prae coeteris potuerint internoſci, et a reliquo Populo diſcerni.

Incedebant purpura et toga purpurea, dantes populo iura et exercentes iudicia, ſedebant in ſella curuli conſpicua: habebant circa ſe ſelectos iuvenes trecentos, eosque robuſtiſſimos ad cuſtodiam ſui corporis, qui eo, quod Regi quotidie praeſto eſſent, a celeritate officii, Celeres ſunt nuncupati. Praeter Celeres habebant duodecim alios miniſtros ſuccinctis veſtibus, quos lictores vocabant, qui Regibus curuli ſella vectis virgarum faſciculos praeferebant, *a*)

a) *Iohann. Roſin. lib. 7. antiquit. Roman. c. 3. Dionyſ. Halicarn. lib. 2. Plutarch. in vit. Rom. Iung. th. XXI. infr.*

XVII. De

XVII. De iis Titus Livius, *a*) agens, hunc in modum disserit; *Romulus rebus divinis rite perpetratis, vocataque ad Concilium multitudine, quae coalescere in populi unius corpus nulla re, praeterquam Legibus, poterat, iura dedit: quae ita sancta generi hominum agresti fore ratus, si se ipse venerabilem insignibus Imperii feciſſet, cum coetero habitu augustiorem tum maxime lictoribus duodecim ſumptis fecit.*

a) *lib. 1. c. 8. p. in edit. Gronovii 13.*

XVIII. Tarquinius Priſcus. V. Roman. Rex poſtea etiam togam pictam purpuream ſumpſit, et ſellam eburneam; geſtavit quoque Coronam auream, Sceptrumque eburneum, in ſummitate habens Aquilam, permiſſu Senatus Populique Romani; quae ornamenta poſteriores Reges retinuerunt.

Roſin. d. l. 7. antiquit. Roman. c. 3. ex. Dionys. Liv. Flor. aliisque.

XVIIII. In primis autem FASCES Magiſtratibus Romanorum fuere familiares, cum propter antiquitatem, *a*) tum excellentem eorum ſignificationem, et praegnantem rationem, quam Plutarchus *b*) ſuppeditat, *ne ſcilicet ira Magiſtratus ſit ſoluta, aut in proclivi*, nam ſolutio et colligatio *Faſcium* indicio fuerunt moram aliquam et cunctationem irae eſſe iniiciendam.

a) *vid. Petr. Gregor. Tholoz. lib. 7. de Republ. c. XI. n. 37.*

b) *in Problematib. problem. 82.*

XX. Vel potius *Faſces* (qui virgarum erant faſciculi, et in medio ſecuris latebat, cu-

ius apex in summicate earum eminebat) eam ob causam praeferebantur, ut virgis corrigerentur membra Reipublicae sanabilia, ferro autem et securi insanabilia, ne pars sincera traheretur, amputarentur, adeoque terrorem improbis iniicerent *a*)

a) *inde Silius Ital. in* 8.
Bis senos prima illa dedit praecedere Fasces
Et iunxit totidem tacito terrore secures.
Quo respexit Cicero, quando Fasces et secures, Imperii vim nominat. *lib.* 5. *act.* 2. *in Verr. p. m.* 263.

XXI. Fasces autem istos, qui praeferebant, expediti erant ad plectendos facinorosos, et *Lictores* vocabantur vel a *ligando*, quia ligare vincireque poterant; vel probabile est, prius *Lictores* eos dictos, quos Graeci Leiturgos nominant, quasi populi ministros, indeque C. litera interiecta Lictores extitisse *a*)

a) *Plutarch. in vit. Romul. p. m.* 11. *in fin. Quamvis Posterior derivatio dura quodammodo videatur. Cur autem duodecim fuerint Lictores docet Livius d. l.* 1. *c.* 8. *p.* 13.

XXII Eadem *Fascium* Insignia dein Consulibus et Pro-Consulibus communicata fuerunt, hoc tamen discrimine, ut Consules XII. *a*) Pro-Consules VI. incesserint. *b*)

a) *Gothofred. ad l.* 1. §. 5. *ff. de postul. lit. H.*
b) *Vlpian. in l.* 14. *ff. de offic. Pro-Cons.* ubi perperam Accursius sex Fasces interpretatur sex menses, cum Pro-Consulatus fuerit annuus, et in secundum quoque annum ac tertium prorogatus. *Calvin. in Lex. verb. Fascium nomine etc.* Pro-Consules autem sex habebant Fasces, ut meminerint, se non

Digitized by Google

non esse Consules. *Petr. Gregor. Tholoz. l. 6. de Rep. c. 20. n. 19. Dio Cassius lib. 53. Roman. Histor. §. omnes autem Pro-praetores etc. p. 310.*

XXIII. Praetores quoque in Vrbe binis Fascibus, binisque Lictoribus; in provinciis sex utebantur, *a*) quia Respublica non poterat sine metu ac severitate administrari *b*)

a) *Paul. Manut. ad Ciceron. orat. 2. de L. Agrar. p. 94. et 95. b) Cicer. lib. 5. action. 2. in Verr. p. m. 260. adde Tholozan. d. l. 6. c. 20. n. 19.*

XXIV. Sed et Octavianum Caesarem Consulem creatum cum Collega Agrippa Fasces, Imperii signum, divisisse, ita ut dimidia ipse parte uteretur, Dio Cassius *a*); et ad Successores officiorum more poscente, transiisse Lictores, Ammian. Marcellinus *b*) docent.

a) *lib. 53. in pr.*
b) *lib. 15. Histor. p. 36.*

XXV. Vbi non dissimulandum, quamvis Consulibus, Praetoribus Proconsulibus Praefectisque Praetorio Fasces concessi fuerint, ipsos tamen Augustos seorsim proprios deauratos, laureatosque usurpasse. *Virgas laureatas* Herodianus *a*) eos ni fallor, dicit. *Quo insigni Principes a Privatis dignoscuntur.*

a) *Gordiani inaugurationem tractans. Wolff. Lazius de Rep. Rom. l. 9. c. 2. Sic Iul. Capitolinus in histor. Maximini, cum de Gordiani inauguratione in Africa loquitur:* Inde Carthaginem, inquit, cum pompa regali venit et Protectoribus et Fascibus laureatis. *Huc alludit Corn. Tacitus lib. XIII. Annal. Nero, quo componeret diversos, sic evulgari iussit: ob res a Quadrato, et Corbulone prospere gestas laurum Fascibus Imperatoriis addi. Ad quem locum Lipsius p. 143.*

Prin-

Digitized by Google

Principes secuti morem Augusti *tenuerunt, et* 12. *Fascibus usi sunt, ita ut laurum tamen Fascibus non adderent, ni in victoria. At statim per adulationem irrupit, ut omnium Principum Fasces, et semper laureati forent, eaque nota maxima distinctus a vulgo Princeps. Paulatim non solum laureati admissi Fasces, sed et aurati. Patet id ex Claudiano de VI. Honorii Consulatu vers.* 644. *et seq.*

- - - agnoscunt Rostra Curules
Auditas quondam Pro-Avis, desueraque cingit
Regius auratis fora Fascibus Vlpia lictor.

XXVI. Iidem Romani Imperatores, *Ignem* pro insigni Imperatorio usurparunt in sartagine ferculo suprapositā, *a*) qui mos a Persis derivatus videtur: Ignem enim quemadmodum divinis honoribus honorare, et adorare inextinctumque conservare; sic Regi suo, quem ut DEVM adorabant, Persae praeferre consueverunt. Quamvis eandem consuetudinem apud Assyrios serpsisse non improbabiliter colligatur ex Libr. Iudith. c. 3. vers. 8. ubi legitur, quod Principes simul cum populo Iudaico Holoferni Nabuchdonosoris Regis Duci obviam iverint, cum coronis et lampadibus excipientes.

a) *Herodianus lib.* 1, *Hist. Aug. Nam et sella Commodus Imperatoria sessitare in theatro, et ignem de more praeferri patiebatur.*

Idem de Pertinace lib. 2. *Igitur postquam illuxit, in Curiam se contulit, neque Ignem sibi praeferri, neque ulla Principatus Insignia attolli passus etc. Wolffg. Lazius lib.* 9. *d. Rep. Rom. c.* 2. *p.* 754.

XXVII. Plura alia antiquis Romanorum Imperatoribus usitata, *Insignia* in medium afferre possem, attamen brevitatis causa sigilla-

Digitized by Google

tim ea a me hic non excutiuntur. Nunc illa adducam, quae hodie in *Imperio* usurpantur. *a*)

a) *Adeantur Interpretes, praeprimis Lazius. l. 9. c. 2. de Rep. Purpuram ad Insignia conferens. Quod genus vestitus Imperatorum proprium esse, comprobat Lampridius in Historia Caesaris. Ioh. Conrad. Dieterich, in Antiquitatib. Romae veteris-novae p. 180. et multi adhuc alii.*

XXVIII. Constat autem excellens Nostri Imperii *Insigne* esse *Aquilam*, quam sibi Imperatores propriam fecerunt, idcirco quod avium Regina et dominatrix habeatur. Primus, qui inter Romanos sibi Aquilam sumpsit, fertur fortissimus Ducum Marius, quem Duces alii secuti, illam Legationibus Romanis dicarunt propriam, *a*) Lupoque Minotauro, apro, equo, draconibus, quae singulos ordines anteibant, repulsis, tandem Aquilam retinuerunt *b*).

a) *DN. Limnae. l. 1. c. 14. n. 25. it. in Additionib. ad lib. 6. c. 6. n. 28. ubi praeclara quaedam de inventoribus Aquilae traduntur.*

b) *Dio Cassius, l. 49. Rom. Hist.*

XXVIIII. Quando autem, et quare biceps facta fuerit, adhuc sub iudice lis est. Existimant nonnulli cum Constantinus novam Romam condidisset, et divisum in Orientale ac Occidentale Imperium reddidisset, inde *bicipitis Aquilae Insignia* nata esse. *Lipf. in Annal. ad milit. Rom. add. Petr. Gregor. Tholozan. d. Rep. l. 6. c. 13. n. 18.*

XXX. Alii ex Variana clade Insigne illud deducunt, quia Germani victo Varo Romanorum Duce, Aquilas duas reportarunt.

Alii

Alii ad Carolum M. cum Nicephoro Graecorum Imperatori Orientis; Carolo autem Occidentis imperium cederet: alii ad Carolum V. alii ad alium id referunt *Iosias Nolden d. stat. nobil. d. c. 20. n. 77. et seqq. Limn. in Additionibus d. l. 6. c. 6. n. 28.*

XXXI. Mihi prior opinio prae caeteris arridet, et si penitiores cogitationum recessus sint explicandi statuerim *a)* *bicipitem Aquilam* duplex denotare *Regimen*, *Seculare et Ecclesiasticum* Imperatori divinitus demandatum: unicum enim *Aquilae* corpus, quemadmodum binis exornatur capitibus: ita Imperator unus duplici fruitur Regimine, duplicique Imperio. Vnum caput Ecclesiasticum. Imperium alterum Seculare depingit; unum Ecclesiae caput Episcopum et Pontificem; alterum Imperii caput, Regem et Caesarem designat.

a) cum DN. Carpz. in Dedic. Iurisp. Ecclesiast.

XXXII. An vero una, an duae simul iunctae sint *Aquilae*, dissonans est Autorum propositio, qui in diversas abeunt sententias. Duas *Aquilas* nigras concorporatas expansis ad invicem alis dorsa simul iungere, illisque se invicem obtegere, nonnulli statuunt. *a)* Vt vero huius assertionis patrocinium quaerant, monstrosum asserunt esse, unum corpus duobus affixum capitibus; imo naturam ipsam repugnare.

a) Lipsius in analectis ad milit. Rom. p. mihi 278. Norderm. in dissert. de iure Princip. concl. 14. Molin. ad consuet. Paris. tit. 1. in prin. n. 21. Iung. Tusch. pract. concl. sub. lit. C. concl. 77. Noldenium de Nobil. c. 21. n. 78.

XXXII.

Digitized by Google

XXXIII. Econtrario Viri eruditione praecellentes *a*) non duas, sed unam tantum, eamque bicipitem agnoscunt pro *Insignibus* Nostri Imperii *Aquilam*. Et hanc opinionem non solum ipse aspectus, qui potius *bicipitem* unam, quam concorporatas duas *Aquilas* oculis subiicit, sed etiam uno Procerum ore eadem in Imperii Recessibus videtur recepta *b*)

a) *Freher. ad Petr. de Andlo de Rom. Imp. lib. 2. c. 14. p. m. 213. DN. Limn. d. l.*

b) Neue Müntzordnung *Ferdinandi Primi. de Anno.* 1559. §. wie aber vorgestelte sorten ꝛc. *ibi*: Unser, und deß Reichs Keyserlicher Adler mit zweyen Köpfen. etc.

XXXIV. Neque infringit hanc sententiam dubitantium assertio, quasi monstrosum sit uni corpori duo iungere capita. Etenim non tam corpus naturale hic spectandum, quam mysticum, in quo naturae limites egredi non nefas est. Sic in Aristo eratia plura unius corporis dantur capita, Imperium quoque si respicias nostrum, eius ut maxime Imperator caput sit; *a*) eo tamen casu, quo Rex Romanorum Imperatori adiungitur, manifesto duo Imperii capita incedunt. *b*)

a) R. A. zu Augspurg de Anno 1530. §. dergleichen wir. R. A. zu Augspurg de Anno 1566. §. demnach im 64 Jahr.

b) Abschied deß deputation tages zu Worms de 1564. §. so unterstunden sich etc.

XXXV. Succedit novum in Imperio non inusitatum *Insigne* SCEPTRVM scilicet, quod vetustissimum esse *a*) in propatulo est. Regibus enim

enim ipsos Deos id in manus dare Ethnici credebant *b*)

a) *Marq. Freber. ad Petr. Andlo. lib.* a. *c.* 8.

b) *Teste Homero*.

Εἷς βασιλεὺς, ᾧ ἔδωκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω
Σκῆπτρόν τ' ἠδὲ θέμιστας, ἵνα σφίσιν βασιλεύῃ.

Vnus Rex, cui dederit filius Saturni versuti *Sceptrumque* et iura, ut ipsis regnet. *Homer. lib.* 2. *Iliad. Idem lib.* 5. *Iliad.* σκηπτοῦχος βασιλεὺς ὥτε ζεὺς κῦδος ἔδωκεν i. e, Sceptriger Rex, cui Iupiter honorem dedit.

XXXVI. Antiquiores *hastam* loco *Sceptri* habuere. *a*) Notat autem Suidas *Sceptrum* fuisse Virgam ligneam, qua denotatum fuit, Reges Populorum Pastores esse. *b*)

a) *Dn. Limn. l.* 2. *c.* 4. *n.* 22. *et seqq. ex Tolozan. l.* 6. *d. Republ. c.* 20. *n.* 20. *b*) *citante G. Pancirolo l.* 1. *variar lection c.* 9.

XXXVII. Vnde a REGE Davide *Sceptrum* virga Regni, et contra Virga Regni recte *Sceptrum* promiscue vocatur. Virgam autem istam ex querno trunco, ad denotandam Imperii firmitatem elaboratam fuisse, et a Magistratibus ad significandam Imperii potestatem gestari solitam, a fide dignis autoribus didici. *b*)

a) *Psalm.* 45. *vers.* 7. *b*) *Quo respexisse videtur DN. Iohannes Augustinus Pastorius, Historicus Caesareus in Poesi Dedicatoria ad Effigiem Moderni Imperatoris LEOPOLDI A. P. F.*

Scepi-

Digitized by Google

Sceptra manu gestans Lauri atque virentis olivae,
Ceu Leo confringet, qui fera bella cient.

XXXVIII. Facit, quod Ter sanctus Deus cum populo suo Mosen Principem constitueret et Ducem, *Virgam* seu baculum signorum et prodigiorum pro *Sceptro* et potestatis symbolo ei dederit. *a*)

a) *Exod. c. 4. vers. 17. quo spectant elegantes Viterbiensis versus p. 19. Chronic.*

In manibus REGVM dum *Regia Sceptra* tenentur;
Tunc quasi per VIRGAM compescere cuncta videntur,
Poenaque praestatur, quae ratione datur.

XXXIX. Et hoc *Sceptrum*, ante faciem Imperatoris Imperialibus Insulis ornati gerit Serenissimus Elector Brandeburgicus etc. *a*) aut Eo absente quondam Sub-Camerarius de Falckenstein *b*) hodie illustrissimus Comes de Hohenzollern, tanquam Hereditarius Imperii Camerarius. *c*)

a) *A. B. t. 22. b*) *A. B. t. 28. §. sicut autem c*) *Conf. DN. Iohan. Augustinus Pastor. in Act. publ. p. 51. et 54.*

XL. Offert sese alia Imperialis Insula, GLOBVS scilicet, ab omni fere Antiquitate signum universalis Imperii. Germani Imperatores rursus eum a Graecis accepisse videntur *a*) quem *pomum pellamque* vocarunt. *b*)

a) *Lips. de Cruc. lib. 3. c. 5. Marq. Freher. ad Petr. de Andlo lib. 2. c. 6.*

b) *De eodem Godefr. Viterbiensis:*

Digitized by Google

Aureus ille *Globus* pomum vel palla vocatur. Vnde figuratum mundum gestare putatur.

Quando coronatur, palla ferenda datur.
Haec fuit ex terris mundi collecta quaternis,
Vt foret Imperii manibus gestanda supremis
Hac tulit Imperium Iulius arte suum, etc.

XLI. *Globo* isto, seu *Pomo aureo* Mundi, Dominium Imperatori Antiquitas tribuit, plane ex mente Antonini, qui se Mundi Dominum dixit. *a*) Id quod tamen cum mica salis et per Synecdochen est accipiendum, ita ut Imperator partem tantum mundi sibi concreditam libere guberner. *b*).

a) *l. 9. ff. de L. Rhod. de iact.*

b) *Addatur Petr. Gilken. ad l. 16. C. de Transact. n. 17.*

XLII. Crux eidem *globo*, sive *pomo* est imposita, quae Imperatorem de Pace admoneat, ut paci omni industria, omnibusque conatibus studeat, quemadmodum Pacificus CHRISTVS SERVATOR Cruce toti Mundo aeternam Pacem conciliavit. *a*) *Pomi* huius lator hodie Serenissimus est Elector Bavarus etc. et in Eius absentia Illustrissimus Comes de zeil et Waldburg, Hereditarius Imperii Dapifer. *b*)

a) *DN. Limn. in Annotament. ad artic. 30. Capitul. Caroli V. verbo* empfahen. *n. 57. Georg. Theodor. Dietrichs in Not. ad tit. 26. A. B.*

b) *Instrum. Pacis Caesareo-Suecicum art. 4. §. et primo quidem quod attinet. Iohann. Augustin. Pastorius in Actis publicis. p. 51. et 53. Georg. Theodor. Dietrichs ad tit. 28. A. B. §. sicut autem.*

XLIII. Par-

XLIII. Porro aeque nobile *Insigne* Imperii est GLADIVS atque vetustum, uti ex TRAIANI constat dicto: *Hoc pro me utere, si iuste imperavero; sin minus, contra me.* Praefectus Praetorio olim Imperatoribus gladium praeferebat *a*), hodie Sereniſſimus Elector Saxoniae etc. *b*), aut eo abſente, Illuſtriſſimus Comes a Pappenheim, Hereditarius Imperii Marſchallus.

a) *Marq. Freher. ad Petr. de Andlo c. 6. p. m.* 180.

b) *A. B. tit. 22. In Coronatione Wilhelmi Imp. Enſifer Saxo dixiſſe legitur: Accipe enſem regum, ut rebelles ſevera correptione potenter affligas, quinesque benevolus in tranquilla pace gubernes. Freher. ad Petr. de Andlo c. 8. p.* 195.

XLIV. Teſſera autem eſt GLADIVS ſupremae Poteſtatis *a*) et belli ac Iuſtitiae *b*)

a) *Philipp. Camerar. cent. 1. horar. ſucciſ. c.* 76. *Rom. XIII. vers.* 4.

b) *Hinc Viterbienſis d. p.* 19. *Chronic.*

Iudicii ſignum *Gladius* monſtrare videtur,
Quo malefactorum feritas ceſſare iubetur.
Praecipitur *Gladius* vibratus ſemper haberi,
Puniat ut ſubito, poſſit quod culpa mereri.

XLV. Sequitur CORONA pervetuſtum Regiae Maieſtatis ſignum, ex qua interitum Regni praeſagiorum obſervatores collegerunt. Polydorus enim Verg: *a*) refert Henrico Secundo Anglorum Regi paulo antequam ab Eduardo Eboracenſi Regno deiectus eſſet, cum in Senatu ornatus Regio habitu conſediſſet ſubito e capite Coronam in terram decidiſſe.

a) *lib. 23. Hiſtor.*

XLVI. Varius quemadmodum Coronarum fuit usus: ita earundem varia fuerunt genera, bene multa ab Elegantissimo Poeta Claudiano comprehensa, in laude Serenae Vxoris Stilichonis, vers. 181. et seqq.

Saepe Duces meritis bello tribuere Coronas,
Hunc cingit muralis honos, hunc Civica quercus
Nexuit: hunc domitis ambit rostrata carinis,
Solus militiae mira mercede iugalem
Promeruit Stilico socero referente Coronam.

XLVII. Muralis corona a muro nomen accepit, et pinnarum muri figuram repraesentavit, eaque iis donabatur, qui primi in oppugnatione murum ascendissent. *a*) Pinnifera alias dicta, quasi muri pinnis decora sit, ad quam rem alludens Silius Italicus lib 13. sic canit:

Gradivi cape Victor honorem
Tempora muralis cinctus turrita Corona.

a) *Gell. lib. 5. Noct. Attic. c. 6.*

XLVIII. Quercea Corona, (quae etiam Civica nominabatur, quia ob Civem servatum donata fuit) ex foliis quercus nectebatur, propterea quod ea antiquissimus cibus fuerit, et Iovi sacra arbos, sub cuius tutela, ex phantasia Ethnicorum, Civitates olim fuere.

XLIX. Rostrata, hoc est navium rostris insignita, Victoribus in mari dabatur, de qua Plinius *a*): Hanc Coronam dedit Augustus Agrippae, unde intelligitur locus Virgilii lib. 8. Aeneid.

Paru

Parte alia ventis, et Diis Agrippa secundis
Arduus, agmen agens, cui belli insigne superbum
Tempora navali fulgent rostrata Corona.

a) *lib.* 16, *c.* 4.

L. Sed omnes Veterum Coronas explicare non huius est loci: Praedictas autem enuncleare lubuit ob versus Claudiani allegatos. De Sacerdotali, Stellifera, Triumphali, Gymnica, Vallari, Deditoria, Myrtea, instar omnium videri potest *Wolff. Lazius lib.* 9. *de Rep. Rom. c.* 18. *Adde Gell. lib.* 5. *A. N. c.* 6.

LI. Propero ad Imperialem *Coronam* Haec qualis fuerit, ex nomismatibus *Aureliani*, *Probi*, *Diocletiani*, *Decii* et *Constantini* repraesentatur; qui omnes *Coronis* cum apicibus triangularibus acuminatis coronati fuerunt, *referente Lazio d. l.* 9. *c.* 18.

LII. Gemmiferam gessisse Imperatores ac Reges verosimile fit ex Herodiano lib. 5. ubi Heliogabali luxum Asiaticum describit hisce verbis: *Vestitum usurpans luxuriosum* purpura intextum atque auro, coronas item sustinens ad Tiarae modum auro lapillisque pretiosis insignitas.

LIII. Sed propius Coronam Nostri Imperii accedam: ea triplex est, Lombardica, Romana, et Germanica. *a*)

a) *Celeberrimus et de Iure Publ: optime meritus Limnaeus l.* 2. *c.* 4. *n.* 539. *et seqq.*

Digitized by Google

LIV. Lombardica a Lombardia Provincia Italiae fortissima amoenissimaque dicta, Modetiae olim in Basilica S. Iohannis; quandoque Mediolani in Ecclesia S. Ambrosii, nonnunquam Alexandriae; postea Pontificis consensu Romae peragebatur.

LV. Ferrea haec dicitur Corona, indicans, firmitatem Romano Imperio Exercitu militari et ferro esse quaerendam, vel potius, quia Romanum Imperium per ferrum a Propheta Daniele fuit praefiguratum. An autem ista Corona tota sit ferrea, an pro parte, dubitatur? Posterius veritati magis consentaneum videtur, scilicet eam auream esse, ferream vero vocari, quod vel ferream quandam laminam habuerit in summitate, vel circulo ferreo interiore fuerit intexta. a)

a) vid. *DN. Limn. in l. 2. c. 4. n. 48. et ibid. in Annotat. n. 51.*

LVI. Succedit Romana, quae Tiarae instar, et aurea est, splendens bicipiti fastigio, multisque adamantibus. Nominatur Romana; eoquod Romae ad altare in Ecclesia S. Petri imponebatur, quanquam postea alibi locorum ritus iste fuit celebratus.

LVII. Circa hanc emergit Quaestio: An Coronatio Romana sit necessaria? Negativa ad veritatem quam proxime accedit ex notabili Constitutione Ludovici IV. Imperatoris, lata in Comitiis Colonienſibus Anno. 1339. quam *Immortalis Goldastus tom. prim. Constit. Imp. p. 336.* et

at tom. 3. *p.* 409. ita recitat: de consilio et consensu Electorum, et aliorum Imperii Principum declaramus, quod Imperialis dignitas et potestas est immediate a solo DEO: et quod de iure et Imperii consuetudine antiquitus approbata, postquam aliquis eligitur in Imperatorem, sive Regem, ab Electoribus Imperii concorditer, vel maiori parte eorundem, statim ex sola electione est Rex novus, et Imperator Romanorum censendus, et nominandus, et eidem ab omnibus Imperio subiectis obediri et administrandi iura Imperii et coetera faciendi, quae ad Imperatorem verum pertinent, plenariam habet potestatem, nec Papae, sive sedis Apostolicae aut alicuius alterius approbatione, confirmatione, autoritate indiget, vel consensu. De stramineis autem Adversariorum fundamentis in conflictu dispiciam.

LVIII. Accedo iam ad Germanicam; quae ex puro puto auro fabricata, ita tamen, ut in ea Veterum laudabilis parsimonia et parcitas existat *a*); Eam Imperatores Romani, Regum Romanorum et Imperatorum honores, praecedente vero legitima Electione, ambientes Aquisgrani accipiebant. Quae etiamnum usitatissima; magis tamen ad solennitatem extrinsecam, quam necessitatem essentialem pertinet, electio ita ut per eam et commissio Imperii quasi renovetur ad autoritatem Electo stabiliendam, et personam eius omnibus et singulis notam faciendam.

a) *Hartm. Maur. de Coronat. Divi Caroli. V. ap. Goldast. in Polit. Imperial. p.* 3. *disc.* 3. *p.* 271. *Cui*

praeter testes oculares, qualis est Hieronym. Babus. de Coronat. c. 21. ap. Goldast. d. p. disc. 2. p. 260. subscribunt Marq. Freber. in not. ad Petr. de Andlo. l. 2. de Roman. Imp. c. 6. citante Limn. l. 6. c. 4. n. 37.

LIX. Germanicae huius Coronae ambitum mitra Episcopalis cingit, eaque bicorni cacumine exsurgit, ad partem anticam sive faciem crucem habens, quinque bene magnis adamantibus distinctam, quam infinita unionum sive margaritarum series, ad crucis formam, se extendens absolvit. In parte postica, seu occipitio duae appendiculae sunt, auro tortili phrygiatae, quae fimbriolis aureis terminantur. Integra vero aurea est, ac per circuitum pretiosissimarum gemmarum, ditissimaque rubinorum copia, smaragdorum, adamantum, unionum dispuncta, gratiosissimam, splendidissimamque lucem ex se diffundentium. Habet quoque semicirculum aureum, medium hiatum mitrae dispescentem, sursum instar ansae repandum, et utrinque in se reflexum, qui auream in apice crucem tenet.

LX. Coronam Istam Electoratu impraesentiarum octavo instituto Sereniſſimus Elector Palatinus, ut Archi-Thesaurarius praefert, et praeterea aurum missiliaque in populum spargit. Subofficialis eius est Illustrissimus Comes a Sinzendorff.

LXI. Quaestio hic anceps saepius agitata: si quis ELECTORVM absens sit, an ad eius Legatum, an vero ad Subofficiales officii admini-

stratio

stratio spectet? Pro Subofficialibus Aurea Bulla *a*), et quotidiana observantia militat, in tantum, ut Caesareae Maiestatis Ministri eiusdem muneris, ab Electorum Vicariis excludantur *b*).

a) *tit. 28. §. sicut autem hactenus etc.*

b) *Martinus Rumelinus ad A. B. p. 3. Differt. 5. §. 25. ibique complures citati. DN. Limn. lib. 3. c. 7. d. I. P. n. 74. Dieterichs. ad A. B. t. 28. d. §. sicut autem etc.*

LXII. Superfunt alia Imperii Insignia, ut: TVNICA ALBA, germanice, Die Alben, ex albo serico facta: item DALMATICA Vestis Caroli Magni, quae violacei coloris est, et margaritis distincta; Cuius fimbriae ex auro tortili cum subtegmine flavo serico phrygiatae, et manicarum limbi unionibus auroque coruscant.

LXIII. Hisce accedit CAPPA CHORALIS, et Mantellum, sive Paludamentum Caesareum; isti ex opere phrygio intextae sunt Aquilae aureae, hoc duas grandes Aquilas intertextas ex nigro serico habet. Oras illius bene lata fimbria gemmario opere texta ambit, in paludamento, smaragdi, adamantes, saphyri, chrysoliti etc. grandiores conspiciuntur: Praeterea in posteriori eius parte, inter scapulas a cervice usque ad balteum, capitium est dependulum, in quo rutilantissimi lapides positi reperiuntur.

LXIV. Cappam Choralem comitatur STOLA AVREA, ex auro tortili, ac flavo filo

serico phrygiata, in cuius extremitatibus cruces ex meris margaritis formatae spectantur.

LXV. Huc quoque referri debent CHIROTHECAE, unionibus ornatae, puroque auro textae; et SANDALIA, calcei seu loccusi duo aurei, villoso cocco rubentes: Item TIBIALIA ac OCREAE Caroli M. Magni [illegible] Caesaris, quas brussechinas vocant, paululum supra genua ascendentes *a*)

a) *Iunge DN. Philipp. Knipschildt. Tract. Pol. Histor. Iuridic. de Iurib. et privil. Civit. Imperial. lib. c. 38. n. 53.*

LXVI. Tandem nec GLADIVS [illegible] Caroli M. putatur, quemque Aquisgranenses custodiunt, ex memoria deponendus est, [illegible] Legati Vrbis Aquensis ad Coronationis [illegible] afferunt, de quo, ut et aliis Clinodiis [illegible] Aquisgranenses depositis, apud *Martin. Z[illegible]rum in Continuat. Itinerar. German. c. 21. p. [illegible]*

LXVII. Ordo nunc iubet, ut ad L[illegible]SANA descendam. Ante vero, quam id [illegible] praemitto Quaestionem: An Imperator [illegible]perii Insignia aliis possit concedere? Affir[illegible]vae subscribo, quamvis DN. Limnaeus *a*) [illegible]sentiat.

a) *lib. 6. de I. P. c. 6. n. 28.*

LXVIII. Sed ad Lipsana revertor, [illegible] in tanto honore apud omnes Imperii pro[illegible] fuerunt, ut nemo vel ad Croesi, vel ad [illegible]gazas ea comparaverit. Et tantum in illis [illegible]sidii Imperatores posuerunt, ut sine eorum [illegible]

sessio[illegible]

ſeſſione Regis Romanorum nec nomen nec Numen penes ſe eſſe exiſtimarint. Hinc Conradus primus moribundus Fratri ſuo Eberhardo iniunxit, ut quamprimum animam exſpiraſſet, Inſignia Imperii, et in his Lanceam Domini Heinrico Aucupi traderet, eumque Regem ſalutaret. Emptis, inquit Conradus, his Inſigniis lanceae, armillis aureis cum chlamyde, Lancea, ceterorum Regum gladio ac Diademate ito ad Henricum, facito pacem cum eo, ut eum ligeratum poſſis habere in perpetuum. *Witichindus. lib.* 1. *Cuſpinianus in vita Heinrici Aucupis pr. p.* 235. Cum Heinricus V. hoc Sceptro iam indepto, Regnum Romanum cum poteſtate obtineret, prima ei cura fuit, ut Auguſtalis dignitatis propria ornamenta, Clinodia, et Reliquias in ſuam redigeret poteſtatem, et ubi ad extrema coepit propinquare, vocatis qui ſecum erant, i. e. Regina fide Coniuge ſua, coeterisque Primatibus, prout potuit, de Regni ſtatu Conſilium habuit, Coronam coeteraque Regalia usque ad adventum Principum conſervanda in Caſtello munitiſſimo Hamerſtein reponi diſpoſuit. *Abbas Urſperg. in Chronic. ad A. C.* 1126. *p.* 284. *Cuſpinian. in vit. Henric. V. p.* 311.

LXIX. LIPSANA dicuntur quaſi ΛΕΙΨΑΝΑ, i. e. RELIQVIAE ἀπὸ τῦ Λείπειν relinquere, quia a Carolo M. poſteris Imperatoribus, et usque ad hoc noſtrum ſeculum Imperatori LEOPOLDO I. AVGVSTO, FELICI etc. fuerunt relicta. Inter ea recenſet Martinus

Martinus V. Papa *a*) partem vivificae Crucis, in qua Salvator noster IESVS CHRISTVS pro generis humani salute pendere voluit, Lanceam, qua latus Eius miles aperuit; Clavum, quo manus Ipsius eidem cruci affixa, Particulam praesepis, in quo SALVATOR positus fuit, Brachium S. Annae, particulas quasdam exenarum Sanctorum Petri et Pauli, Apostolorum, Tunicam S. Iohannis Evangelistae, Dentem Iohannis Baptistae etc.

a) *in Bulla inclutae Nostrae Reipublicae NORIBERGENSI conceſſa, in qua irrefragabiliter ſtatuit, ut RELIQVIAE et INSIGNIA in eadem Republica Civitate perpetuo venerabiliter conſerventur. Addatur Goldaſtus in* Politiſchen Reichshändeln *part. 6. & 4. p. 204. ubi ſyllabum Clmodiorum Imperii cernere licet et Limn. in additionib. ad l. 1. c. 14. n. 33.*

LXX. Dico a Carolo M. relicta fuisse; constans enim est opinio, Carolum M. cum recuperata terra Sancta Constantinopolin transiret, aurum, argentum, gemmasque pretiosas ab Orientis Imperatore sibi exhibitas respuisse, solasque Dominicae Passionis ac Sanctorum RELIQVIAS postulasse, ac praemisso ieiunio et oratione, partem de Corona Domini, clavum unum Dominicae Passionis, partemque Crucis Dominicae, Sudarium Domini, Camisiam Beatae Mariae Virginis, Fasciam, quae Infantum IESVM in cunabilis texit, et Brachium Sancti Senis Simeonis sumpsisse.

LXXI. Valde autem verosimile est, [illegible] quiores Carolini Sanguinis Imperatores gnaviter Carol

Digitized by Google

Caroli M. vestigia calcasse, et si quid pretiosi adepti sunt, tam RELIQVIIS, quam INSIGNIBVS Caroli M. coniunxisse.

LXXII. Id quod de Saxoniae Ducibus, devoluto ad Eos Imperio, minus dubietatis habet: nam Heinricus Primus audiens Rudolphum Regem Burgundionum dono accepisse a Comite quodam Italiae, Samsone nomine, Lanceam arte nova et figura elaboratam, quae iuxta mediam spinam utrobique quasi fenestram haberet, et in media spina cruces ex clavis manibus et pedibus SERVATORIS NOSTRI affixis, (quae fuisse Constantin. M. dicebatur) praemiis Rudolphum tentavit, ut sibi illam dono daret. At Rudolphus Rex abnuebat, cui ferrum et arma minabatur Caesar, hinc tandem emollitus Rex Caesari Lanceam donabat *a*).

a) *Ott. Frising. lib. 4. Chronic. c. 18. Limnaeus in Annotam. ad l. 1. c. 14. n. 33. p. 175.*

LXXIII. Successu dein temporis ad Successores Imperii LIPSANA sunt translata, et quidem Ottoni IV. ab Heinrico de Scharphinberg Spirensi Episcopo data: Audiamus Abbatem Vrspergensem *a*). Haec ille: Heinricus vero de Scharphinberg Spirensis Episcopus, qui fuerat Protonotarius in Curia Philippi (scilicet Barbarossae filii, cuius in Imperio obtinendo Antagonista fuit Otto IV.) in potestate habebat Coronam et Crucem et Insignia Regalia, quae nec restituere voluit, nisi fieret Cancellarius Imperialis Aulae, quod et factum est, perdura-

duravitque in eo officio usque ad finem vitae suae.

a) *in Chronic. ad. A. C. 209. p. 226.*

LXXIV. Ottone IV. rebus humanis exempto Regalia et Cimelia ad Fridericum II. pervenerunt ab Heinrico Brunsuicensi minis Honorii III. Pontificis extorta *a*).

a) *Abraham. Bzovius Baronii Continuator ad annum Domini 1219. ex Regesto Epistol. Honorii. III. Erdmann. de sacris Reliqv. imper. c. 3.*

LXXV. Sed et sub aliorum Imperatorum potestate, inque eorum gazophylaciis LIPSANA ista sedem habuerunt. Ludovico enim Bavaro fatis concedente Ludovicus filius Marchio Brandeburgicus Imperialia INSIGNIA cum adiunctis Lipsanis detinuit, quem difficulter Electores perpulerunt, ut ea electo Imperatori Carolo IV. traderet, quia hereditario quodam iure illa ad se pertinere arbitrabatur.

LXXVI. Quae omnia clare et perspicue reliquit Cuspinianus *a*): Rex Carolus et Ludovicus Marchio, tandem post multas maximasque lites, nam et in Germania et Bohemia multae erant discordiae, Norimbergae conveniunt, ad Concordiam firmam fixamque ineundam. Habeo Autores, qui scribunt, eos convenisse in Isenaco, et in Coenobio Praedicatorum, solos, horis plusquam sex, collocutos, concordiam et amicitiam concluisse: nam et Ludovicus post Carolum incedens, ut Regem semper venerabatur, et Insignia Imperialia, quae

Pater

Digitized by Google

Patre habuerat, ei reddidit, ac debita cum reverentia consignavit. Carolus vicissim Ludovicum humanissime tractans, et saepe in publico eum amplectens, de Principatu Brandenburgensi, Bavariae et Carinthiae feudalia dando, eum condecoravit. Tandem in Bohemiam reversus, multa bona Patriae intulit: nam et Imperialia Insignia, Lanceam, Clavos, partem Crucis, quae a Ludovico receperat, Pragam detulit, cum Ludovicus illa vel Norimbergam vel Francfordiam, per cautionem praestitam, deferri postulasset.

a) *in vita Caroli IV. p.* 384.

LXXVII. Post Imperatoris Caroli IV. mortem Bohemiae regnum una cum imperio adeptus est Wenceslaus filius natu maximus, quo regnante Hussitarum doctrina longe lateque serpere, et tumultibus omnem fere regionem turbare coepit; quae caedibus hinc et rapinis circumfluebat.

LXXVIII. Wenceslaus vero cum Regno exueretur, Sigismundus Caroli IV. natu minimus filius, ingenii et naturae dotibus excellens Princeps, in Regno et in Imperio Romano successit; quo gubernante, obsederant Hussitae magno conatu arcem praecipuam Regni Bohemiae Karlstein *a*) quae multa servabat pretiosa Regni Romani Insignia, illuc a Carolo IV. inlecta, Hussitae autem cum Duce suo Zisca ab obsidione repellebantur.

a) *Albert. Cranzius Vandal. lib.* 10. *c. ult.*

LXXIX.

LXXIX. Nihilominus metuebat Sigismundus Imperator, ne obsidionem denuo tentarent et insignia Imperialia in hostium manus devenirent, quapropter omnia colligi mandavit, et consulto Pontifice Norimbergam in perpetuum a) transferri curavit, quia civitas illa satis utique contra hostiles impetus munita, prae aliis Germaniae urbibus ac oppidis Christianae pietatis laude indies magis magisque florebat, et populus divini cultus amore totus quodammodo inflammatus, interdiu noctuque divinis laudibus, incredibili animorum promtitudine, vacabat.

a) *Hinc est quod Nobilissimi SENAIVS Noribergensis Legati Insignia ad Coronationis actum offerentes in Orationibus suis ad Caesaream Maiestatem haec verba faciant:* weil Ewere Kaiserliche Mayestät neben [illegible] nen Hochwürdigsten Durchleuchtigsten des Hochmischen Reichs Churfürsten an unsere Liebe [illegible] allergnädigst gesonnen, das die Ihnen und [illegible] ner Stadt von denen Glorwürdigsten Käisern [illegible] dem gantzen Reich auff ewig anvertraute Reichsinsignien anhero sollen geliefert werden ꝛc.

LXXX. Itaque ubi Sigismundus consentiente Martino V. Pontifice, prope Noribergam advenit, Anno Nostrae salutis recuperatae MCCCCXXIV. die 21. Martii in Festo S. Benedicti a Bambergensi Episcopo multisque [illegible] Praelatis, Pontificiali ritu habituque excepta est, Lipsanaque in S. Sebaldi Basilica sunt [illegible] cata. a)

a) *Christian: Erdman. in d. Relation. Historica [illegible] raenet. c. VII. p. m. 23.*

LXXX

LXXXI. Ex Relatione tamen de Clinodiis et Ornamentis mihi Noriberga communicata certior sum factus, illa ex decreto Sigismundi Imperatoris, per Sigismundum Stromer et Georg. Pfintzing, Sebaldi Filium, eum in finem ablegatos, ipso Benedicti die Ann. 1424. Praga Noribergam adducta fuisse.

LXXXII. Illud certum est, magno totius SENATVS, POPVLIQVE Norici applausu, et maximo cum gaudio excepta fuisse Lipsana cum Insignibus, et tantisper in Sebaldi Basilica collocata, donec fixa sedes in Ecclesia Hospitali sive Spiritus S. ipsis fuit assignata.

LXXXIII. Sicut etiamnum egregia de iis existimatio in Civitate Orthodoxa Noribergensi apud Cives aliosque Evangelicos. Vt proinde maximam iis iniuriam inferat Christianus Erdmannus *a*) Hagiomachos eos (absque omni controversia ex inflammato in Evangelicos animo) appellans, quasi omnem Reliquiis cultum abnuerent et velut abominandam Idolomaniam execrarentur.

a) *in Relatione Historico-Paraenetica de Sacris Reliquiis Imperii ad Divum Caesarem FERDINANDVM II. c. 3.*

LXXXIV. Scilicet cultum Divinum internum et externum iis denegant et merito? Non enim ferrum aut lignum venerari ex Sacro-Sancto Codice et ore Regis Regum, cui

magis quam hominibus obediendum est, didicerunt. At cogitationes pias et memoriam Crucifixi Nostri SERVATORIS circa Lipsiam eos exuisse qui statuit, certe illi non sanum est sinciput.

LXXXV. Scilicet Erdmannus omni calumniarum genere (quas inter non postrema, quod cap. XIV. Noribergenses muris et fossis convestitos rusticos appellat. Vah impudentiam et rusticitatem! Nae quadratus est rusticus, qui tot Prudentes Viros et Familiis et Virtute ac Eruditione Nobilissimos, in Rebus Politicis Oculatissimos, tot insignes ac excellentes Mercatores ignominiose rusticos vocare non dubitat) id egit, ut Divo FERDINANDO II. persuaderet LIPSANIS Noribergenses esse [illegible] andos.

LXXXVI. Verum eum risisse vidi Divus FERDINANDVS II. generosa ista C[illegible] vix, et dixisse: I Erdmanne, disce cucurbi[illegible] pingere, nescis Privilegiorum conditionem, Successorum in officiis obligationem, Pa[illegible] Religiosam non intelligis.

LXXXVII. Et, si dicendum, q[illegible] res est, Relatio ista Historico-Paraenetica [illegible] quanta fere est contumelia: interim nec in [illegible] Divinas, nec Civiles impingimus, si ac[illegible] Erdmanni convicia in se suique similes re[illegible] quemus, et voces talium turbinum ab re[illegible] sta[illegible]

Digitized by Google

ſtatum Pacis, cum Demetrio apud Senecam Epiſt. 91. in f. eodem loco habemus, quo reditos ſ. h. ventris crepitus: quid enim noſtra referat, ſurſum iſti an deorſum ſonent?

LXXXVIII. Vtinam Tuae, Erdmanne, Tuorumque, aut ignorantiae, aut certe malitiae, colorem honeſtatis contra ſcientiam et conſcientiam non indueres! At ſurdo narratur fabula! Hoc duntaxat addo: Peſſimi ſunt Chirurgi, qui capiti et membris non medentur, membra contra a capite abſcindunt.

LXXXIX. Sed e bivio in viam: Cauſas immane quantum paſſim in Tua Relatione urges, quae Caeſarem Sigiſmundum impulerunt, ut Lipſana Noribergenſibus concrederet: Eas indicat, inquis, Martinus V. Pontifex; Quod Imperialis Civitas Noribergenſis prae caeteris potens, inſignis, et famoſa, Eccleſiaſtico decore conſpicua, Chriſtianae Fidei devotiſſimis Zelatoribus praepollens, in regenda Reipublicae Politia ſingularis Prudentiae Viris ornata, ac demum ipſi Regi ex omni parte accommodatior exiſteret etc. Hic quaerere lubet, quaenam cauſa ex his ſit ſublata? Nullam video! Tibi autem Erdmanne et Aſſeclis affirmantibus probatio incumbit.

XC. Illa vehementer ſuperbis conditione, quam Pontifices Martinum V. Pium II. Nicolaum V. in ſuis Bullis expreſſiſſe dicis:

Digitized by Google

NISI FORSITAN, QVOD DEVS AVERTAT, CONTINGERET, POPVLVM ILLIVS CIVITATIS NORINBERGENSIS A FIDE DEVIARE CATHOLICA. Subſumis: Deviavit Populus Noricus a FIDE CATHOLICA, E. conditione non adimpleta, contractus conditionatus reſcinditur. Multa hic reponi poſſent, ſed placet brevitas non obſcura: Nimirum Propoſitionem Minorem nego: Illa enim magnum quamvis ſit verbum, non tamen verum. Vis probationem? Ecce Tibi: FIDES CATHOLICA HAEC EST, VT VNVM DEVM IN TRINITATE, ET TRINITATEM IN VNITATE VENEREMVR: Iſtam autem Fidem Catholicam SENATVS POPVLVSque NORICVS confitetur, non igitur a Fide Catholica deviat, adeoque non ſublata cauſa, nec tollitur effectus. Plura haberem, ſed ut dixi, brevitas placet. Concludo igitur cum voto:

NORIBERGA GERMANIAE DECVS
ET EMPORIVM NOBILE
ESSE PERGE!

XVII. AD-

Digitized by Google

XVII.

ADDENDA.

Non abs re nobis visum fuit, ad calcem huius partis primae, annotationes aliquot Praecellentissimi Rect. Gymn. Windshem. annectere, quae tunc demum in manus nostras venerunt, cum dissertatio illa doctissima: de Pago Rangaw non amplius sub prelo sudaret. Vbi igipag. 159. lin. 7. vocabula quod vero simillimum est inveniuntur sequentia adiecit: „ imo certum est, quod di„ dici ex antiquo codice sec. XV. „ membranaceo, ante III. secula scri„ pto, quo continentur singuli redi„ tus ex omnibus praediis coenobii „ Hailsbronnensis quotannis hauriendi, „ quem vernacula lingua nominamus „ Saalbuch, qui inspiciendus oculis „ meis praebitus est, benevolentia „ Dn. Praefecti, qui nunc hisce exi„ gendis reditibus praeest, in quo „ nec vola nec vestigium occurrit vi„ ci cuiusdam Sausenhoffen, contra „ praedium Hausenhoff adscriptum, „ et adhuc in vectigalibus eorundem

Digitized by Google

„ est redituum, ut proinde B. Hocke-
„ rum male legisse arbitrer, H. anti-
„ quo in S. mutato.

II. In eadem pagina lin. 9. ubi deprehenditur vocabulum Windsheiming pauca similiter adiicienda putavit Celeberrimus Autor nimirum: hoc quid sit nunc hariolando me adsecutum esse credo. „ Fuit sine dubio in codice, quem B. „ Hockerus in manibus habuit, latina „ lingua scripta *Windsheiminus*, quod „ cum disiunctis vocibus legendum fuis- „ set *Windsheim minus*, legerat Wind- „ heiming. *Windsheim minus* vero est „ molendinum ad rivum Rannach, quod „ adhuc nominatur Klein Windsheim „ mühl. Et hoc molendinum olim fuisse „ in reditibus Coenobii Hailsbronnen- „ sis, vidi ex eodem Codice membrana „ ceo, demum citato.

Digitized by Google

INDEX DISSERTATIONVM

IN HAC PRIMA PARTE TOM. I. COMPREHENSARVM.

I. Respublica Glacialis. Sive, de Hyberna Piscatione apud Suecos Stockholmiae 1681. 1.

II. Lessus in Glorios. Manes Friderici I. Suecor. Regis in Acad. Vpsal. 1751. habitus a Petro Iulin. 21.

III. De Catasta Servorum. Ioh. Wilh. Golling. Altorfii 1730. 39.

IV. De Exedris Veterum. Ioh. Gottfr. Hauptmann. Gerae. 59.

V. De Infulis Sacr. dignit. Insignibus. Adrian. Steger. Lips. 1739. 68.

VI. De Ludis Secular. Vet. Rom. in Gemara Babyl. Commem. Ioh. Andr. Mich. Nagel. Altorf 1743. 96.

VII. De Prensatione, Osculo, Fascium et Signor. in Nav. Submiss. Ioh. Matthias Gesner. Gott. 1745. 130.

VIII. De Pago Rangaw. Georg. Wilhelm. Dietz, Windshem. 1762. 149.

Digitized by Google

IX. De Charta indub. Lint. hac tenus not. Antiq. Paul. Dan. Longolius. Cur-Regnit. 1762. 161.

X. De Duplici Genere Equit. Rom. Ioh. Henr. Drümel. Ratisb. 1762. 170.

XI. De Flor. Lygiis Regni Galliae Insignibus Otto Christ. de Lohenschiold. Tub. 1756. 175.

XII. Memor. Secul. Cur. Norimb. ante Hos C. Annos Splend. Renov. Atque Amplificatae Ioh. Conr. Spoerl. Altorfii 1719. 197.

XIII. De Maroboduo in Ludov. XIV. Gall. Rege Redivivo. Everhard. Wassenberg. 1672. 214.

XIV. De Diis Clavigeris Christ. Gottl. Schwarz. Altorfii 1728. 247.

XV. De Ludo Equestri ab Henr. VI. Imp. 1197. Norimb. Celebrato Ioh. Christ. Gatterer Altorfii 1752. 292.

XVI. De Infulis et Lipsanis Imperii Ernestus Cregel. Alt. 1659. 306.

XVII. Addenda. 341.

Errata potiora in fine Partis Secundae suo tempore, indicabuntur.

Digitized by Google

THESAVRVS

DISSERTATIONVM, QVIBVS HISTORIA GEOGRAPHIA ET ANTIQVITATES TAM SACRAE QVAM PROFANAE ILLVSTRANTVR, MAXIMAM PARTEM RARISSIMARVM,

ET EX MST. INTERDVM IN LVCEM PROLATARVM

EDITORE

M. IOH. CHRISTOPH. MARTINI
ACAD. SCIENT. ROBORET. VT ET DVCALIS SOCIET. TEVTON. QVAE HELMSTADII FLORET COLLEGA ET ALTORFINAE EPHORO.

TOM. I. PARS II.

NORIMBERGAE MDCCLXIIII.
APVD CAROL. FELSECKERVM IN COMMISSIS.

Digitized by Google

TOM. I. PARISII.

NORIMBERGAE MDCCLXIII.

APVD CAROL. FELSECKERVM

IN COMMISSIS.

Digitized by Google

REVERENDISSIMO

ATQVE

CELSISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

ADAMO FRIDERICO

S. R. I. PRINCIPI

DEI GRATIA

EPISCOPO BAMBERGENSI ET HERBIPOLENSI FRANCIAE ORIENTALIS

DVCI ETC. ETC. ETC.

PRINCIPI

AC DOMINO MEO

LONGE CLEMENTISSIMO.

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIME AC

CELSISSIME

PRINCEPS EPISCOPE

DOMINE LONGE CLEMENTISSIME

Si innumeras Heroici animi Tui, CELSISSIME PRINCEPS, dotes, et immortalia in Germaniam noſtram, quam late patet, cogito merita: Reverendiſſimi Prae-anteceſſoris Tui CAROLI FRIDERICI ex antiquiſſima proſapia Comitum de SCHOENBORN orti, ſuo tempore maximo iure Germanorum Oraculum nominati, non ſine pia veneratione recordor. Quemadmodum enim illo nihil fuit excellentius, vel in antiquitate generis et gloria maiorum, vel in eruditione, vel in amore patriae, et ſubditorum, vel denique in ſanctitate uitae: ita etiam in TE, REVERENDISSIME PRAESVL, omnes has virtutes plane eximias cumulatas conſpicio. Quis enim neſcit, TE cuncta ad Germaniae, nihil ad Tuam referre utilitatem; TE gratiam pariter ac iuſtitiam cuique exhibere, TEque parentem eſſe civium Tuorum, non tam vulgari et translaticia Principum appellatione, quam ipſo affectu, et factis ad omnem poſteritatis memoriam duraturis? Quem fugit, TE pietatem ſine conficta et adſcititia ſpecie colere? Quis tandem, ut plura alia ſilentio praeteream, ignorat ſummam OPTIMI PRINCIPIS in eruditorum coetum propenſionem, ita ut Muſae Bambergenſis et Herbipolenſes

Digitized by Google

lenſes habitu decentiores, et ſub SVI quaſi APOL
LINIS praeſidio tutiores poſt bellum, quo literae
leges fere ſiluerunt, incedant. Teſtimonium huiu
rei omni exceptione maius eſt Academia illa veti
ſtiſſima Wurceburgenſis, ſub umbone Tuo mirum i
modum efflореſcens, in qua Profeſſores et Doctore
non tenuato ſed aucto ſalario undiquaque coguntur
ubi iis honos habetur, ubi praemiis afficiuntur ſeduli,
ubi calcar iis additur, ut munus demandatum dili-
gentius exſequantur. Iure igitur et merito omnes,
qui literas colunt, TE INDVLGENTISSIMI
PRINCEPS, illarum Statorem ac Conſervatorem
appellant, et ad TE, tamquam ad ancoram ſacram
confugiunt. Accipe ergo, CELSISSIME PRIN-
CEPS, AMOR ET DELICIAE MVSARVM
et a me ſeruo Tuo ſubiectiſſimo, quem offero libru
ea qua ſoles gratia, in publicum monumentum
mae devotionis, et meae in TE ſingularis pie-
cum qua etiam pro TVA, REVERENDISSI
AC CELSISSIME PRINCEPS EPISCOPE
perpetua incolumitate, et flore provinciarum
rum ampliſſimarum ardentiſſimas preces facio,
que ac mea ſtudia humillime commendo.

REVERENDISSIMI AC CELSISSIM
NOMINIS TVI

Altorfii Noricorum
Pridie Calendarum Aprilis
A. S. R. MDCCLXIV.

demiſſimus
I. C. MARTI

I. D

Digitized by Google

I.

DE VRNIS FERALIBVS

D. VAL. ALBERTI
P. P. IN ACAD. LIPS. 1688.

PRAEFAMEN.

VAria et pene innumera apud diverſos populos ſepeliendorum mortuorum ſervata fuiſſe diſcrimina, ille non negabit, qui vel primis ſaltem labris, quod Hiſtoria iucundi curioſiue habet, deguſtavit. Pauca ſaltem brevitati dum ſtudemus in medium ſumus prolaturi. Sic enim legimus, Colchos ad arbores in aëre ſuſpendiſſe cadavera: Senibus hyperboreis pro ſepulchro placuiſſe mare; flumina adamaſſe Aethiopes: Panebis, Genti Libyae, licitum quidem fuiſſe Corpus Regium non ſine pompa ſepelire, verum caput, quod abſciſſum inauratumque in templo appendebant, conſecratum ſanctumque habitum eſt. Maſſagetae, morbo decumbentes miſerrimos omnium exiſtimabant, quare et eiusmodi morte pereuntes beſtiis dilaniandos obiecerunt; Parentes et Propinquos in Senium vergere ſi viderent, iugulabant eos iu-

Digitized by Google

gulatosque simul ac in frusta concisos, immistis ovium aliarumque animantium carnibus in mensa, ut consumerentur, apponebant, satius rati, illos a se, quam a vermibus consumi. Nec ignotum esse potest, quod de Derbicibus retulerunt accuratiores Historiarum Indagatores, quod sc. eos, qui septuagesimum annum excederent, trucidatos, in conviviis comedendos dederint, Amicis ad Epulas, iuxta eorundem quidem opinionem, satis lautas, convocatis. Sed quod miraberis, de Vetulis nescio quid sibi persuadebant, carnes earum indignas esu iudicantes; inde solis his una cum iis, qui ante hoc destinatum tempus, e vita migrarunt, mansit ius, vel probrum potius, (si ex eorum sententia iudicare uelis) terra tegi. Vide de his singulis plura apud *Chiflet: de linteis Christi sepulchralibus*, *Gyraldum de uario sepeliendi ritu*, *Quenstedt de Sepultura Veterum.* Verum prae his omnibus iam enarratis ritibus, qui, ut iusta solverent suis, fuerunt observati a Gentilibus non nullis, duo alii eminent maxime: Humatio et Combustio; quorum uterque tum apud Graecos tum etiam Latinos inprimis quod fuerit in usu, sequentia docebunt. Quod quidem Graecos attinet, pro Humationis ritu apud illos recepto loquitur *Cicero*, *de lege* 2, referens, quod a Cecrope, primo eorundem Rege, Athenis ius terra humandi permanserit. Nec tamen iisdem, Troicis cum primis temporibus, ut infra prolixius audiemus, ritum, quem iam nominavimus, de comburendis cadaueribus humanis ignotum fuisse, ex *Silio Italico* atque *Luciano* (quorum testimonia

Digitized by Google

testimonia celeberrimus Antiquitatum Scrutator *Kirchmannus in Libro de Funeribus* Romanorum allegavit) satis constat. Et uterque hic mos simul ad tempus duravit, aliis hunc, aliis alium pro cuiuslibet arbitrio usurpantibus; inde Socrates, nesciens, quem illorum eligere velit, in *Phaedone apud Platonem*, ita loquitur: ἵνα Κρίτων ῥάον φέρῃ, καὶ μὴ ὁρῶν μοῦ τὸ σῶμα ἢ καιόμενον ἢ παταρυττόμενον ἀγανακτῇ ὑπὲρ ἐμοῦ ὡς δεῖνα ἄττα παχόμενος i. e. *Vt Crito facilius ferat et videns corpus meum aut comburi, aut humo mandari, in eam uicem minime indignetur quasi acerba quaedam passus fuerim.* Clarum itidem hoc est ex diversis litigantium Philosophorum sententiis (Heracliti scilicet et Thaletis) quorum ille praesupponens omnia ex igne constare, asserit, debere etiam in ignem corpora resolui, hic vero e contrario omnia ex humore procreari sibi persuadens, obruenda esse corpora, ut possint humore resolvi, urget. Vide *Servium L. 3. Aeneid. et Kirchmannum*, a quo citatur ille. Sed ueniamus etiam ad Romanos, qui sicuti in pluribus Graecorum mores imitati sunt, ita et hac in parte uestigiis eorundem institerunt quam fidelissime. Prolixitatem ut evitemus omnem, unicum saltem pro utroque ritu in medium prolaturi sumus testimonium. Ita enim *Plutarchum* legimus recensentem: *Numam testamento cavisse, ne corpus suum post mortem ureretur*; huius vero rei causam certe non habuisset, nisi uterque ritus tum cremandi tum sepeliendi simul obtinuisset. Sic itaque et enarrati Ritus

apud Romanos fuerunt usitati, ita tamen, ut hic de comburendo cadavere tandem solum, ut sic dicam, Regimen acceperit, referente *Tacito L. XVI. Annal. de Poppaea*; inde factum, ut et Germanis, non exclusis tamen Gallis (de quibus clarissimum testimonium habemus apud *Iulium Caesarem L. VI. Belli Gallici*) aliisque Gentibus, arriserit; de quo ut minus dubitemus urgent Conditoria tot Vrnis referta; cuius posterioris argumenti rationem ut e longinquo petamus, non erit opus, cum vicina Lipsiae Civitas, Ileburgum (a qua non adeo procul in agro quodam ad Muldaviam sito detectae sunt Vrnae ante paucos Annos) easdem in tanta copia miserit, ut in utraque Bibliotheca Lipsiensi tum Academica, tum Senatoria, inter Curiosa numerentur; alia loca, quo venerunt, ut taceam.

§. I. Ne vero illotis, quod dicunt, manibus, ad rem accedamus evolvendum nobis ante omnia erit Nomen Vrnae, ideoque, quid, quoad ὀνοματολογίαν eius dicendum, brevibus, atque fieri quidem potest, exponemus. Denotat vero urna proprie amphoram aquae, id quod ex eius derivatione eluceſcet. Accipit autem Nomen a τῶ Vrinare, quasi in aqua hauriendа urinet, i. e. mergatur atque emergatur. Ipse *Varro lib. IV. de L. L. Vrnae dictae, quod urinant in aqua haurienda, ut urinator.* Postea vero improprie de variis, usu ita volente, vasis usurpari coepit.

§. II. Sumebatur autem varie, prout in domo, Curia et templo locum inveniebat. In

Domo,

Digitized by Google

Domo, pro certo Mensurae genere, quod dimidium faceret amphorae, ita, ut duae urnae unam amphoram complerent. In Curia vero non raro pro eiusmodi vase, in quod Antiqui non tantum tabellas Iudiciarias Iudicum, sed et nomina coniiciebant, quum Praetor Iudices sortiebatur. In hoc sensu *Cicero ad Qu. fratrem L. II. c.* 6. de Sixto Caelio ait, quod *eum a Senatoria urna copiose absolverit*. Nec non Iuvenalis *Sat.* 13. in limine:

Exemplo quod cunque malo committitur, ipsi
Displicet Autori, prima est haec ultio, quod se
Iudice, nemo nocens absolvitur, improba quamvis
Gratia fallacis Praetoris vicerit Vrnam.

Dein, vas etiam sacrum, cuius usus in sacrificiis erat, hoc nomen sibi appropriavit; Teste *Dempstero in Antiqu. Rom. L. III. c.* 32. Imo vas illud *Exod.* XVI. 33. (צנצנת) in quo Manna coram Domino reponebatur, quodque alii Pateram, alii phialam, alii aliter interpretantur, LXX *viralis* vertit per ςάμνον, quam vocem retinet Apostolus *Hebr.* IX. 4. expositam communiter per *Vrnam*. Nescio vero, annon ad sacrum hunc significatum referendus sit ille, quo ad sepulturas urna extensa fuit. Factum id est dupliciter 1) *generalius*, ut per urnam ipsum sepulchrum intelligere possis. Quo pertinet illud *Lucani* L. VII.

- - - capit omnia tellus
Quae genuit: coelo tegitur qui non habet urnam.

2) *specialius* pro receptaculo cinerum atque ossium humanorum post cremationem, de quo Au-

Digitized by Google

tores passim. Est vero hic significatus hui etiam loci; unde urna nostra in titulo Feralis sicut ab aliis Sepulchralis dicitur.

§. III. Pro Vrna, praesertim maiori, in telligitur aliquando *Ossuarium* non minus aepr sepulchro in Inscr. IVLIA FVSCINIA OSSV ARIVM VIVA SIBI FECIT. Meminit huius vo cis *Vlpianus de sepulchro violato Leg. II.* In ali vero Inscriptione *Cineraria* dici legimus, und et Cinerariorum Nomen, qui Cineres et reli quias Martyrum honorabant; de quibus apu *Hieronymum in Epist. ad Riparium* quae est LII sequentia: *Ais, Vigilantium os foetidum rursu aperire et putorem spurcissimum contra Sanctorum proferre reliquias, et nos, qui eas suspicimus appellare Cinerarios et Idololatras, qui mortu orum hominum ossa veneremur.* Ita etiam loculu quandoque pro Vrna ponitur, u. g. apud Pli *L. VII. c. 2.* ubi de *Pyrrhi pollice in dextro pe* loquitur, *quem cremari cum reliquo corpore no potuisse, loculo autem conditum in templo tradu* Sic *Cadum* insuper dicit Virgilius L. VI. Aen.

Ossaque lecta cado texit Choroneus aheno.

Tandem etiam *Capuli* quandoque nomine veni ita enim *Apuleius L. IV. Metamorph. Mon mentum quoddam conspicamur, procul a via, re moto et abdito loco positum, ibi capulos cana vetustate semitectos, quibus inhabitabant pulve et iam cineresi mortui.* Graece iam generali ἀγγεῖον, *Vas*, iam specialius κρωσσὸς hyd vocatur; translata nimirum significatione qu aquar

aquaria, in feralem; ſicut id ſupra Vrnae contigiſſe diximus.

§. IV. Sunt autem Vrnae ferales Vrnei non unius Materiae, quibus varii olim Populi cineres et oſſa cadaverum humanorum in rogo combuſtorum, vino, lacte, odoribus, imo etiam lacrymis perſperſa et irrigata includebant incluſaque ſic ſepeliebant.

§. V. Conſtat hinc de omnibus Vrnarum cauſis. De fine quidem ex facto ipſo, quod in ultimis verbis per ſepulturam exprimitur, et tantae claritatis eſt, ut adiici poſſit nihil. Cauſa efficiens varii ſunt populi, de quibus infra §. 24. ubi de ritu cremandi agetur. Hic ſatis ſit de Maioribus noſtris aliquid afferre.

§. VI. Hi nimirum ſepulchralibus his urnis uſi etiam omnino ſunt. Non enim vero ſimile videtur, quod Romani, haſce terras cum armis invaderent, tot urnas reliquerint (quamvis quidem non negemus, adeſſe quasdam, inprimis autem circa Rhenum, ubi ſatis diu commorati ſunt, quas ad eos ſpectare, credimus.) Vt enim ſicco, quod aiunt, pede praeteream; quod Romani in his regionibus ſi etiam ad ſingulas pervenerunt, in quibus Vrnae inventae ſunt, (quod tamen nondum extra omne dubium) per breve temporis ſpatium caſtra habuerint, quod certe tam operoſe diſponendis urnis non ſuffecit. Nimia quoque earum confluges huic ſententiae contrariatur; inprimis autem noſtrarum urnarum ſimplicitas, quae luxui Romanorum minime con-

Digitized by Google

veniens. Quamvis autem hic inter eos apud pauperes etiam ceſſaverit; quis tamen crederet, non niſi Pauperes Oras has externas vidiſſe? Accedit, quod alii ſeptentrionales populi ab hoc ritu non fuerint alieni. Sic enim antiquos Daniae Norwegiaeque Reges et incolas omnes, illos quidem navicula extructa, hos autem in tumulis combuſtos, utrorumque cineres variis cimeliis mixtos fuiſſe legimus apud *Sax. Grammaticum in Hiſtoria Daniae* L. III. Id quod etiam de Suecis *Ericus Olai Gothorum Suecorumque Hiſtoriae a Maſenio editae L. I.* affirmat.

§. VII. Materia vero omnino diverſiſſima deprehenditur; pro cuiuslibet enim conditione erat vel vilis, vel pretioſa. Virorum Illuſtrium oſſa atque Cineres aurea condita fuiſſe urna teſtatur *Homerus*, *Iliad.* Ψ.

Κλαίοντες δ' ἐτάροιο ἐνήνεος ὀστέα λευκὰ
Ἀλλεγον ἐς χρυσέην φιάλην. *Idem Iliad.* Ω. *Moſchus Idyll.* IV.

Καί κεν ἕνα χρύσειον, ἐς ὀστέα κρωσσὸν ἁπάντων
Δέξαντες κατέθαψαν ὅτι πρῶτον γενόμεσθα.

Et *Plutarchus* ὑδρίαν χρυσίλατον vocat, in qua Demetrii reliquiae ad Filium ſunt relatae; Id quod etiam *Eutropius L. IIX.* de monumento Traiani his verbis confirmat: *Solus omnium Impp. intra urbem ſepultus eſt. Oſſa eius collocata in urna aurea, in foro, quod aedificavit ſibi columna ibi poſita, cuius altitudo CXL. pedes*

des habet. Tandem et *Ael. Spartianus* de Severo, cuiusdam meminit. Verba eius hic quoque transcribere nobis liceat. *Corpus eius Britannia Romam usque cum magna Provincialium reverentia susceptum est, quamvis aliqui urnam auream tantum fuisse dicant, Severi reliquias continentem eandemque Antoniorum sepulchro illatam.*

§. VIII. Ordine processuri, venimus ad Argentum, ex quo, quod Vrnae sint factae, sequentia suadent. Sic enim *Amm. Marcellinus L. XIX. Post incensum corpus ossaque in argenteam urnam coniecta.* Dein Orichalceam Argentinae in technophilacio monstrari refert *B. Geierus Libr. de Luctu Ebraeorum.* Post haec aeneam urnam citatam legimus apud *Virgilium L. VI. Aeneid.*

Ossaque lecta Cado texit Chorineus aheno.

Marmoream refert *Xiphilinus in Severo*, (ubi simul paulo ante dictis, sed dubie pridem positis, contradieit) dicens: *quod Ossa in Vrnam, factam ex lapide Porphyretico coniecta; Romam perlata et in Antoniano reposita sint.* Fertur hanc urnam, antequam e vita decederet, iussisse ad se perferri, eaque contrectata sequentia addidisse: *Tu Virum capies, quem totus terrarum Orbis non cepit.*

§. IX. Prioribus addimus vitreas, cuius generis duas sibi allatas affirmat *Olaus Wormius*, *Becmannus in Annotat. Francofurtensibus*; et si *Aeliani* verbis fides est habenda, in Beli Conditorio a Xerxe detecto, positum fuit vas vitreum Cineribus repletum *L. XIII. c.* 3. Nec etiam

Digitized by Google

praetereundum, quod *Cocc. Saboh. Enneid.* 2. l. 7. obſervavit de Aethiopibus, quod ſc. vitreis Vrnis uſi ſint, an vero pro receptaculo cinerum an lacrymarum ſaltem ſint habendae, circumſtantiae nondum ſatis evincunt. Aliud adhuc Exemplum, notatu non adeo indignum, in evolutione urnularum lacrymalium infra §. 17. citavimus, quod vide. Sed hae ſingulae, ſi vitreas excipias, tantum lautioris conditionis hominibus fuerunt in uſu; inde fit, ut vel nunquam, vel rariſſime, hodie, praeſertim apud nos inveniantur.

§. X. Sic vero ad fictiles pedem promovemus, earumque magnam paſſim copiam videre potes; non enim ſolum modo in abditis regionibus (Galliam dico, Hiſpaniam, Italiam, Sueciam, Norwegiam etc.) ſed et maxime in noſtra Germania, tam in Bibliothecis publicis, e. c. Norimbergae, Vratislaviae etc. quam privatis, et Cimeliarchiis ferme innumeris conſpiciuntur, et ad nos quoque non procul a nobis Francofurto ad Viadrum, Dreſda, Ileburgo allatae ſunt; et earum quidem materia eſt lutum quoddam, a noſtro quidem, quoad imperitis huius rei iudicare licet, parum diverſi habens, niſi diceres hoc conformitati quid detrahere, quod lapillis quibusdam permiſtum ſit albeſcentibus, id quod inprimis de Francofurtenſibus notarunt qui eis deſcribendis operam dederunt. De Ileburgenſibus (non dubito de aliis) hoc compertum eſt, quod lutum tam bene coctum fuerit, ut noſtras uſitatas ollas longe ſuperet. Hic obiter notari velim, Magnatum urnas ſi et eius materiae ollis ſua condere

Digitized by Google

condere placuit, nigro colore, ornamenti, quod sibi fingebant, ergo superbire, quod ut confirmet *M. Treuerus* ad testimonia *H. Mutii L. I. Chron. Selden. de Diis Syris in Moloch. p.* 127. provocat. Certius autem hoc, quod Magnatum ossa vel in monte, vel ad radices eius condere voluerint. Exemplum, quo rei fidem faciamus, suppeditat *Aurel. l. de Orig. Gent. Rom.* quod Sylvius in dimicando circumventus, ab hostibus prostratus ac sepultus fuerit circa radices montis, cui ex se nomen dedit. Conf. insuper *Olaum l.* 16. *c.* 37.

§. XI. Et haec Materia Germanis in primis placuit; aureis enim aliisque pretiosis, prout Experientia coniecturare iubet, nunquam usi sunt, hac forsan ducti ratione: se tutius quiescere posse in vili, quam in pretioso vase, quod ultimum a furibus involari et violari posset, cum de illo clam palamue surripiendo nemo facile cogitaret.

§. XII. Iam examinata Materia urnarum, progredimur ad earum figuram, quam urcei cuiusdam esse dixi *supra §.* 4. Sicut autem in hac satis conveniunt; ita ratione magnitudinis valde differunt; unde commode eas in tres classes dispescere poteris, quarum prima Maiorum, secunda Minorum, et ultima denique Minimarum dicatur.

§. XIII. *Maiores* itaque quod concernit et hae invicem differunt. Quaedam enim vel amphoram aquae tam longitudine quam latitudine superant, quaedam ollam 6. 5. 4. cantharorum

rorum noſtrorum aequant; et hae maiores urnae habentur pro eis, in quibus Cineres Patris familias condebantur; id quod vel ex eo patet, quoniam plerumque comites habent *Minores*, quae, quod hominum natu minorum cineres contineant, coniicere licet.

§. XIV. Hic tamen notandum, nos, cum nominamus homines natu minores, excludere ab his Infantes, quos cremare, moris non erat, teſte *Plinio* L. VII. c. 16. *Hominem priusquam genito dente cremare, moris non erat*; ſepeliebantur autem in loco quem dixerunt Suggrundarium. Huc reſpicit illud *Iuvenalis* Sat. XV.

- - - Terra clauditur infans
Et minor igne rogi.

§. XV. Neque negligendum eſt, quod de Francofurtenſibus Vrnis notat *Trewerus*, repertam ſc. eſſe urnam, in medio diſtinctam, de qua, quod Gemellorum Cineres habuerit, ut credamus, nos adducit ſequens Agathiae Epigramma

Εἷς δὺ ἀδελφὸς ὠδ' ἐπέχει τάφος ἐν γὰρ ἔπεσχον.
Ἥμαρ καὶ γενεὴς οἱ δύο καὶ θανάτου.

§. XVI. Tandem etiam id hic ſubiiciendum, quod inter Ileburgenſes aliquoties iam nominatas urnas quaedam fuerit in medio ſciſſa, ita, ut cultro diviſam non incongrue diceres, et quidem, ſi conſuetudinem illam ſingularem, qua Amaſii, Amici, vel etiam Coniuges, qui in vita ardentius

ardentius se invicem amabant, in una condi vellent urna, intuemur, ex ea forsan ratione factum, ut uno horum prius mortuo, alterius Cineres commodius potuerint coniungi. In quem ferme modum *Ovidius de Thisbe et Priamo:*

His tamen amborum verbis estote rogati
O multum miseri, meus illiusque Parentes
Vt, quos certus amor, quos hora novissima iunxit,
Componi tumulo non invideatur eodem.

Et paulo post:

Quodque rogis superest, una requiescet in urna.

Iason ap. *Valerium Flaccum*

Quod tamen externis unum solamen in Oris
Restat, ait, caras humus haec non dividet urnas
Ossaque nec tumulo, nec separe conteget urna;
Sed simul ut iunctis venistis in aequora fatis.

§. XVII. Sed, ne nimium his inhaereamus, ad *Minimas*, quas lacrymales vulgo nominant, transgredimur. Sunt vero vel uitreae, vel fictiles. Exemplum utriusque generis legimus in *B. Geieri* iam citato *libello de luctu Ebraeorum*, cuius verba liceat nobis mutuari. *Hoc subiungimus*, ait, *quod Argentinae in technophilacio monstrari memini effossas e sepulchro Gentili duas Cinere repletas Vrnas, quibus additae duae lampades, una orichalcea, altera fictilis, et praeter eam vitrum in figura longioris crassiorisque digiti, hoc ipsum in se continet liquorem aqueum, superiore*

superiore tamen sui parte, qua oculorum angulis applicari apte potest, arcte vitro alio agglutinato occlusum. Hunc liquorem existimant esse cognatorum lacrymas una cum Defuncto sepultas, quod sane, si verum mirandum est, quod talis humor tanto temporis intervallo non absumtus sit. Simile Exemplum legere potes ap. *Cotovicum in Itinere Hierosolymitano* L. I. c. 10. p. 50. ubi simul accuratam eiusmodi urnularum Picturam reperies. Meminit autem in Zacyntho Anno 1544. Cal. Decembris erutum fuisse sepulchrum hac Inscriptione notatum: M. TVLL. CICERO HAVE ET TV TERTIA ANTONIA: intus apertas asse duas urnas vitreas unam, eamque maiorem cineribus, minorem vero unda refertas; hinc creditum est, illam Ciceronis cineres, hanc Amicorum lacrymas continere. Et *Gutherius de Iure Manium* II. c. 22. memorat, quod Patavii in monumento veteri urna coctilis detecta fuerit, cui inclusae urnae quatuor minores *cum alia minori urnula et duabus ampullis, una ex auro, altera ex argento liquidissimi liquoris plenae.* Addit hic: *Liquores in dictis vasculis variare. Smetius in Antiqu. Neomag. Retectus hic*, inquit, CIↃIↃC. XLV. *Sarcophagus ex topho, astabant lagenae vitrae tres. Una maiore sui parte liquore non oleaginoso sed salsugino so plena, qui liquor tunc motu terraeque iniectione turbatus intra paucos dies ad limpitudinem rediit clarissimam, quam etiam nunc servat. Cl. Liceto Iudice lagena ista plena fuit humore lacrymarum.*

§. XVIII.

Digitized by Google

§. XVIII. Fictilia vero vasa quod digna aestimata fuerint lacrymis capiendis, constat non tantum ex *Olao Wormio* L. IV. *rer. rarior.* c. 1. quo in loco refert: *Ex Italia sibi allatam esse urnam lacrymalem, terream, vasculum scilicet oblongum, colli angustioris, pyriforme, ventre ampliore, longitudine 5. unciarum, colore ex rubicundo albescente* sed et ex Ileburgensium urnarum Inspectione, in quarum numero talis modi urnulas lacrymales fuisse maioribus impositas, percepimus, in quarum una materia quaedam coagulata, oleo non absimilis, sese obtulit; (an vero et hunc humorem una cum prioribus pro lacrymis indubitato venditare debeamus, nondum adhuc certi sumus.) Vnicum adhuc addimus quod Phiala eiusmodi lacrymalis sit in Electorali Bibliotheca Brandenburgensi, in qua liquor ille exaruit, post se sale varii coloris, colla columbarum imitantis, relicto. Qui plura desiderat, adeat praeter citatos Autores *I. Iacob Chiflet., Vesont. P. I. c.* 27. *p.* 97. *D. Spon. Antiqu. Erud. p.* 304. nec non *Almeloveen Antiqu. Sacr. et profan. p.* 134.

§. XIX. Priusquam vero ad ulteriora pedem promovemus, brevibus dicendum erit de iis, quae una cum his urnis tam eleganti serie arenae impositis, tam bene circumiectis lapidibus munitis, reperta sunt. Numerantur autem inter ea lucernae, iam ardentes, iam extinctae. De his nullum est dubium, cum Experientiae testimoniis ad abundantiam usque roborentur. De illis integrum Volumen conscripsit *Fortunius Licetus; permirumque est, quam multos congerat citetque*

Digitized by Google

citetque *Autores, qui eiusmodi lucernas fuisse repertas, scripserunt, et quorum plerique se tales habere asservareque autumarunt: atque adeo quam varias huius generis lucernas recenseat;* uti contenta huius libri ὡς ἐν τύπῳ describit *Gassendus Phys. Sect. II.* L. III. c. I. Tom. Op. I. p. 645. postquam Autorem eius, *Eximium Amicum suum*, honoris ergo prius appellasset. Libertate tamen Philosophica usus, mox ab eo dissentit, et de historica non tantum veritate, sed et Physica possibilitate non sine ratione dubitat. *Tota scilicet fides*, inquit, *nititur Virorum quorundam rusticorum operariorumque testimonio, qui dixerint, se terram defodientes sepulchraque eruentes reperisse lucernas, quae adhuc arderent, sed quae forent tamen in ipsa externi aeris admissione, perpaucis quibusdam exceptis, extinctae. Notum porro est, quam facile id genus homines aut imponere sibi ipsis potuerint, credentibus ipsas non potuisse frustra concludi; debuisse flammam, dum commoverentur, confringerentur, aperirentur, evanescere (ac tanto magis, si detectionis momento politura in superficie lucernarum, aut continentis marmoris ex ingressu lucis externae resplenduit ineruditosque oculos percelluit;) Aut imponere aliis voluerint, quo viris harum rerum curiosis illas carius divenderent, et rumore maxime, vel unius disseminato, cui se similem reperire quisque iactaret.* Et inferius ibid. *Sane vero, si et Ciceronis, et prioribus posterioribusque temporibus frequens adeo materiae eiuscemodi praeparatio fuit, si familiare adeo, ut Lucernae perpetuae, inextinctaeque conficerentur, fieri*

potest,

poteſt, ut tale nihil temporum illorum Scriptores commemminerint? An potuere ſingula quaeque ad exequiarum celebritatem, ad condituram, ad cineres urnis concluſos, caeteraque deſcribere; et lucernarum tamen inextinguibilium, rei et ſumptuoſae, et tantopere admirabilis, ne minimam quidem facere mentionem? Credine poteſt, rem latuiſſe Plinium, qui fuit tot aliarum rerum minus memorabilium curioſus Scrutator ſeduluſque deſcriptor? Et cur ergo Maeuia, cuius meminit Modeſtinus, ſeruos teſtamento manu miſit, ea conditione, ut alternis menſibus lucernam accenderent? ſi fuit adeo promtum lucernam habere inextinctam. His uero cum hiſtoriam facti reuocet in dubium, inſpergit alia nonnulla, quae poſſibilitatem impugnant. *Quod*, inquit, *porro facit, ne aliunde res perſuaſione digna uideatur, ipſa flammae natura eſt, quae nihil aliud quam pabuli pinguis materia ſummo impetu erumpens ſummopereque dilatata ac ſumme adeo aerem urgens etc. Hinc uidetur ſane deridiculum dicere lucernam concluſam ardere, et facta aeris libertate, extingui, quae deberet potius extincta reaccendi.* Sed quicquid horum ſit, certum tamen eſt, moris fuiſſe in cyppis ſepulchralibus lucernas, ſi non perpetuo, tamen ad tempus ardentes ſuſpendere. Sic enim *Dio* de laruali illo conuiuio Domitiani refert; *iuxta unumquemque collocatam eſſe columnam factam inſtar ſepulchri, in qua nomen eius erat ſcriptum, pendebatque de eo lychnus paruus, ut aſſolet in monumentis*: Et *Petronius de Matrona Epheſina*, quae poſitum in hypogeo Virum condebat;

Assidebat aegrae fidissima ancilla, simulque et lacrymas commodabat lugenti, et quoties defecerit in monumento lumen renouabat. Testimonium *Modestini* iam ante ex *Gassendo* attulimus.

§. XX. Et forte non incongrue dicerem, quod hic aut similis ritus ab his Idololatricis Gentilibus Christianos inuaserit limites. Videmus enim, praesertim apud Pontificios, quandoque etiam Lutheranos; in deducendis funeribus magnam molem cerearum candelarum accendi; quam consuetudinem suo iam tempore apud *Hieronymum Vigilantius* irrisit. Vide *Epist.* LIII. *citatam supra §.* 3.

§. XXI. Sed post lampades de Crinibus agendum est, qui ad Defunctorum urnas pateris impositi, et singulis ferme in locis, ubi eiusmodi Conditoria habent, inueniuntur. Hic enim ritus tam sancte ab Amicis Defuncti (quorum sunt illi Cineres) obseruatus est, ut non facile praetermitteretur. Hinc *Ouidius* suam sortem dolet, quod minus quam par esset, suo satisfacere posset Officio.

Non mihi teliceat lacrimis perfundere iustis;
In tua non tonsas ferre sepulchra Comas.

Felicius autem Chariclea apud *Heliodorum* Aethiopicae Historiae Scriptorem, extincto Ductori Calasiridi uulsos capillos libat cum gemitu: Ἐπιφέρω σοὶ χοὰς ἐκ τῶν σῶν πλοκάμων. *Vide* de hac consuetudine plura apud *Maximum Tyrium Or.* VIII. *Dionys. Halicarnass.* L. XI. *Propert.* L. I. *Eleg.* XVIII. L. III. *Metamorph. Ouid.*

Digitized by Google

Ouid. Solin. Polyh. 14. p. 472. *Adrianum Iun. Com. de Coma* c. 5. *Spondanum in Comment. ad Hom. Iliad.* l. 23. p. 411.

§. XXII. Iam ipsum ferrum, super quod extructus erat rogus, uenit recensendum, quippe quod una cum Carbonibus, ligno non plane consumto, terra mirum in modum nigrescente in Ileburgensibus repertum esse, cum aliis pluribus, quorum passim inter alia mentionem facimus, nobis relatum est. Addemus quasdam orichalci, cupri, literis quandoque, non uero discernendis, notatas particulas, quadrangulares insuper lapillos uasi cuidam fictili inclusos, nec non Inaures, ut uocant, plerumque binas; his accedunt disci, paterae, pocula, quae forte eum in finem mortuis dederunt, ut cum Manibus recreare sese possent, arma, hastae, quae itidem Comites fecerunt mortuorum, ollae arena impletae, in quarum fundo fila quaedam (an sericea an uero lintea sint non apparet) in orbem conuoluta, non absimilia nidis auicularum, quas linarias uocamus; laminulae quaedam rotundae, adeo attritae, ac molles, ut statim in puluerem resoluerentur; inde nec indubitato pro moneta uenditari poterunt; lapis crudus, supra perterebratus (de quo Becmannus in Annotat. ad Francof.) hasta lapidea (teste Olao Wormio,) fila aenea, cuprea, argentea (aureum etiam inter ossa Childerici repertum esse, Chiflet. C. IX. affirmat) de quibus credunt, quod uel comatoriae Mulierum acus, quibus in discriminandis crinibus utebantur, uel

fibulatoriae sint, quarum usus in subnectendis uestibus fuerit, Scoriae Metallicae, tam grandes, ut quandoque moueri a Viro uix potuerint, de quibus coniecturam legimus, an forte thesauri, quos cum mortuis inprimis Orientales etiam contra Magistratus edictum condebant, Deo sic permittente, in hasce scorias fuerint permutati; cui uero coniecturae uix assentiri possumus. Vrna dentibus mirae magnitudinis (quae in Posnia eruta fuit, teste *Iacobo a Mellen in tract. de Vrnis Sarmaticis*,) referta, quos ut pro Giganteis habeamus, multa obstant: Certiora dicere eos crederem, qui affirmant: Equinos esse dentes maxillares. Pro iisdem enim sententiam dicere uidetur id, quod mos fuerit Veteribus praeter arma Defunctorum etiam ipsos Equos rogo immittere, quam Assertionem uerba Taciti de Germanis egregie illustrant; sic autem dicit: *Struem rogi nec uestibus nec odoribus cumulant: sua cuique arma, quorundam Igni et Equus iniicitur. Dentes autem tantum inuicti sunt ignibus, nec cremantur cum reliquo corpore Plin.* L. VII. c. 16. Vide citatum *Iacobum a Mellen* fusius de his differentem *l. c.* et de pluribus, praeter iam citatos, *Smetium in Antiqu. Neomagens. Albertum Reimarum in Antiqu. Romanis*, aliosque.

§. XXIII. Sed cur coronarum, quibus defunctorum Vrnae aliquando exornatae fuerunt, quasi dememini? Sane *Marcelli cadauer combustum, urna argentea, cui aurea corona fuerit circumdata, conditum fuisse*, memorat *Plutarchus*

chus in vita Marcelli; qui *et urnam auream, in qua Demetrii reliquiae repositae erant, fuisse coronis circumdatam et cum Classis Corinthum navigaret, e prora regio ornatu insuper ac Diademate conspicuam*, adnotavit *in Demetrio*; sed hoc illustre urnarum decus tractatui de Adiunctis commode coronam imponat. Conf. *Paschal. de Coronis* L. IV. c. 6. p. 220.

§. XXIV. His evolutis, pauca dicemus de eo, quando hic mos comburendi, adeoque et in urnas condendi mortuos, coeperit, et a quibus potissimum provenerit, ubi simul rationem allegabimus, quare suos ita Gentiles condere voluerint?

§. XXV. Quod Aegyptii itemque Persae abhorruerint ab hac consuetudine ex Historia sufficienter patet; et *illi* quidem hac ducti fuerunt ratione, quod existimarent ignem animatam esse belluam, quae, quicquid nanciscatur, devoret atque consumat, ubi vero exaturata sit, simul cum eo, quod devoraverit, moriatur. *Hi* vero ignem pro DEO venerati, corpora humana tanto DEO consumenda abiicere, nefas duxerunt. Vid. *Quenst. de Sepult. Vet.* Hinc *Lucianus*: *Graecus exurit, Persa defodit.* Contra vero uti supra docuimus, Graecis, Romanis, universis etiam Celtis per Illyrium, Germaniam, Galliam, Hispaniam Britannicasque Insulas hicce ritus maxime placuit; uti prolixius demonstrat *Philipp. Cluver. Germ. Antiqu.* L. I. c. 3. Neque Indi dictam consuetudinem plane negligebant, quamvis non solam elegerint;

Digitized by Google

De quo si placet, lege *Gyrald. de uaria sepeliendi ritu*, ubi simul Indi cuiusdam, Zarmanochegae dicti, meminit, quod satis fortunatus Athenis se cremaverit, cum abunde vixisset, cuius etiam tumulo haec Inscriptio facta: Ζαρμανοχήγας ἰνδὸς ἀπὸ βαργόσης κατὰ τὰ πάτρια ἰνδῶν ἑαυτὸν ἀποθανατίσας κεῖται: *Zarmanochegas Indus ex Bargo, iuxta Patrios Indorum mores se ipsum immortalem faciens, hic iacet.* Quod lacrymas etiam in honorem mortui effusas deauratо uasculo inclusserint, notat *Marc. Paul. Venet. de reg. Or. l. 22. c. 55.*

§. XXVI. Verum a quibus, quoque tempore ritus iste introductus fuerit, varii varie sentiunt. Quidam non incongrue statuunt: Diabolum hoc ipso sacrificia, quae Deo ab Israelitis mactabantur, illusisse; alii iterum in alias partes abeunt.

XXVII. Quod autem haec Combustio Antiquitate cedat sepulturae, meмo fere hactenus in dubium vocavit, cum testimonia luce meridiana clariora id confirment. Ita enim *Tullius de legib. L. II. Antiquissimum sepulturae genus illud fuit, quo redditum est terrae corpus, et ita locatum ac situm, ut quasi operimento matris obducerentur.* Eo ritu προτοπλάσης noster sepultus creditur, adeoque naturae quasi indita est sepultura Mortuorum. Vnum adhuc, ut rei fidem faciamus firmiorem, in medium proferam; est autem desumtum ex *Plin.* L. VII. c. 54. ubi dicit: *Ipsum cremare apud Romanos non fuit Vete-*

Veteris instituti, terra condebantur. Ac postquam longinquis bellis obrutos erui cognovere, tunc institutum.

§. XXVIII. Annum vero, quo hic mos Sepulturae in Combustionem degeneraverit, quidam credunt fuisse post conditum Mundum 3602. vel 3649. ante Christum natum 351. Alii Heraclito tribuunt, existimanti, animam nonnisi hoc modo a corporis sordibus purgari, et ad suam naturam (statuebant autem igneam) reverti posse. Cui *Servius III. Aeneid.* consentit: *Romanos comburere corpora, ut statim anima in generalitatem, i. e. suam naturam rediret.*

§. XXIX. Alii vero iterum ab hac sententia abeunt Herculem Autorem constituentes, a quo Licymnii filius ita dicitur sepultus, Historiam vero siue fabulam potius, apud Kirchmannum his descriptam verbis reperies: *Mos erat Troiae ut quotannis aliqua Virginum tempestivarum Ceto devoranda obiiceretur! quod aliter iram Deorum, quos Laomedon Rex offenderat, placari non posse, e Cortina esset responsum. Sorte igitur ducta, Hesione ipsius Laomedontis filia cruento huic sacrificio destinatur. Stabat infelix Virgo iam scopulo alligata, mortem expetens praesentaneam, cum forte illuc transiens Hercules liberaturum se filiam Laomedonti pollicetur, sed ea lege, ut quos ipsum habere constabat, equos divino Seminio ortos, in praemium sibi donet. Accipit conditionem Laomedon, sed monstro occiso filiaque liberata, promissis*

missis stare recusat. Ea re indignatus Hercules Ilium expugnare et acceptam iniuriam ulciſci gitat; cumque Exercitum colligeret, etiam A geum, familiarem ſuum a Licymnio patre pet quo abnuente, quod iam ante alterum filiu Eonum, bello Lacedaemonico amiſiſſet, He kes iure iurando ſe de reducendo Argeo obſt git. Profectus igitur ad Ilium, cum A in acie cecidiſſet, comburi ipſum curavit, eius atque cineres ad Patrem remiſit, hoc fidem ſuam ſe liberaſſe et periurii crimen eff arbitratus. Plura qui deſiderat, adeat S *aliaſten*, ex quo hanc hiſtoriam deſumſit *citatus Autor.*

§. XXX. Quicquid tamen ſit, an lam, an hiſtoriam nomines, id tamen re quod iis temporibus omnium maxime, Excidium Troianum adſcribebant, in uſu

§. XXXI. Et ſic ex dictis ſimul p hunc ritum multis annis ante Graecis ſeſe- nuaſſe quam Romanis. Primum vero inter qui hoc modo conditus ſit, fuiſſe, vólunt lam Dictatorem, qui, quod victum erut Marium in undas proiici iuſſiſſet, uereb ne idem ſibi mortuo accideret. Vide Pli L. VII. c. 54. Quamvis iterum alii his tradicant, et longe antiquiorem cremand pora morem fuiſſe tradant. *Virgilius* qu L. XI. *Aeneid.* ante urbem conditam in hunc morem floruiſſe, *Ovidius autem* L *Faſt.* ad initium Reipublicae referendum mumque ita combuſtum eſſe, dicit.

§. XX

Digitized by Google

§. XXXII. Sed quoniam Autores inviicem adeo dissentiunt, certi quicquam hic non facile determinabitur; Sicut etiam inuicte ex Historiis probari nequit, quando finem haec Combustio habuerit. Plerique tempore Antonini Imperatoris eam plane sublatam fuisse, volunt. Vid. *Hieron. Magius in Aemil. Prob. Annot. in Alcibiad. Christ. Besoldus in Consideratione Politica uitae et mortis, c.* 1. *Gyrald. de funere Romano. Quenstedt de ritu sepel. et Kirchmannus, Macrobius*, qui Theodosio Iuniore sceptrum tenente, vixit, suo tempore combustionem corporum humanorum exoleviſſe asserit *Lib.* VII. *Saturn. c.* 7. quod tamen *Kirchmannus*, quoniam rei testimonium apud Autores non inuenerit, pro indubitato venditari posse, negat. Hoc vero certum est, et omne extra dubium positum, Gentilibus cuiuscunque nationis atque plagae ad religionem Christianam conversis, quod apud nos Germanos satis longos post annos factum Historiae docent, istum ritum paulatim abolitum fuisse. Inprimis, cum in eo tam anxie laborarint Patres; sicut ex Tertulliani scriptis non uno in loco videri potest. Vnicum, saltem, ut assertioni fidem conciliemus, testimonium adducam. Cum enim Pagani id Christianis uitio verterent, apud Minucium Felicem his verbis: *Inde videlicet et execrantur rogos, et damnant ignium sepulturam*; Sic respónsum huic Criminationi ab Octavio: *Nec, ut creditis, ullum damnum sepulturae timemus, sed et veterem et meliorem consuetudinem humandi frequentamus.* His accedit, quod neque in Iure

Romano eius mentio fiat, affirmante *Finckelthaus. Disp. de Iure Sepulturae* theſi 27. ſiquidem Vlpiani et aliorum IC. eius aetatis ſeculo iam uſus urendi corpora deſiit. Inde dubium procul etiam factum, ut et illi, qui tum re mansbant, Gentiles, moris huius pertaeſi, ſepulturam eligerent.

§. XXXIII. Coronidis ergo attingemus illam Quaeſtionem: Quomodo Cineres Beſtiarum atque ligni a cineribus humanis potuerint ſeparari; Sunt vero nonnulli, qui tunicas ſtas exiſtimant e lino quodam Indico, quod ri minime potuerit, iis operta cremandorum corpora, ut ita illorum favilla ac Oſſa a reliq Cineribus ſepararentur. Affirmationi hu ſpeciem veritatis concilient, adducunt ex locum. Verba vero ita ſonant: *Inventum eſt (linum) quod ignibus non abſumeretur vum id vocant ardentesque in focis convivi ex eo vidimus mappas, ſordibus exuſtis ſplen tes magis, quam poſſunt aquis. Regum funebres tunicae corporis fauillam a reliqu rant cinere.* Verum, ſi unum his obſta cerem, quod eiusmodi linum rarius ſit, que, nec vili pretio comparandum, facil refutati; cum dein etiam certum ſit, Plin. de certis Gentibus, inprimis autem de rum Rege affirmet, quod eo ſint uſi. Nec omnino meretur, quod alii de Amianto tradunt; huius enim fundamentum in Hi dum non invenio, vix aſſentior. Verius eſſe do, quod *Caſaubonus* et cum eo Kirchma

ſu

Digitized by Google

sum faciunt : Cadaver scilicet cremandum sic in pyra fuisse collocatum, ut cineres atque ossa separata manerent, neque aut ligni aut animantium, quae simul cremabantur, ossibus commiscerentur ; id quod confirmat Q. *Smyrnaeus in Descriptione funeris Achillei* L. III.

Δὴ τότε πυρκαϊὴν ὄϊνῳ σβέσαν· ὀστέα δ' αὐτῶ,
λίνετ' ἀριφραδέως, ἐπεὶ οὐχ ἑτέροισιν ὁμοῖα
ἄλλ' ὅια γίγαντος ἀτειρέος· οὐδὲ μὲν ἄλλα,
κείνοις ἐμέμικτο· ἐπεὶ βόες ἠδὲ καὶ ἵπποι
παῖδες Τρώων μίγδα κταμένοισι καὶ ἄλλοις
ἄπωθε κέοντο περὶ νέκυι· ὃς δ' ἐνὶ μέσσοις,
ἦ ὑΦ' Ἡφαίστοιο δεδμημένος οἷος ἔκειτο.

gitur modo positi in rogo cadaveris ossa, supererant, colligebantur, quem actum gium dicebant, et quicquid Cinerum indecuti et detergeri potuit, in urnam conditum est.

II. DE

Digitized by Google

DE MONTIS TAVNI VERO IN HASSIA SITV.

CHRIST. FRID. AYRMANN
PHILOS. ET HIST. PROF. PVBL. ORD.
GIESSAE 1723.

§. I.

PRae ceteris Germaniae magnae ſive Trans-Rhenanae montibus Romanis iam circa tempora Chriſti nati cognitum fuiſſe legimus montem Taunum. Cornelius Tacitus, diligens inprimis antiquitatis Germanicae indagator, in primo Annalium, quos ſub Traiano Imperatore ſcripſit, libro haec nobis ad annum Vrbis C. Varron. IↃCCLXVIII, quo Druſus et Norbanus coss. fuerunt, annotata reliquit. *Germanicus quatuor legiones, quinque auxiliarium millia, et tumultuarias catervas Germanorum cis Rhenum colentium Caecinae tradit, totidem legiones, duplicem ſociorum numerum ipſe ducit, poſitoque caſtello ſuper veſtigia paterni praeſidii in monte Tauno, expeditum exercitum in Cattos rapit, L. Apronio ad munitiones viarum et fluminum relicto... Sed Cattis adeo improviſus advenit, ut quod imbecillum aetate ac ſexu, ſtatim captum aut trucidatum ſit, iuventus flumen Adrianam nando transmiſerit, Romanosque pontem coeptantes arcebant. Dein tormentis ſagittisque pulſi, tentatis fruſtra conditionibus pacis, cum quidam ad Germanicum perfugiſſent, reliqui omiſſis pagis vicisque in ſylvas diſperguntur.* Caeſar

Digitized by Google

Caesar incenso Mattio (id genti caput) aperta populatus, vertit ad Rhenum, non auso hoste terga abeuntium lacessere, quod illi moris, quoties astu magis, quam per formidinem cessit. Fuerat animus Cheruscis, iuvare Cattos, sed exterruit Caecina, huc illuc ferens arma, et Marsos congredi ausos prospero praelio cohibuit. Alius eiusdem autoris locus occurrit Annal. libro XII, quem suo loco commodius recensebo. Ante Tacitum verò iam Pomponius Mela, * qui sub Tiberio Imp. scripsit, *altissimis* Germaniae *montibus*, qui quidem ista aetate cogniti Romanis fuerunt, Taunum annumerat. Pro Tauno quidem in veteribus libris *Taurum* occurrere observat Ortelius, ** sed dudum hoc mendum ab imperitis librariis profectum a Rhenano, et in recentioribus optimisque editionibus sublatum est.

* De situ orbis III, 3.

** Synonymia Geograph. sub voce Taurus.

§. II. Ad inveniendum autem verum montis Tauni situm prior inprimis Taciti locus modo a me allegatus conducit, quem ego propterea integrum adscripsi, et nunc ex ipsis historiae antiquae fontibus illustrabo. Ex quibus 1) id ante omnia hic loci breviter repetendum est, primum fuisse C. Iulium Caesarem, primum deinde Romanorum cum regia potestate Imperatorem, qui redacta in provinciae formam vicina Gallia, Rhenum transgredi, istasque in quibus commoramur, Germaniae regiones invadere ausus

ausus fuerit. Pedem tamen figere in iisde
haud potuit, contentus Germanicas, quae
Rhenum consederant, gentes 2) subiugas
quarum sedes postea per novos advenas ampl
catae, atque exinde Germaniae Cis-Rhenan
nomine insignitae, provinciisque Romanorum
et ipsi adeo Galliae, accensitae sunt. Idemq
Caesar consilium debellandi Germanos Tra
Rhenanos cepit successor eius in Imperio Au
stus, sed initio haud propitiorem atque ille
tunam expertus est, donec negotium illud
mandavit suo ex uxore Livia privigno Dru
fratri Tiberii, qui postea Imperator factus
natu minori, et Germanici Caesaris, qu
Tacito commemorari vidimus, parenti,
ipse est, a quo primum in monte Tauno
fidium collocatum fuisse eodem autore didic

1) Conf. Iul. Caesaris de bello Gall. comm
passim, Dio Cassius lib. XXXVIII et seqq.
tonius in Caesare et Aug. et alii plures.

2) V. c. Aduaticos, Tenchtetos, Vsipe

§. III. Scilicet Drusus, postquam
cis a se pariter et fratre Rhaetis Vindelicis
virtutem suam satis probaverat Augusto,
V. C. IↃCCXLII, ante Christum natum
cimo, adversus Germanos, qui conspirat
cum Gallis inita, provincias Romanorum
dere paraverant, missus, traiecto quater
et proximis tribus annis Rhenо, non solum
stes a Gallia prohibuit, sed etiam in ipsor
nibus bellum gessit 1). Ab eo praeter Vsi
Sic

Sicambros, Cheruscos, Suevos, et alios populos, victos pariter domitosque legimus Cattos, gentem his, quas nominavi conterminam 2), longoque et amplo terrarum tractu circa Lonum, Ederam, quae olim Adrana vocabatur, Fuldam, et vicina flumina incolentem, ultraque Visurgim, quo saltus 3) Hercynius, cuius in Cattis initium fuit, excurrit, ad Salam usque protensam, Rhenum quoque ab illa regione attingentem, ubi nunc est Comitatus Catimelibocensis inferior, et Moeno etiam contentam. Hic populus in complures pagos 4) vicosque distinctus fuit, quorum qui Romanis provinciis propiores plenius a Druso videntur cogniti 5) et subiugati, utpote qui aegre ad Visurgim in Cheruscos, tandemque ad Albim usque populando progressus, brevi post reverti in loca Rheno magis vicina necesse habuit, ubi mox etiam novis eius expeditionibus mors intercessit. Propiores autem inprimis ex Cattis reliquis Rheno Romanorumque provinciis fuere, qui Mattium 6) *caput gentis*, ut Tacitus appellat, incoluerunt, Mattiaci exinde nominati. Quorum sedes propterea haud absurde aliqui ab eo loco, ubi Marpurgum est, (quo nomine sive ipsum antiquum illud Mattium secundum eos, sive arx certe in Mattiacorum agro postea extructa, denotatur,) ad Rhenum usque extenderunt.

1) Vid. Dio Cassius lib. LIV. p. 543 seqq. et lib. LV init. Florus IV, 12. Livii Epit. CXXXVI et seqq. Vellei. II, 95. 97.

2) De finibus Cattorum ex scriptoribus allegatis potest statui, praes. quod distincti fuerint a Suevis.

Suevis. Conf. infr. Tac. Annal. XII. Quapropter sine dubio a vero aberravit Caesar, siquidem sub Suevorum nomine etiam Cattos comprehendit. Sed tamen in constituendis antiquorum Germaniae populorum finibus tempora diligenter distinguenda sunt, pro quorum diversitate etiam in illis magna deprehenditur saepe diversitas.

3) Saltus apud Latinos proprie vocantur montes, sive rupes vallesque longa serie continuatae, et superatu difficiles, nisi per artem apertiantur viae, neque semper innatas habentes sylvas. Hinc sylvosos vocat Liv. XI, 2.

4) Vid. Tac. Annal. I. locus allegatus.

5) Hinc non potest exacta Cattorum notitia ex horum temporum scriptoribus Romanis comparari, quae tamen insequenti etiam aevo saepe desideratur. Interim consulenda quae exinde collegerunt Cluverius, Cellarius, Hertius, Spenerus, aliique.

6) *Marcomiri* Ptolemaeus vocat II, 11. Caeterum coniecturam de Marpurgo suavem ingeniorum lusum appellat Lipsius in Comm. ad Tac. l. c.

§. IV. Ad hanc igitur sine dubio Cattorum partem pertinet, quod Dio Cassius 1) scribit, anno V. C. IↃↃↃXLIII Drusum *castellum in Cattis ad ipsum Rhenum collocasse*, quemadmodum paulo ante aliud *ad Luppiae et Alisonis fluviorum confluentes* posuerat, utrumque, sicuti ex eodem scriptore licet colligere, ut securus ab impetu hostili esset, tutumque exercitui in hostilem agrum excurrenti iter receptumque praestaret. Quem in finem potissimum a Romanis extemporaneas istas munitiones loco ut pluri-

plurimum a natura iam munito extructas esse novimus, istis praecipue in regionibus, ubi rarae admodum aut nullae erant munitae civitates, qualem inprimis Germaniam nostram ista aetate fuisse constat. Sed imponebantur quoque huiusmodi castella devictis gentibus, ut praesidium ibi collocari posset, quo illae in obsequio continerentur. Qualia etiam, subactis plane anno ab V. C. IↃCCXLIV et sequenti a Druso Cattis, non solum ut ante ad Rhenum, sed etiam alibi in eorum finibus extructa probabile est. Sane Florus 2) manifeste tradit, Drusum in devictarum *provinciarum tutelam praesidia atque custodias ubique dispositisse, per Mosam flumen, per Albim, per Visurgim, per Rheni quoque ripam quinquaginta amplius castella direxisse.* Haec inter castella vero, passim scil. per Germaniam Trans-Rhenanam dispositа, illud quoque fuit *praesidium*, ut a Tacito vocatur, quod Drusus in monte Tauno locavit, et cuius vestigiis Germanicus deinceps novum castellum imposuit, id quod ex sequentibus magis erit perspicuum.

1) Loco allegato. 2) Lib. IV, c. 12.

§. V. Druso itaque quemadmodum dixi in Germania defuncto, frater eius Tiberius 1) coeptum bellum pari et maiori adeo felicitate continuavit, magnamque Germaniae partem subiugavit. Cui dum impotentius Romani dominantur, Germani conspiratione ab Arminio excitata, iugum excutiunt, Romanosque intra antiquos limites compellunt. Tunc

itaque recepta et diruta sunt ista Romanorum castella, et illud quoque sine dubio in Tauno monte extructum, cuius ideo vestigia tantum ad Germanici aetatem perveniisse Tacitus annotavit, milites vero Romani aut trucidati, aut in servitutem abducti. Reparare quidem deinceps hanc cladem, et sarcire iacturam conatur Tiberius, sed contentus Rhenum muniviſſe, et ab eius transitu Germanos prohibuisse, Romam revertitur, ubi ad Imperatoriam provectus dignitatem, provinciam illam Germanico Drusi filio commendat. Hinc vero primo omnium latiori paullum coniectura potest colligi, Taunum montem utique non in Gallia, aut Germania Cis-Rhenana, sicut quibusdam visum est, sed in Germania Trans-Rhenana quaerendum esse, quoniam non possumus cogitando assequi rationem, cur tam brevi temporis spacio perierit castellum, in hoc monte cis Rhenum, in pacata provincia, et munitionum quoque interim adversus Germanos Trans-Rhenanos indigente, collocatum, ut vestigia tantummodo eius a Germanico inventa fuerint. Sed ex sequentibus, alteroque etiam Taciti loco, situs eius in Germania Trans-Rhenana manifestius constabit.

1) Vid. Dio Cassius lib. LV et seq. Suetonius in Aug. et Tiberio, Florus c. l. Velleius II, 97 et seqq.

§. VI. Germanicus igitur, compluribus vicibus transmisso Rheno, invasit Germaniam. Prima expeditio in annum V. C. DCCLXVII incidit,

Digitized by Google

dit, altera in proximum annum, de qua ab initio adscripsi locum Taciti, qui in hac historiae parte prae ceteris conferri meretur. Primus ut ex eodem constat traiectus in Rheno inferiori factus est cum altero Romanorum exercitu, quem sub legato A. Caecina illic, et praesertim in Vbiis, collocatum Germanicus invenit, cum alter sub C. Silio in superiori Rheni ripa commoraretur. Cum istis copiis postquam feliciter Germanicus Marsos, Bructeros, Vsipios, aliosque populos debellauit, in hiberna eas reduxit, iisdem sine dubio locis, unde eductae antea fuerant. His locorum dum in sequentis anni aestatem nouam expeditionem summo studio parat, statim initio veris tempus rei gerendae commodum nactus, *repentinum in Cattos excursum* suscipit, qui una cum ceteris Germaniae gentibus ab obsequio pristino erga Romanos recesserant. Caecina rursus cum suis legionibus et auxiliis Germanorum, qui cis Rhenum ad Romanorum prouincias pertinebant, 1) mittitur, Germanicus cum nouis copiis sine dubio a superiori Rheno reuocatis sequitur. Cum iam longius a Rheno progressus non procul ab Adrana flumine abesset, Catti demum de eo certiores fiunt. Vnde non obscure colligi potest, ex inferiori itidem, ut antecedenti anno, Rheni ripa, et Vbiis inprimis, ubi tunc temporis etiam sicut antea Caecinae legiones collocatae videntur, traductum esse exercitum. Et cum praeterea operam dedisse Germanicum appareat, ut ex improuiso Cattos adoriretur, non est probabile eum ex illa parte Rhenum traiecisse, ubi Cattorum fines attinge-

bat, et unde ſtatim adventus eius hoſtibus innoteſcere poterat.

1) Lipſius in Comment. ad Taciti locum all. Vangiones. Tribocos, Nemetes, Treveros, Nervios, et Batavorum partem interpretatur.

§. VII. Qua propter nullum eſt dubium, quin a Rheno inferiori exercitum Germanicus duxerit verſus eam Cattorum regionem, quae maxime vicina erat Romanorum provinciae, quam Mattiacos incoluiſſe docui, et quae non valde remota erat ab Adrana flumine. Caecina vel ſtatim ab initio traiectus, vel certe brevi poſt tempore, in vicinos Cattis populos movit, ex quibus Cheruſcos Tacitus nominat. Quos ubi huc illuc circumlatis armis prohibuit, quo minus Cattis auxilio venire poſſent, deinde cum Marſis proſpero ſucceſſu pugnavit. Germanicus vero ante quam fines Cattorum ingrederetur, in itinere invenit veſtigia paterni in monte Tauno praeſidii, quibus ille novum caſtellum impoſuit. Hic vero contextus narrationis videtur poſtulare, ut Taunum montem collocemus in Cattorum finibus, ea ex parte qua Romani eos invaſerunt. Quos quidem fines Rheno haud contiguos, ſed ab eo paulo remotiores, cis Adranam tamen, atque medios inter utrumque fluvium fuiſſe, partim ex ante dictis poteſt colligi, partim vero in ſequentibus uberius declarabitur. Vnde et illud ſequitur, Taunum in ripa Rheni, aut prope illam, quaeri cum quibusdam haud debere.

§. VIII.

Digitized by Google

§. VIII. Postquam igitur castellum a Germanico in monte Tauno collocatum scribit Tacitus, statim subiungit, quod *expeditum exercitum*, id est impedimentis in propinquo relictis vacuum, *rapuerit in Cattos*, qui tamen inopinato eius adventu territi trans Adranam flumen se receperint, quo nihilominus eos statim fuerit insecutus. Omnia, ut ex antecedentibus quoque apparet, fuerunt repentina. Non igitur probabile videtur, Germanicum in ripa Rheni inferioris, unde profectus erat, et quae tunc temporis etiam, utpote ab hostili agro longius remota, castello haud indiguit, tempus extruendo eo triviſſe, quin potius ut ex improviso hostes adoriretur, recta ad eorum fines contendiſſe oportuit. Hic vero ulterius progressuro opus utique castello fuit, primo ut impedimenta ibi asservaret, quae iter eius in regione montium saltuumque plena difficile et lentum reddere poterant, quae tamen nihilominus in propinquo, adeoque non procul ad ripam Rheni, debebant esse, deinde ut tutum eo, si quid adversi ipsi in hostili agro accidiſſet, receptum haberet. Collocavit itaque illud in monte Tauno, atque ad id perficiendum interea, dum in Cattorum finibus bellum gereret, probabile est eum Apronium quoque, de quo deinceps recurret dicendi locus, reliquiſſe. Mons autem ille propterea quoque non adeo remotus a Cattorum finibus esse potuit, quod pronus exinde Germanico fuit in Cattos excursus, quos etiam statim obvios habuit, et trans Adranam fugientes secutus est. Flumen vero hoc etiam

Digitized by Google

non procul a monte Tauno abesse potuit, nam alioqui Catti in vicinis montibus et sylvis salutem quaerere, quam flumen transnare maluissent, quorum prius etiam post, insecutis trans flumen Romanis, ab iis factum est. Sed omnino isthaec comprobant verba, quae idem autor annectit, ex quibus apparet, statim atque castelli fundamenta iacta, et expeditus exercitus in Cattos raptus est, quod propter festinationem et propinquitatem eodem fere temporis articulo accidere debuit, relictum a Germanico esse, eo ipso scilicet quo castellum inchoatum erat loco, L. Apronium *ad munitiones fluminum et viarum. Nam rarum illi coelo*, pergit Tacitus, *siccitate et amnibus modicis inoffensum iter properaverat*, (adeoque in itinere his rebus intentus esse haud potuerat,) *imbresque et fluminum auctus regredienti metuebantur*. Ex quibus verbis hoc efficitur, Germanicum, antequam ad montem Taunum et Cattorum fines perveniret, iam varia post Rhenum, a quo profectus erat, et ad quem rursus confecta expeditione *vertit*, flumina transiisse, variasque superasse vias, adeoque montem, de quo quaeritur, Rheno haud propinquum, sed longius ab eo remotum fuisse, quod tamen jam antea demonstravi.

§. IX. Porro a Germanico superato Adrana flumine, Catti sese sylvis et montibus abdiderunt, quos ille, insidias veritus, in quas iam saepius Romani, et nuper admodum Quintilius Varus, locorum ignorantia magno periculo et detrimento inciderant, non ulterius secutus est, sed

sed pedem eo retulit, ubi *aperta*, et magis cognita Romanis regio erat, in qua etiam procul dubio castellum de quo dixi extructum fuerat. Inde tamen mox, Cattis ut opinor vires colligentibus, vastato agro hostili, et incenso antea in ultionem acceptae superioribus annis a Germanis gentibus iniuriae Mattio, ad Rhenum exercitum reduxit, praesidio ut probabile est in monte Tauno relicto, (cuius metu forsan *non ausi sunt*, sicut Tacitus prodit, *hostes terga abeuntium lacessere*,) quod etiam sequentibus temporibus, quamdiu res ibi suas feliciter Romani gesserunt, servatum videtur. Sane sub Claudio Imp. illi adhuc praesidia sua trans Rhenum habuerunt, et aliquoties prospero successu cum Germanicis gentibus pugnarunt, variis ducibus, quos inter commemoratur Corbulo 1), quem Claudius invidia successuum adductus revocasse, *novamque adeo in Germanias vim prohibuisse* dicitur, *ut referri praesidia cis Rhenum iusserit*. Non tamen omnia statim omnibusque in locis sublata Romanorum praesidia videntur, praesertim cum Corbulo, ad quem illud Claudii mandatum potissimum pertinet, in ea saltem Germaniae parte, quae ad inferiora Rheni spectat, bellum gesserit.

1) Vid. Dio Cass. L. LX. p. 685. et Tacitus Annal. XI.

§. X. In Cattorum certe finibus eodem tempore Qu. Curtium Rufum cum legionibus, ut belli materiam quaereret, substitisse, et in agro Mattiaco specus quaerendis venis argenti reclu-

Digitized by Google

recluſiſſe legimus 1), tertioque etiam poſt anno, ab V. C. IↃCCCIII, ut ex Taciti Annal. XII colligo, Romani adhuc praeſidium in monte Tauno habuiſſe videntur. Qui cum negligentius ibi res ſuas agerent, Catti excurſionem fecerunt in Germaniam Cis-Rhenanam ſuperiorem, quam tunc temporis provinciam Romanorum fuiſſe, Nemetes, Vangiones, aliosque populos complexam, conſtat, ubi *latrocinia*, ut eiusdem auctoris verbis utar, *agitarunt*. Praeſidiis quoque haec Ro. provincia, et patrio etiam milite, eo tempore nudata ſine dubio fuit, ſiquidem auxiliares Nemetes Vangionesque in exercitu L. Pomponii commemorantur, qui tunc in Germania inferiori ut opinor commorabatur. In provincia profecto, quam hoſtes invaſerant, aut ſaltem in propinquo eſſe haud potuit. Sic enim ſtatim occurrere hoſtibus eam invadentibus potuiſſet. Jam vero, quoniam procul aberat, populationemque hoſtilem impedire haud poterat, ſtratagemate uſus eſt in hiſtoria iſtorum temporum non inuſitato, traiectoque Rheno, eodem fortaſſis quo antea Germanicus loco, miſit, qui fines Cattorum diverſis itineribus invaderent, hoſtique ex populatione revertenti obviam irent, ipſe cum toto exercitu ſolito itinere ad montem Taunum, quem in Cattorum finibus collocandum eſſe docui, profectus, hoc in loco, quem probabile eſt adhuc a Romanorum praeſidio cuſtoditum fuiſſe, caſtra locavit. Ita enim Tacitum explicandum eſſe puto, quem propter defectum plenioris narrationis, et neceſſario per coniectu-

ram,

Digitized by Google

ram supplendae, obscurum esse negari nequit, adeo ut Lipsius 2) narrationem parum cohaerere censuerit.

1) Vid. Tac. c. I. 2) Commentar. ad Tac. c. I.

§. XI. Locum adscribam, et uberius illustrabo, quoniam praesenti etiam instituto non parum inservire potest. *Iisdem temporibus in superiore Germania trepidatum adventu Cattorum latrocinia agitantium. Deinde L. Pomponius legatus auxiliares Vangiones ac Nemetes, addito equite alario, monuit, ut anteirent populatores*, (scil. Cattos ex provincia Ro. reversuros, *vel delapsis* (id est reversis iam) *improvisi circumfunderentur. Et secuta consilium ducis industria militum, divisique in duo agmina, qui laevum iter petierant*, (id est qui ab inferiori Rheno discedentes recta processerant, Cattorum fines, ubi Mattium erat, aut certe in vicinia, invasuri,) *recens reversos, praedaque per luxum usos, et somno graves* (utpote qui longius iam a Ro. provincia in patriam regressi nihil amplius hostile metuerent,) *circumvenere .... At qui dextris et propioribus compendiis ierant*, (id est qui ab inferiori Rheno versus superiorem, legendo ripam fluminis, in fines itidem Cattorum, qua Rhenum attingebant, contenderant,) *obvio hosti et aciem ausо* (utpote qui iam de Ro. expeditione certior factus ad aciem se componere potuerat,) *plus cladis faciunt. Et praeda famaque onusti* (utraque scil. levis armaturae militum a Pomponio

praemissorum pars,) *ad montem Taunum revertuntur*, (scil. ex hostili agro,) *ubi Pomponius* (eo insecutus) *cum legionibus opperiebatur, si Catti, cupidine ulciscendi, casum pugnae praeberent.* (Manifestum exinde fit Pomponium in finibus Cattorum constitisse, neque ad Rheni ab illis paulo remotioris ripam, unde profectus erat, revertisse, quippe quo loco stulte expectasset hostes, non temere eum longe ultra fines suos in alienam regionem secuturos. Adeoque novum hic locus argumentum suppeditat, ex quo colligamus, Taunum procul a Rheno in Cattorum finibus quaerendum esse.) *Illi metu, ne hinc Romanus, inde Cheruſci, cum quibus aeternum discordant, circumgrederentur, legatos in urbem et obsides misere.* Deducto vero deinde a monte Tauno exercitu, praesidium tamen diutius ibi relictum videtur. Sed quo anno illud insequenti aevo a deficientibus rursus Cattis expulsum fuerit, non nostrum est definire. Haec enim fere sunt, quae de isthoc monte ex ultima Germaniae antiquitate ad nostram memoriam pervenerunt.

§. XII. Iam dispiciemus, annon ex veteri historia cum inspectione locorum, quibus isthaec gesta constat, oculari collata hodienum satis probabili ratione indicare queamus montem, qui olim Romanis bene cognitus cultusque, ab iisque Germanorum procul dubio lingua Taunus appellatus fuit. De qua re recensitis antea diiudicatisque aliorum coniecturis, ad quas etiam in antecedentibus semel iterumque

Digitized by Google

que respexi, quid mihi simillimum vero videatur, exponam. Ac primo quidem fuerunt 1), qui eum in Gallica Romanorum provincia cis Rhenum, circiter XXV millibus passuum Moguntiaco, posuerunt eo in loco, ubi situs est mons, qui vernacula lingua vocatur *der Doresperg*. Quae opinio procul dubio exinde nata est, quod olim in aliquibus veteribus libris pro Tauno legebatur Taurus. Sed de hoc mendo statim ab initio dictum est, et qui cis Rhenum Taunum quaesiverunt, eos omnino ex ante dictis satis perspicue refutari posse existimo. Maiori cum specie probabilitatis Cluverius 2) Taunum in Germania Trans-Rhenana locavit ex adverso Moguntiaci, quo loco est mons qui lingua Germanica vocatur *der Heyrich*, et nonnullis *der Hoheruck* et *die Höhe*. Sed argumenta quae pro sententia sua idem vir eruditissimus attulit, non ita comparata sunt, ut his quae supra attuli anteferri mereantur. Quando enim scribit, per hunc montem necessario Germanico ad Adranam rectissimo itinere tendenti transeundum fuisse, probare antea debuit, non aliunde quam Moguntiaco proficisci eum potuisse, quod tamen facere nullo modo potuit. Porro hunc ipsum montem esse putat, de quo Dio 3) intelligendus sit, quando Drusum castellum in Cattis ad Rhenum extruxisse scribit. Non negari quidem potest, Drusum huiusmodi castellum condidisse, sed quod aliis quoque in locis complura castella ab eo collocata fuerint, satis superque a me ostensum est, quorum illud profecto,

fecto, quod in Tauno monte posuit, propter rationes in antecedentibus a me allegatas ad Rhenum haud potest quaeri. Addo et illud, quod ipse Cluverius testatur, nullum hodie in monte ab ipso designato vestigium inveniri, quod veteris castelli situm indicare et prodere queat. Qua propter et istud affirmari nequit, quod ab eodem autore traditur, Traianum quoque Imperatorem munimentum aliquod in monte Tauno extruxisse, quod dirutum deinceps a Iuliano reparatum fuerit. Distinguendae enim utique, ut historiarum monumenta propius intuenti apparebit, sunt hae munitiones ab illis, quae a Druso et Germanico Tauno impositae sunt. Hinc vero etiam facile est colligere, castellum Germanici, quod a quibusdam in tabulis Geographicis ex adverso Moguntiaci descriptum invenimus, non satis certo niti fundamento, et sive delendum, sive in castellum Drusi mutandum esse, siquidem ex Dione quem modo allegavi satis bene probari potest, castellum a Druso ad Rhenum in Cattorum finibus positum ex adverso Moguntiaci situm fuisse. Non ommittendus denique nobis est Ortelius 4), qui apud Cattos quaerendum esse Taunum ex Tacito collegit. Sed ex inde nondum de vero eius situ certe iudicari potest.

1) Vid. Cluverius Germ. antiquae lib. III. c. 7, p. 533.

2) Loco all. Cum Cluverio consentiunt Baudrandus, Cellarius Notitia orbis ant. lib. II, c. 5. et alii recentiores Geographiae vet. conditores.

3) Loco §. IV allegato.

4) Synon.

Digitized by Google

4) Synon. Geogr. voce Taurus. Vbi etiam mendosa Tauni scriptura deceptus suspicatur eum quaerendum esse inter Alpes, ubi multa sint loca, quae *Thaurn* vocantur.

§. XIII. Mihi videtur, non alium fuisse veterem illum montem Taunum, quam qui hodie appellatur mons Dyni, *der Dynsperg*, qui in Hassia superiori situs uno milliari Germanico ab urbe Giessa, tribus fere milliaribus Marpurgo, et ubi proximus est Rheno, novem ad minimum milliaribus ab eo distat, ac subiectas in circuitu in aliis montibus habet arces Solmensem, Koenigsbergensem, Ferzbergensem et Cleiburgensem, super quas tamen ille eminet, iisque impositus imperium quasi in vicinam regionem longe lateque exercere videtur. Hanc meam sententiam his omnibus, quae statim subiicientur, argumentis confirmatam iam literis mandaveram, cum in locum Geographiae medii aevi 1) a Christiano Iunckero compositae, qui antehac oculos meos fugerat, incidi, ex quo apparet, doctissimum hunc virum iam ante quam ea de re cogitarem, opinionem istam probavisse. Ad quam quidem amplectendam eum adductum esse didici sermonibus virorum in antiquitatibus Hassiae peritissimorum, cum quibus aliquando, cum regionem istam inviseret, versabatur. Eum quoque allegatum deinceps inveni a viro de historia Germanica, quam cultu elegantiori suscepit condecorandam, egregie merito Iac. Carolo Spenero 2), qui ipse tamen cum Cluverio sentire maluit, iam vero

pro

pro ſua in me voluntate ut ſpero in noſtram ire ſententiam haud gravabitur. Quamvis itaque inventionis laudem mihi arrogare nequeo, cuius adeo invidiam autoritate non parui inter eruditos nominis viri a me declinatam eſſe impenſe gaudeo, haud tamen poenitet coniecturam, ad quam digitum ſaltem alii intenderunt, latius expoſuiſſe, et ſufficientibus ad conciliandam illi maiorem quam ceteris probabilitatem argumentis confirmaſſe, quae etiam deinde ordine a me recenſebuntur.

1) *Anleitung zur mittlern Geographie* p. 150, ubi tamen ex Cellarii tabula autoris mentem non recte aſſecutus videtur.

2) Vid. Notitia Germaniae antiquae lib. II, c. III, p. 86.

§. XIV. Ac primo quidem nomina Dyni Taunique non adeo diſcrepant, ut nulla ratione conciliari, et origo mutatae pronunciationis et ſcripturae indagari queat. Nam quod ad literam initialem attinet, eius mutationis exempla paſſim occurrunt 1) Tauni porro vocabulum facile proximis a C. N. ſeculis mutari potuit in Danum vel Donum, quorum vocabulorum ſonum duriorem ut emollirent ſuo more medio aevo imperiti monachi, ſine dubio vocarunt montem Dianae, ſive Dionyſia ut Theonis, unde ortum nomen Germanicum *Dians-berg*, *Dionsberg*, et contracte *Dynsberg* 2), quod aliqui etiam in *Dinsberg*, et *Dünsberg* transformarunt. Quod ſi a ratione et uſu non eſt alienum, iam non amplius neceſſe habemus

in

in inveſtiganda vera vocabuli montis Dyni origine vana aut incerta ſequi, quod a multis viris alioqui pereruditis factum eſt 3), quorum alii nomen monti impoſitum ferunt a Sancto Dino vel Dionyſio, alii a Diana, quae ibidem culta fuerit, alii ita dictum putant, quaſi *Dienſtberg*, a ſervitiorum in his locis frequentia et gravitate, vel *Düinſtberg*, ab exhalationibus crebris 4), quae in eo monte obſervantur. Haec enim et ſimilia cum nullo plane fundamento inveniantur ſuperſtructa, rectius hodiernum montis nomen derivamus ab antiquo vocabulo, quod unde originem traxerit, ignorare malo, quam temerarias afferre coniecturas.

1) Ita Teutonem noſtra lingua reddimus *einen Deutſchen*, Thuringum *einen Düringer*, Theodoricum *Dietrich*, etc. Quanquam ſint, qui literas Latinorum retinendas eſſe cenſeant, refragante licet pronunciatione.

2) Sic fanum S. Dionyſii in Gallia vernacula lingua vocatur S. *Denis*, villa Theodonis in Belgio *Diedenhoven*, etc. Imo qui circa montem incolunt ruſtici hodieque eius nomen pronunciant, quemadmodum et Dionyſii, *den Doingesberg*.

3) Vid. Winckelmanni *Beſchreibung von Heſſen*, p. 36.

4) Sed exhalationes in aliis quoque montibus obſervantur.

§. XV. Succedit nunc alterum et firmimius quodammodo priori argumentum, quod ſitus montis Dyni ita comparatus eſt, ut non alii magis convenire videantur, quae Tacitus de

de Tauno monte retulit. Ad eum enim sese his de quibus locutus sum temporibus sine dubio extenderunt Cattorum sedes, et quamvis aliquando plus ultra excurrere soliti fuerint Catti, recte tamen in finibus eorum mons ille situs dici poterit, quoniam fines Germaniae populorum ista aetate non sicut hodie certis terminis definiti et quasi circumsepti erant, sed instabiles admodum, nec, nisi aliquando a natura, contra externam vim muniti, ac propterea pro fortuna gentis modo contracti, modo longius prolati. Versus septentrionem vero, qua Luppia fluit, (quam hodie Lippiam vocamus,) Drusi aetate ab ista Cattorum regione incoluere Sicambri, qua vero Visurgis labitur Cherusci, quemadmodum ex historia istius aevi constat 1). Porro Edera, sive ut olim appellabatur Adrana, flumen in Cattorum finibus situm circiter quinque milliaribus Germanicis a Dyni monte distat. Denique ex Dione 2) colligimus, Drusi aetate inter Cattos, Sicambros, Vsipetesque, sive Vsipios, usque ad Rheni ripam, Luppiae et Loni confluentibus interiectam, habitasse diversam ab istis gentem, sociam Romanorum et amicam, ad quam se post alteram, de qua in superioribus dictum est, in Germaniam expeditionem recepit Drusus. Fuerunt illi procul dubio, quos Tacitus 3) Iuhones appellat, et post Germanici adhuc aeratem *sociam* Romanorum *civitatem* vocat, quos viri eruditi circa Segum flumen, quod hodie Sigena appellatur: ad oppositam Vbiis, qua Colonia Agrippinensis cernitur, Rheni ripam locant. Sed non dubito quin corrupta sit

apud

apud Tacitum per librarios ſcriptura, et ſcriptorum codicum ope cum Nic. Heinſio Vbiorum nomen in Iuhonum locum ſubſtituendum ſit. Vbios enim, quanquam in Galliam receptos, trans Rhenum tamen etiam, ubi antiquae eorum fuere ſedes, iſto aevo ſeſe extendiſſe puto, donec fortunam ſecuti Romanorum, Germania plane exceſſerunt. Eosdem Vbios quoque in agri Sicambrorum partem ſucceſſiſſe, adeoque fines ſuos longius verſus Cheruſcos protuliſſe exiſtimo, cum non longo poſt Druſi obitum tempore Sicambri cum parte Cattorum in Galliam translati, et prope Vbios, ſive in ipſos potius eorum agros collocati fuere. Hinc vero nova Tacito aliisque eiusdem generis ſcriptoribus lux affundi poteſt.

1) Dio Caſſius lib. LIV ita ſcribit, *Druſus Rhenum tranſiit, Vſipetes ſubiugavit, Luppiaeque fluminis ripis ponte iunctis, in Sicambros irrupit, perque eos in Cheruſcorum regionem usque ad Viſurgim proceſſit.* Subiungit porro aliqua de expeditione Sicambrorum in Cattos propter denegatam contra Ro. opem ſuſcepta, unde vicinitas harum gentium ſatis perſpicitur. Conf. etiam ſcriptorum loca ſupra allegata.

2) Citato loco. 3) Annal. XIII.

§. XVI. Ex hac enim oppoſita Vbiis gente procul dubio Druſus poſt alteram in Germaniam expeditionem in Rheni ripa Moguntiacum verſus progreſſus, in finibus Cattorum caſtellum poſuit. Ex ea tertia et quarta expeditione Cattos finitimasque gentes debellavit ac ſubegit. Hinc rectum et proximum maximeque commo-

dum habuit iter ad montem Dyni, in confinio, ut cuncta suadent, harum omnium, quas supra nominavi, gentium situm, cui propterea ceu speculae in hunc locum a natura erectae praesidium imposuit. Ex eadem quoque gente Germanicus deinde, eodem usus itinere, per varias vias, variaque flumina exercitum in Cattos duxit, paternoque in monte Dyni praesidio renovato fines eorum ingressus, Mattium primo gentis caput, eo in loco ubi Marpurgum cernitur situm, invasit, hinc vero fugientes insecutus trans Ederam flumen, ubi in locorum angustias, saltusque et sylvas delatus, quae regionis huius gnaris ignotae esse nequeunt, eodem quo venerat itinere Mattium, eoque incenso, et vastatis *apertis*, qualia in vicinia montis Dyni ipse quoque Cluverius 1) agnovit, ad Rhenum retrocessit. Ex eadem gente Caecina proximos tunc post deductos Sicambros Cheruscos aggressus est, ex eadem Pomponius Cattis ex superiori Germania Cis-Rhenana cum praeda redeuntibus obviam ivit, et castra ad montem Dyni locavit, hinc denique insultum Romanorum, ex altera parte Cheruscorum, veriti Catti pacem petierunt. Haec ita cum mente conveniunt Taciti, ut si alio in loco, quam qui indicatus a me est, et praesertim ex adverso Moguntiaci Taunum montem collocemus, universa narratio difficilis et obscura fiat.

1) Loco cit.

§. XVII. Quodsi quis sensui plus quam rationi tribuit, oculis hodieque intueri potest

in

Digitized by Google

in monte Dyni vestigia antiquissimi Romanorum castelli. Testes sunt vetustatis, quibus mons ille obsitus est, sylvae et ferae bestiae, tum ingentia robora et annosae quercus, dudum maiorum aetate celebratae. Quae cuncta non unius alteriusve, sed complurium seculorum opus esse oportet. Horum vero omnium aetatem longo superare intervallo munitiones debent, in quarum ruinis ista postea enata esse cernimus. Quanquam omnino arboribus montem illum Romanorum aevo vacaviſſe simpliciter affirmare nolim, utpote quarum usum ipsis in extruendis castellis tantum fuisse constat, ut aliquando earum defectus valde desideratus fuerit. De castellis autem Romanorum iam quaedam in superioribus annotata sunt, nunc de forma inprimis eorum et peculiari ipsis ista aetate muniendi ratione aliqua adiicienda videntur, ut expensis ad haec dicta his, quae in monte Dyni conspicimus, cuivis appareat, a Romanis utique has munitiones profectas esse, non ut aliqui existimarunt ab antiquis Cattis excitatas, qui ante Romanorum in Germaniam adventum castella et arces tanquam periculosa libertati aversati sunt, neque, si recte memini, postea externum muniendi morem unquam accurate expressisse inveniuntur. His certe de quibus sermo mihi fuit temporibus neque arces, nec castella habere, neque omnino arte excultam muniendi rationem tenere potuerunt, propterea quod eos, invadentibus eorum fines Romanis, in sylvas et montes auffugisse, illisque populandi aperta et opida incendendi locum dediſſe legimus, quos

tamen extructis arcibus et castellis facile a finibus suis prohibere potuissent. Sed quid opus est verbis, cum satis superque constet, antiquis Germaniae populis saltus sylvasque et paludes pro fortissimis fuisse munimentis. Quod si ad Francos, aut recentiora his tempora, munitiones montis Dyni referre velimus, ratio perspici nequit, cur non muri potius et turres in eo, satis materiae ipso suppeditante monte, extructae fuerint, quod ista aetate usitatum innumera quae hodieque extant exempla comprobant, quorum tamen nulla in monte Dyni vestigia deprehendimus. Quinimo quod istis temporibus nullam arcem huic monti impositam cernimus, quales tunc in vicinis collibus coeperunt extrui, argumento est, iam medio aevo hunc montem sylvis, una cum subiecta regione, obductum fuisse, quae tunc forsan propterea dimissae sunt, quod in vicinia hominum labor satis quod quaereret inveniret.

§. XVIII. Quod vero ad castella Romanorum attinet, ipsum eorum nomen indicat, quod eo quaedam parva seu minora castra designentur. Quapropter qui Romanorum castra muniendi rationem tenuerit, is etiam nullo negotio de castellis poterit iudicare, utpote quae istorum species quaedam fuerunt. Castra autem in genere a Romanis vocabantur loca, in quibus exercitus ex urbe eductus solebat consistere 1), sive munita illa essent, sive minus. Vnde mos ortus, iter exercitus per castra dimetiendi. In specie vero castra denotabant mansiones

siones exercitus vallo fossaque communitas. Castra scilicet necessario munienda erant, quando in hostili agro consistebat exercitus, impetusque hostium metuendus erat. Propter quam necessitatem quoque Romani non primi quidem autores muniendorum castrorum esse potuerunt. Hoc tamen negari nequit, rationem illam a Romanis diligentius quam ab aliis gentibus excultam esse, adeoque apud eos inveniri, quae ipsis tanquam peculiaria debent tribui. Ac primo quidem 2) delecto castris loco ut plurimum plano, in medio fere spacium maxime opportunum duci exercitus eiusque familiae relinquebant, ubi praetorium collocabatur. Deinde in circuitu disponebant convenienti ordine milites. Qui ut iniurias aeris tempestatisque facilius perferrent, siquidem per hiemem in castris manendum esset, quod aliquando factum esse legimus, pro tentoriis tabernacula coeperunt erigi, ex tabulis 3) ligneis concinnata pellibusque contecta. Denique his omnibus vallum et fossa circumducebantur, in quibus conficiendis singulare plane Romanorum studium cernimus. Figura ordinarie, et plano inprimis loco, erat quadrata, aliquando tamen ad regionis naturam accommodata, et vel oblonga, vel trigona, vel semirotunda, aut lunata.

1) *Castra sunt, ubi miles steterit.* Isidor. Orig. IX, 3. unde et vocabulum Stativorum.

2) Vid. Excerpta ex Polybii libro VI, Vegetii institutiones rei milit. Hygini Gromatiqum etc. et historicos Ro. passim.

3) Vid. Festus in voc. Tabernacula.

Digitized by Google

§. XVIIII. Initium muniendi fiebat a fossa, ex qua in eam, ut vel ipsa persuadet ratio, partem 1) egerebatur terra, quae tentoriis erat proxima, quae inter fossamque spacium ut plurimum ducentorum pedum relinquebatur, ut teli vel ignis iactus ad ea haud pertingeret. Ex egestae terrae maiori quantitate vallum extruebatur, muri instar futurum, minus latum altumque, si ex cespitibus in similitudinem laterum formatis posset coagmentari, latius vero et altius, si ex solutiori terra conficiendum esset, quae quidem intra sepes ex virgultis hinc inde contextas compingebatur. Reliquum effossae terrae aggerebatur vallo, quem aggerem proprie vocatum esse constat 2). Valli fossaeque altitudo ac latitudo in castris pro instantis periculi magnitudine aut levitate diversa fuit, eademque fere fuit valli ac fossae latitudo, sed maior tamen huius quam illius altitudo, item utriusque maior semper fuit latitudo quam altitudo. Ita si vallum tres pedes altum fuerit, fossa memoratur alta pedes septem, si illud quatuor, haec duodecim, si illud decem, haec quindecim, et sic porro, item si fossa lata fuerit pedes quinque, alta eadem erat pedes tres, si lata novem, alta erat septem, si duodecim, novem, et sic porro. Ex vallo castra tuebantur milites, ubi, ut partim a telorum iactu immunes agerent, partim vero difficiliorem hostibus castrorum expugnationem redderent, praefigebant in eo acutos stipites, sive sudes, vel tribulos ligneos 3) eum in finem ab ipsis evelli ac portari solitos, qui valli proprie vocabantur,

tur. 4). Porro aliquando, in obsidionibus inprimis urbium, in vallo certis intervallis erigebantur aggestus, turrium habentes speciem, quos inter balistae, catapultae, et similes machinae ponebantur. In obsidionibus quoque urbium aliquando vallo fossaeque non longe ultra teli iactum aliam non multum dissimilem munitionem obductam legimus, quam loricam, seu loriculam appellarunt, quae hostium in primarium vallum impetum sisteret et arceret. Denique extra hunc casum etiam ad maiorem securitatem castra duplici vallo fossaque circumdata invenimus 5).

1) Lazius, Rosinus, et alii, intra vallum fossam factam existimarunt. Mecum consentiunt Lipsius de Militia Ro. aliique.

2) Isidorus Orig. XIV. *Agger proprie dicitur terra aggesta, quae vallo facto propius ponitur.*

3) Sive palos, unde vocabulum *Palliſaden.*

4) Vid. Isidor. Orig. c. l.

5) Vid. Ammianus Marcell. l. XXIV.

§. XX. Simili vero ratione etiam ordinarie castella Romanorum instruebantur, quanquam maiori studio munita fuisse probabile sit, utpote quae minori quam castra spacio comprehendebantur. Hinc maior in illis sine dubio et altitudo et latitudo valli fossaeque fuit, quam quae ordinarie in castris cernebatur. Hinc duplex vel triplex et vallum et fossa esse potuit. Extruebantur autem castella aliquando in obsidionibus urbium ad praesidium castrorum, et valli inprimis obsessis urbibus circumiecti 1).

Digitized by Google

De quo non praetereundus est Ciceronis locus 2), meam quoque de differentia castri et castelli sententiam comprobans. Is postquam describere instituit obsidionem Pindenissi, urbis *altissimo et munitissimo loco sitae*, *vallo*, ait, *et fossa circumdedi*, *sex castellis castrisque maximis sepsi*. Alios castellorum usus in superioribus exposui. Vt plurimum vero in limitibus provinciarum Romanarum, qua hostilis incursus metuebatur, collocabantur locis inprimis editioribus, quales tumuli et montes, tum vero ad confluentes, aut ripas fluminum, et si qua praeterea ratione locus a natura praemunitus deprehendebatur. Hinc vero etiam non unam et simplicem, sed multiplicem castellorum fuisse figuram, colligi potest. De cetero in eorum medio et summo inprimis loco praetorium erigebatur, circa illud vero tabernacula militum, et quae praeterea in castris usui erant, collocabantur. Haec castella quoniam ad praesidium ut plurimum provinciarum Rom. pertinebant, milites qui in illis excubabant praesidiarii, ipsa vero uno verbo praesidia appellabantur. Quod vocabulum non solum apud Tacitum loco ab initio allegato, sed apud Livium quoque aliosque scriptores veteres occurrit. Militibus aut ex provinciis Ro. aut hostili agro commeatus subministrabatur. Praefectos ipsis legimus centuriones et alios, numerum vero militum aliquando ad aliquot millia ascendisse, ut plurimum vero paucis solummodo centuriis constitisse invenimus. Quapropter et magnitudo castellorum diversa esse debuit. In quibus, ut

hoc

hoc obiter addiciam, turres aliquando altae ex lapide aedificatae sunt, quae ipsis in plano inprimis collocatis loco speculae, quam alibi montes praestabant, fuisse videntur.

1) Quemadmodum hodieque in *Circumvallationum lineis* eriguntur *Reductus*.

2) Epist. ad Famil. IV. lib. XV.

§. XXI. Nunc ad montem Dyni nos conferamus, et dispiciamus, annon vestigia in eo propriae priscis temporibus Romanorum artis possimus deprehendere. Sed initio quid aliis hac de re visum fuerit exponam. Primus, qui hanc in sententiam aliquid memoriae prodidit, occurrit mihi Conradus Dietericus, qui initio superioris seculi Professor Giessensis fuit, frater Ioannis et patruus Io. Conradi in eadem academia Professoris. Ita vero ille 1), *arx*, ait, *in monte hoc non habetur, conspiciuntur tamen in summitatis eius circuitu fossae aliquot profundissimae et latissimae, quae antiquis retro seculis illic extructi castri rudera sunt certissima, e quibus veteres Catti Romanorum aliorumque hostium vim et incursiones repressisse non obscuris indiciis multi colligunt.* (Sed quomodo his occurrendum sit, in superioribus ostendi.) *Quanquam et debellatis Cattis praesidium hic suum Romanos ad compescendum eorum impetum collocasse alii verius autumant.* Eadem fere ex eodem narrat strenuus alioquin Hassiae antiquitatum indagator Winckelmannus 2), quibus ex inspectione oculari haec adiungit Excellentissimus

mus vir, Dom. D. Liebknecht, Collega et Fautor aestumatissimus 3), *fossas* scilicet ibi inveniri *tres quasi gradatim positas, a Romanis fortassis, qui debellatis Cattis hic suum praesidium contra Cattorum impetum collocarint*, quae quidem fossae *ad eundem fere modum paratae appareant, quo hodie contra hostium insultus ductus illi, vulgo* die Linien, Abschnitte *dicti, formentur.* Ab illis vero, qui Cattos veteres hic arcem habuisse putant, propterea dissentit, quod vestigia eius nulla inveniantur, *et lapides adiacentes rudes admodum sint, et ex eorum numero, qui ipsum montem constituant, neque unquam architectorum manum experti sint.*

1) Institution. Orat. p. 64.
2) Libro §. XIV. allegato.
3) In Discursu de diluvio max. c. II. §. 33. p. 191.

§. XXII. Sed exactiori montis descriptione opus est, ut cuivis etiam harum re[illegible] num ignaro id quod initio proposui manifes[illegible] fiat. Ac primo quidem haud procul a rad[illegible] bus eius consistenti non solum insignis appar[illegible] altitudo, sed etiam tanta acclivitas, ut [illegible] nisi via in circuitu angusta, sensimque per [illegible] num artificis in summum erecta, ascens[illegible] teat, ad quam ex ea quoque parte, qua G[illegible] itur, dorsum aliquod contigui clivi a[illegible] maximam partem angustum, et a medi[illegible] montis ad subiectam usque planiciem prore[illegible] Ceteros montis aditus etiam saltus hodie [illegible] vosi claudunt, quos super tamen ille longe e[illegible]

Digitized by Google

net, adeo ut non aptior caſtello locus inveniri potuiſſe videatur. Figura eius conicae proxima eſt, ipſe vero mons totus ex ſtratis lapidum, coloris varii conſtat, qui tamen facili negotio confringi et imminui poſſunt, adeoque ad extruenda aedificia non ſatis idonei ſunt, maiorem vero conficiendae calci, quod iam diu conſuetum legimus, uſum praeſtant. In vertice montis planicies cernitur paulatim verſus praecipitium eius depreſſa, in cuius ambitu, qui circulum refert, et mille circiter paſſibus abſolvitur, primum deſcendenti occurrit foſſa viginti circiter paſſus lata, minus vero alta, ac praeterea ita comparata, ut deſcenſus ad eam haud ſit difficilis. Ad huius porro extremitatem ex egeſta exinde terra, lapidibus quibus mons componitur imminutis commixta extructum conſpicimus vallum, inſigni latitudine, firmitate et altitudine, quae etiam perfectiſſimi viri menſuram longe ſuperat, ad cuius ſummum tamen exinde facilis eſt aſcenſus. Huic vallo, quod mirum videtur, ingentia ſummaeque vetuſtatis robora innata cernimus, quibus et tota montis planicies oppleta eſt, exceptis foſſa viisque, quibus ad eam deſcenditur, tum ſpacio in medio eius vacuo relicto. Hoc vallo, tanquam muro circino quaſi circumducto, univerſa planities ita cingitur, ut interiora omnia quondam a teli aut ignis iactu tuta fuiſſe, et ne conſpici quidem ab hoſtibus infra ſubſiſtentibus potuiſſe neceſſe ſit.

§. XXIII.

§. XXIII. Haec vero superiora montis intuenti nulla relinqui potest dubitatio, quin hic loci quondam praecipuum aliquod Romanorum castellum fuerit. Sed muniendi ratio ad praesentis montis naturam accommodanda fuit, adeoque ab ordinario castrorum castellorumque in plano sitorum modo non nihil discrepare debuit. Vallum certe hic, tanquam primarium Romanorum munimentum, castello circumductum manifeste agnoscimus. Pro fossa vero illi mons ipse fuit, cuius exterior et naturalis acclivitas, arte quoque ut deinceps dicetur adiuta, plus etiam quam fossa ordinaria castello in plano sito praestitit, vallumque omnino ab hostium insultu tutum servavit. Interior enim fossa non illa ipsa est, cui in castrorum munitionibus proprium hoc nomen erat, sed partim hunc in finem facta est, ut ex materia inde egesta vallum posset confici, partim ut in loco inaequali commodam primariamque castris viam praeberet, per quam quae usui erant inveherentur, tum quoque introitus exitusque pateret militibus, qui extra vallum ad defensionem castelli excubabant. Cuius rei causa ordinarie in castris spacium intra vallum et tentoria relictum fuisse supra ex Polybio exposui, latius quidem, cum ignis aut teli iactus metuendus erat. Quod hac fossa, seu via potius, continetur spacium, planiciem uti dixi refert, quae sensim a fossa versus interiora attollitur, cuius medium fere aream studio aequatam exhibet, in qua, tanquam loco castelli maxime conspicuo, quin praetorium collocatum fuerit dubitari nequit.

Digitized by Google

quit. Inveniuntur enim hic adhuc selecti de monte, et maximam partem quadrati, quasique politi lapides, quibus aream praetorii a Romanis sterni solitam fuisse aliunde constat. Neque dubium est, quin plures Romanae antiquitatis reliquiae inveniri possint, si quis fodiendi laborem subire voluerit. Praeterea huic loco bene conveniunt, quae Polybius de spacii praetorio destinati mensura scribit: *Signo posito, mensuram definitam esse circum id signum quadratum spacium, sic ut omnia latera a signo centum pedes abfuerint.* Quanquam rotundum hoc in nostro castello spacium, qualis exterior quoque eius figura fuit, et contractius paulo fuisse probabile est. Circa hanc aream ad fossam usque sine dubio dispositа fuere tabernacula praesidiariorum militum, quorum non parvus numerus ad tutelam castelli necessarius illis comprehensus esse debuit.

§. XXIV. Ex fossa, de qua locutus sum, versus inferiora descensus ex castello satis commodus patet per aperturam valli circiter decem passus latam, ubi procul dubio praetoria fuit porta, quam Lipsius 1) aeque latam fuisse existimat *ac vias, scilicet pedes quinquaginta*, ad facilem iumentorum introitum et excursum. Porta hac exeunti statim aperitur via in circuitu montis arte facta, tantumque intra superius vallum depressa, ut nullus exinde in istud hostium impetus, aut aliquid simile, ad quod avertendum duplicata in castris aliquando valla, aut loricam vallo praeductam fuisse docui, metuen-

tuendum fuerit. Supra quam demtum etiam et abscissum aliquid de monte videtur, ut magis praeceps, quam a natura factus erat, mons superior esset. In huius viae, quam aliqui fossam in monte alteram vocare malunt, extremitate vestigia item apparent valli, multo minus tamen lati altique quam in cacumine montis conspicitur. Pro fossa huic vallo proprie sic dicta itidem ut superiori fuit exterior montis acclivitas. Hoc procul dubio praecipue illud fuit vallum, in quo, succedentibus forte ad castellum oppugnandum hostibus, milites praesidiarios ad eius defensionem stare oportebat, praefixos in eo habentes vallos, et quae fieri opus erat curantes, siquidem in eodem etiam hinc inde aggestuum documenta extant, in quibus turres, quae passim in castris per valla disponebantur, extructas fuisse probabile est. Similium vero munitionum plura quoque in monte, qua facilior hosti ascensus fuit, vestigia occurrunt, de quibus eadem, quae de caeteris observavi, tenenda sunt, unde etiam hoc evenit, ut alii plures duabus fossas in monte numerarent. Denique subiecta huic monti planicies et commodus loci situs dubitare nos haud sinunt, quin castra quoque Romani hic aliquando habere potuerint. De quorum tamen munitionibus, quarum tenuia valde vestigia monstrari possunt, non ausim certi aliquid affirmare. Neque tamen propterea, quod magis expressa in monte munimenti Romani signa occurrunt, rem plane negare velim. Quod enim diutius hic illa iniuriis aeris et tempestatum resistere potuerunt,

runt, in causa est soli qualitas, quod propter commixtos terrae crebros lapides firmius solidiusque in monte quam in subiecto ipsi campo esse debuit. Sed haec nisi me omnia fallunt, sufficere possunt ad id quod institui probandum, munitiones scilicet montis Dyni ad Romanos autores esse referendas.

1) De militia Ro. lib. V.

§. XXV. Quae hactenus de castello a Romanis in monte Dyni extructo, tum de narratione Taciti cum eiusdem situ congruente, exposui, magis probabilia reddentur, si consideremus, quod plurimi recentioribus temporibus Romanorum numi prope hunc montem reperti fuerint, primorum Imperatorum Romanorum vultus et titulos referentes, quales hodieque non raro inveniri accolarum fide discimus, qualium etiam, qui in ipso monte reperti dicuntur, tres mihi dum haec scripsi oblati sunt, id quod manifesto est indicio, a Romanis plus simplici vice hanc regionem frequentatam et obsessam quasi fuisse. Eorum vero quos in monte Dyni repertos retuli numorum unus argenteus minimi moduli Domitiani Imperatoris faciem et inscriptionem refert, alter ex aere minimo, ut ex vultu et literis vetustate corruptis colligo, Valentiniani. Vnde probabile fit, Romanos sub his quoque Imperatoribus in hoc monte fuisse, ibidemque adhuc praesidium habuisse. Domitianum certe in Cattorum finibus bellum gessisse, et de illis triumphasse ex Eutropio discimus L. VII, c. XV, Valentinianum vero Saxo-

Saxones, *gentem in Oceani litoribus et paludibus inviis sitam, eruptionem magna mole meditantem, in ipsis Francorum* (qui tunc veteres Cattos complectebantur,) *finibus oppressisse* scribit Orosius lib. VII, c. XXXII. Tertius numus est argenteus itidem moduli minimi Consularis, exhibens in una fronte hanc inscriptionem,

C. MAMILIVS LIMETAN.

cum figura Vlyssis Homerici, in altera vero vultu Mercurii cum caduceo et pinnato galero, adscriptaque supra caduceum litera E. Qualem numum, pro unica tantum litera E aliam referentem, post alios descripsit Pighius Annal. Rom. T. II, p. 490. Hoc praeterea numus de quo loquor singulare habet, quod limam in circuitu per certa intervalla expertus, dentatus quasi, sive serratus conspicitur, quales raro admodum in his regionibus effodiuntur, non aliam fortassis ob causam, quam quod ipsi Germani hanc pecuniae Romanae formam prae ceteris amarunt et servarunt. Ita enim Tacitus de moribus Germanorum scribit, *Formas quasdam nostrae pecuniae agnoscunt atque eligunt. Pecuniam probant veterem et diu notam; Serratos Bigatosque. Argentum quoque magis quam aurum sequuntur.* Ex quo loco, ut hoc obiter notem, apparet per Serratos Bigatosque numos tales esse intelligendos, qui indubiam isto aevo vetustatis ac probitatis notam adiectam habebant; quarum notarum primam egregie explicavit Lipsius in Comm. ad Tac. l. c. Scilicet ex Ro. audierant Germani, veterem pecuniam, utpote

ex

ex argento puro conflatam, optimam esse, eoque magis per falsarios adulteratam, qui alii viliori materiae obducere argentum veterum more signatum soliti fuerant, porro Romanos, ut ex Tertulliano probavit Lipsius, consueviſſe diligenter examinare numos; *ne ſcalpti*, *neve raſi*, *et ne adulteri* eſſent, certamque huius rei habuiſſe notam. Prius vero ex oculari numi inſpectione innoteſcebat, ad poſterius cognoſcendum lima neceſſaria erat, quam etiam aliquando noſtri aurifabri adhibere ſolent. Exiſtimo igitur numos non ſtatim ab initio, dum cuſi fuere, limae ſubiectos et ſerratos, ſed inſequentibus demum temporibus publica etiam autoritate id factum eſſe, orta inter mercatores de fraude ſuſpicione. Non enim alium in finem lima eo modo, quem in his qui extant hodie conſpicimus numis, applicata eſſe potuit, quam ut interior eorum ſubſtantia oculis ſubiiceretur. Quod ſi dicas ſtatim ab initio eum in finem hoc factum eſſe, ne ſcalpi aut radi numi poſſent, rationem non video, cur non quilibet abraſo numo ſimiles ut antea notas inprimere potuerit, neque cogitatione poſſum aſſequi, quomodo hac ratione finis ille obtineri potuerit. Quoniam itaque ſerrati numi interiorem ſui ſubſtantiam, bigati autem vetuſtatem cuivis primo ſtatim obtutu conſpiciendam praebuerunt, ideo non Romani ſolum, ſed illorum exemplo etiam Germani eos prae ceteris probarunt. Hic vero de quo ſermo mihi fuit humus ſine dubio cum magna ſimilium quantitate in has regiones advectus eſt, ut Germanis mitteren-

tur, quorum civilia bella Romanorum pecunia adiuta aliquando fuisse novimus, et a quibus Hadrianum aliosque pacem pecunia redemisse legimus.

§. XXVI. Plures vero prope montem reperiuntur numi. Omissis reliquis, qui passim asservantur, unum praecipue ex aere mediocri commemorabo, quoniam coniecturam a me in superioribus allatam magis confirmat. Possidet illum cum pluribus aliis aequus et peritus talium arbiter Dom. D. Liebknecht, testatus non procul a radicibus montis repertum fuisse. Exhibet autem prima eius frons Claudii Imperatoris faciem, cum inscriptione in aliis quoque compluribus eius numis usitata, cuius tamen principium et finis ab aerugine, indubia vetustatis nota, erosa sunt. Illa vero talis est,

TI. CLAUDIUS CAESAR AUG. P. M. TR. P. IMP. P. P.

Altera numi frons Palladem sistit consueto ornatu, clypeo tamen et hasta ad ictum infligendum excipiendumque compositis, cum duabus in utroque latere literis, S. C. Idem plane numus Claudii cum iisdem verbis et literis occurrit apud Patinum, 1) sed circa Palladem haec praeterea inscriptio adiecta est,

IMP. T. VESP. AUG. REST.

Non necesse habeo hic loci copiosius investigare, quid occasionem cudendi numum Claudio dederit, ubi hoc unicum probabili ratione de mon-

Digitized by Google

monſtraſſe ſufficit, numos Claudii rerum ab eo geſtarum memoriam conſervantes ab eius ſucceſſore Nerone abolitos, a Tito vero Veſpaſiano in honorem Claudii reſtitutos eſſe. Propter ſolam enim numorum raritatem hoc factum cum Patino affirmare nolim. Ex Suetonio 2) autem diſcimus primo Claudium poſt obitum in deorum numerum relatum eo a Nerone motum fuiſſe, porro eundem Neronem mortuum Claudium *omnibus rerum verborumque contumeliis inſectatum eſſe, multaque eius decreta et conſtituta ut inſipientis et deliri pro irritis habuiſſe*, eundem denique *Claudii templum in Caelio monte ab Agrippina coeptum prope funditus deſtruxiſſe.* Sine dubio igitur etiam pecunia Claudii facie ſignata a Nerone abolita eſt, id quod aliis quoque Imperatoribus accidit. Vt vero hac ratione Nero inſigne animi ingrati exemplum prodidit, utpote quem Claudius, quamvis legitimum haberet filium, adoptavit et ſucceſſorem conſtituit, ita e contrario Veſpaſianus, qui olim ſub Claudio militaverat, nunquam tamen tanto, quanto ille, beneficio ab eo affectus fuerat, inſigniter gratus piusque videri voluit, dum non ſolum, ut eodem autore conſtat, Claudium divum numero vindicavit, templumque ei dedicatum perfecit, ſed etiam pecuniam Claudii, prout ex ipſa inſcriptione numis eius a Veſpaſiano addita, quales complures hodie extant, colligi poſſe videtur, reſtituit. Quod ſi verum eſt, valde probabili ratione exinde ſequitur, numum noſtrum Claudii aetate non ſolum cuſum, ſed etiam in Germaniam cum ſimilibus

Digitized by Google

advectum, ibidemque prope montem Dyni fuisse perditum. Vnde non male colligo, Pomponium, quem sub Claudio Imp. cum exercitu ali quando ad montem Taunum constitisse supra Tacito exposui, castra aliquando ad montem Dyni habere potuisse, adeoque a vero haud alienum esse, quod hic idem ille mons sit, quem Romani Taunum appellarunt.

1) Vid. Imperatorum Ro. Numismata p. 84.

2) Vid. Vitae Claudii, Neronis, et Vespasi

§. XXVII. Superest unicum infirmius cet argumentum, quo tamen ceteris adiun convenientia Tauni cum Dyni monte probabi reddi potest, quod scilicet istius altitudo a Po ponio Mela celebrata huic quoque vel ma competat, quem altissimis Germaniae mon accensere haud vereor. Mecum sentiet, qui montis vertice constitutus oculorum aciem subiectam circumcirca regionem intenderi apparebit enim aliquando ultra decem milli eam proferri, ac praeter quam plurimos vi atque aliquot etiam urbes et opida, ipsum num et Melibocum exinde conspici posse. loco non praetereunda mihi est observatio cellentissimi Dom. D. Liebknechti 1), q quando cum baroscopio montem ascendit, que altitudinem, initio computationis proximo Lani alveo, deprehendit decem rum CXXII et IV pedum, notabilem pro si cum similibus in aliis montibus institutis servationibus comparetur. Idem Doctis

vir indagavit causas 2), cur saepe mons Dyni adeo crebris abundet exhalationibus, ut exinde nebulae nubesque in atmosphaera manifeste formari videantur. Nostrum non est vestigia eius legere, atque imperitum vulgus refutare, quod veretur, ne aliquando in ignem erumpant vaporum fumi, quos non raro ex montis cacumine effundi cernimus. Illud occasione oblata nequeo silentio praeterire, quod, si vera est, quam supra attuli, de Iuhonum a Tacito commemorata gente opinio, ex eodem scriptore ostendi queat, non omnino vanum esse timorem vulgi, sed dudum hic locorum ignivomos extitisse montes, unde in subiectos agros ignium torrentes promanarint. Hanc enim mentem esse existimo Taciti, qui ad a V. C. IↃCCCXI sequentia annotavit 3). *Iuhonum civitas malo improviso affecta est. Nam ignes terra editi villas, arva, vicos, passim corripiebant, ferebanturque in ipsa conditae nuper Coloniae moenia. Neque extingui poterant, non si imbres caderent, non si fluvialibus aquis, aut quo alio humore niterentur, donec inopia remedii et ira cladis agrestes quidam eminus saxa iacere, dein residentibus flammis propius suggressi, ictu fustium, aliisque verberibus, ut feras absterrebant. Postremo tegmina corpori directa iniiciunt, quanto magis profana et usu polluta, tanto magis oppressura ignes.* Quanquam nec temere assensum praebuisse Tacito, neque omnino causam eius suscepisse videri cuiam.

1) Vid. eius liber supra allegatus c. II, §. 31. et seqq. 2) Loco allegato. 3) Annal. l. XIII.

Digitized by Google

§. XXVIII. Praesentis quoque instituti non permittit ratio, ut naturam loci indagem, ac de herbarum, quibus mons excellit, virtute differam, vel de bonis sub terra absconditis, atque, ut vestigia probant, ab aliis iam investigatis, disquiram, aut ut plenam eius et continuam historiam attexam. Quorum alterum ad historiam naturalem pertinet, alterum vero alio tempore commodius a me instituetur, cum, si aliquando occasio tulerit, in illustranda Hassiae antiquitate ad hunc quoque locum delatus fuero. De fluminum vero fontibus perperam ad hunc montem relatis non possum quin notem atque emendem errorem Iunckeri 1), existimantis Ederam Sigenamque exinde originem trahere. Sed dudum veras horum fluminum, Lani item et Dillae scaturigines prodidit diligens talium scrutator Conradus Dietericus 2), cuius verba Geographiam illustrantia ex libro, in quo haec similiaque nemo quaesierit, adscribam. *Oritur Lanus in Hassiae superioris parte occidentali, in confinio Comitatus Nassovici et Witgensteinensis, e rupe saxea altiori montis sylvestris vastissimi, vulgo* das Rothaar *dicti. E cuius montis radicibus iuxta quatuor mundi plagas quatuor etiam scaturiunt fluvii Hassiae non ignobiles. Praeter siquidem Lanum, qui ad Orientem ebullit, lapide uno vel altero ab eiusdem fonte,* aufn neuen Ohr, *meridiem versus Dilla oritur, quae Comitatum Nassovicum, Dillenbergam et Herbornam irrigat. Iterum ad occasum eiusdem montis,* auf der Seufpitzen, *scaturit Sigena, quae anfractibus suis Sigenum, illustre Westriacae*

sylvae

Sylvae opidum, a fluvio praeterlabente sic dictum, petit, et inde per Colonienſem agrum ad Rhenum accelerat. Denique uno atque altero bombardae ictu a Sigenae ſcaturigine in ſeptentrionali montis latere, an der Benffe, *Edera proſilit, fluvius et limpidae aquae puritate, et piſcium auratorum praecipue, quos truttas ſive forellos vulgo vocitant, ſalmonum item copia, et aureis, quibus ſcatet, arenis, per univerſam Haſſiam celebratiſſimus, qui irrigata Francoberga, Comitatum Waldeccenſem ingreditur, et non procul a Caſſelio Fuldae immiſcetur.* Hoc vero eodem autore 3) rectius affirmare lunckerus potuiſſet, quod *praeter fontes et rivulos plures ad radices montis Dyni ſcaturientes, ſed nullius notae, e meridionali eius latere tantum profluat Bibera, quae per vallem aliquot molas agitando decurrat, truttas, ſive forellos, fundulos et cancros producat, neque procul a Gieſſa in Lanum amnem exeat.* Idem Dietericus ſua aetate in hoc monte *lupos ſua luſtra habuiſſe* autor eſt, *conſpectumque fuiſſe in ſumma montis coronide aquilae nidum vaſtae amplitudinis, in quercus catumine extructum, in quo annuatim pullos ſuos excludere et educare aquilas* conſueviſſe refert. Sed illa hodie amplius haud obſervantur. Ex traditione tamen antiqua diſcimus, fidem illis derogari haud poſſe. Cui et illud acceptum ferendum eſt, quod vicini pagi Rotheim dicti incolae narrant, campanam, quae apud ipſos ſacris inſervit uſibus, olim in hoc monte fuiſſe repertam. Vnde non male quis colligat, aedificia et vicos in propinquo fuiſſe, quamvis hodie nulla eorum amplius

plius extent vestigia. Sed haec et similia, quale v. c. et illud est, quod olim in die annunciationis Mariae quotannis ex vicinia in hoc monte iuventus rustica solennes choreas ductura convenerit, alibi curiosius a me investigabuntur. In praesentia sufficit convenientiam montis Dyni cum veterum Tauno satis probabilius pro obscuritate vetustatis argumentis demonstrasse. Quae si cui minus digna quibus assensus adhibeatur videbuntur, me non invito aut diversa sequi, aut meliora suppeditare poterit.

1) Loco supra allegato. 2) Instit. Or. p. 61. 3) L. alleg. p. 64.

III.

DE OTTONE II. GRANSEIO, BASILEENSI EPISCOPO, CAEDIS ALBERTI I. REGIS PARTICIPE.

CAROLVS ANDREAS BEL, POES. PROF. PVBL. ORD. IN ACAD. LIPS. 1762.

QVi Adolfum regem, ut regno potiretur, aemulus, A. MCCXCVIII. sua manu interemerat, Albertum, Rudolfi Habspurgici primogenitum, romanorum regem, Ducem Austriae, decennio post, inter Rusam et Arulam, fluvios, propter Bruggam oppidum et Vindonissam, Kal. Maii A. MCCCVIII. violenta morte inte-

interiisse, de hoc nemo dubitat, et est scriptorum indubiae fidei testimoniis comprobatum *a*). Neque de sicariis ullum est dubium. Primum impetum fecit ex fratre Rudolfo nepos, Iohannes posthumus *b*), nouendecim annorum adolescens, spei plenus, prodigus, ut sunt in ista aetate. Succesſere coniurati, *Rudolfus de Warth*, *Rudolfus de Palma* *c*) *Waltherus de Eschinbach*, *Conradus de Tägerfeld*: quorum quisque, quo erat auidior caedis, hoc instabat magis. Hi igitur perimendi regis consilium exequuti sunt: quis dederit, haud quaquam exploratum est. Erat in Alberto furiosa quaedam augendi dominatus, atque insatiabilis cupido. Hanc tota vita, sed eo potissimum tempore, quo regnavit, multis modis prodidit, videba-

a) ALB. ARGENTIN. *Chron.* ad a. 1308. *Urstisius* seu CHRISTIAN. WVRSTISEN, *Basler Chronik* ad h. a. p. 151. MARQV. HERGOTT, (qui, dum haec scribimus, diem suum obiit,) *Genealog. Aug. gent. Habsp* T. I. p. 203. 204. Qui sunt in MVRATORII *Scr. rer. Ital.* Tomo IX. editi, FERRETVS VICENTINVS *Historiae* L. III. extr. et FR. FRANC. PIPINVS, Ord. Praedicator. *Chron.* L. IV. c. 47. ab ill. OLENSCHLAGERO *Histor. Sec. XIV.* excitati, fere talia habent, quae fidae narrationi Alberti Argentinensis contraria sunt, videnturque ab his Italis ex incertis vulgi sermonibus male consarcinata fuisse.

b) Posthumum adpellat BIRKENIVS: et videtur fuisse.

c) ALB. ARGENT. Vdalricum; et recentissimus histor. Heluet. Scriptor, incomparabilis WATTEWILLIVS, de Balme, nominat, P. I. L. I. extr. e formula proscriptionis coniuratorum, quae est in Bernensi tabulario.

Digitized by Google

turque cum numero liberorum crescere. Atque huc illa in Hollandiam, adversus Ioannem de Avennis, Hannoniae Comitem, quam Lambacherus descripsit, expeditio; huc illa cum Electoribus de Rhenanis vectigalibus disceptatio; huc Bohemia, Misnia, Helvetia denique impetita, pertinet: quae quidem hic circumscripte dixisse sufficit. Talem principem, cetera potentem consilio, et fortem, invidiosum fuisse, et cinctum quasi hostibus, nemini potest mirum videri: et tamen, si unum hominem exceperis, de quo mox dicemus, nemo vitae eius parasse insidias ante, quam isti sicarii supervenirent, legitur. Anne igitur percussores isti, quod consilium exequuti sunt, ipsi invenerunt? Ita videtur; nam etiam publice de iniquitate regis conquesti sunt. Et de Ioanne quidem Habspurgico, eiusque asseclis, ita ALBERTVS ARGENTINENSIS *d*): *Ioannes autem dux, fratruelis regis, quem rex in curia sua cum filiis suis nutrivit, asserens munitiones dominii de Kiburg ad se spectare, tamquam matri suae per Rudolfum regem olim morganatico iure donatum, libenter habuisset sua: instans feruenter, (ut sibi saltem munitiones aliquas assignasset. Ad quod cum rex induci nequiret, et insuper multos Baronum bonis suis et iuribus spoliaret, et instante frequenter regina, ut liberos suos sibi commendatos haberet, ac ipsius Ioannis prodigalitatem nimiam accusante: tandem ipse Ioannes dux, cum Baronibus Rudolfo de Warth, Walthero*

d) *Chron.* l. c. p. 113. sq. quae repetiit. WVRSTISEN, in *Basler Chronik*, L. III. c. 5. p. 150.

Digitized by Google

Walthero de Eſchibach, et Vdalrico de Palma, regem interficere cogitavit. Paullo poſt idem ſcriptor: *Rege exiſtente apud locum ſuum Balnearum (Baden,) ac Ioanne Epiſcopo Argentinenſi rogante regem, ut praedicto duci de munitionibus ſuis aliquid aſſignaret: rege vero reſpondente, quod vellet ipſi duci committere centum galeatos in expeditionem regis verſus Bohemiam, et poſt reuerſionem vellet ſibi aliqua aſſignare; hocque per Epiſcopum ad ducem perlato: dux dicens, ſe nihil habere, et commiſſionem gentis ſibi faciendam eſſe oneroſam, Epiſcopo reſpondit, ſe mortem et ſuorum ablationem ad paria iudicare.* Etſi vero haec ſatis docent, cuinam potiſſimum adſcribenda caedes Alberti ſit: tamen, ſi, quae paullo ante caedem Alberti Baſileae acciderunt, cum his, quae conſecuta ſunt, conferas, veriſimile fit, etiam Ottonem II. Granſeium, Baronem Burgundum, Baſileenſium Epiſcopum, ſi non conſilio, certe exemplo atque auctoritate, participem eius criminis fuiſſe. Sed altius res omnis petenda eſt, ut fides dictis conſtet.

Vetus erat, cum Baſileenſium Epiſcopis, Comitum Habspurgiorum controverſia. Inde a decimo ſeculo multis aucti regionibus et eparchiis Praeſules iſti, magnae erant in Helvetia poteſtatis *e*), magnarum opum quae et Burgundiae regum liberalitate in primis creverant. Inde orta, ut fit in tali fortuna, maiorum fames; cui explendae, que maxime opportuna viderentur,

e) v. *Baſilea Sacra*, p. 136. ſeqq. WATTEWILLE, *hiſt. de la Confederation Helvetique*, T. I. p. 106. ſequ.

Digitized by Google

tur, ea Episcopi appetebant. Igitur incurrerunt in vicinorum omnium invidiam, quae bellorum fomes fuit. Erat Rudolfi Habspurgici aetate, inde ab a. 1262. Episcopus Henricus III. Comes Neoburgensis, Vlrici filius, et gentis suae potentia, et affinitatibus, ferox. Hic, quod Brisacum atque Neoburgum ad Rhenum redigere sub potestatem suam conaretur *f*), a Rudolfo Comite diuturno bello pressus, non, nisi post multas utrinque clades, pacem a. 1269, obtinuit. Sed recruduit bellum triennio post, Episcopo, quicquid poterat ditionum in omni circum agro, coemente: Habspurgio contra, istam, tot novis accessionibus, crescentem in dies vicini Praesulis potentiam extimescente *g*). Ad Basileam tandem debellatum est. Rudolfus, magno collecto exercitu *h*), obsidione clausit urbem eam, liberatam periculo cum interitura videbatur, evocato ab Electoribus ad regendam Germaniam Rudolfo *i*). Pace per

f) WVRSTISEN l. c. L. II. c. 20. *de* ROO *Annal.* L. I. BASILEA SACRA p. 238. sequ.

g) Nescimus, unde VOLTARIVS hauserit, quae de hoc bello in *Annal. Imperii* T. I. p. 301. prodidit gestum a Rudolfo fuisse *en faveur de l'Abbe de St. Gal.* Etsi enim erant in exercitu Rudolfi auxiliares copiae istius Abbatis; tamen erant et aliorum, neque propterea bellum istorum caussa gestum est.

h) Mit einem gewaltigen Oberländischen Zeug ait WVRSTISEN l. c. cap. 21.

i) Hoc nuntio accepto exclamavit Episcopus: *sede fortiter domine Deus, vel locum occupabit Rudolfus tuus* ALB. ARGENTIN. *Chron.* p. 100.

Digitized by Google

per arbitros composita, Brisacum Episcopo cessit, Imperio Neoburgum.

Mortuo Rudolfo rege, Petrus II. Medicinae Doctor, quod ad curandum non venisset comitatus morte pedisequa, Basileensium Episcopus a Bonifacio VIII. P. M. constituitur. *In hac nova dignitate*, (utimur verbis P. Claudii Sudani, Iesuitae *k*), *Petrus Adolfo Nassouio fidelem gratamque operam praestitit. Anno siquidem ineunte* 1292. *salutato ab Ordinibus Imperii in Caesarem Adolfo, Colmaria, Alberti Austriaci confisa potentiae, eousque rebellem se opposuit, dum armis subigeretur. Quod et factum ope singulari, et opportunis suppetiis Argentin. atque Basileens. Episcopi.* -- Ea res auxit tristem inter finitimos et antiquam simultatem; neque poterat non displicere Alberto, Adolfi aemulo, Basileenses vicinos consilia secutos, quae manifeste odium Habspurgicae domus proderent.

Et videbatur odium hoc crescere, redeunte ad Albertum, Adolfo interemto, dignitate regia. *Emit Petrus anno* 1305. (iterum verba sunt SVDANI) *a Friderico Toggenburgensi Leucostabulum, vulgo Liechtstallium, arcem Honbergensem, et villam Elsenwihr in Alsatia, indignante quidem Alberto Imperatore, qui haec sibi et haereditariis ditionibus Ergoviae adiecta cupiebat.* Quam emtionem in opprobrium regis factam esse, ALBERTVS ARGENTINENS. manifeste

k) *Basil. Sacrae* p. 254. conf. ALBERT. ARGENT. l. c. p. 109. extr. WVRSTISEN l. c. p. 145. et 148.

Digitized by Google

feste innuit *l*) : *Habuit rex tractatum emendi oppidum Lieſtal a Comite de Honberg. Comes autem, obmiſſo rege, vendidit et tradidit idem oppidum eidem Epiſcopo et Eccleſiae Baſileenſi, quae hodie tenet illud. Ex quo rex contra Epiſcopum, Capitulum, Eccleſiam, et civitatem Baſileenſem, commotus fuit odio capitali.*

Commotus rei iſtius indignitate Albertus, memor veterum iniuriarum, quas et ipſe olim ab Epiſcopis Baſileenſibus, et Rudolfus pater, accepiſſet, ei, qui Petro, (Clementis V. P. M. beneficio Archiepiſcopatum Moguntinenſem conſecuto,) in Baſileenſi cathedra ſucceſſerat, *Ottoni II.* Granſeio, in feudorum poſſeſſionem introductionem, quae erat a rege petenda, negare conſtituit. *Hic Otto* (verba ſunt ALBERTI ARGENTIN. *m*) *Epiſcopus, cum rex ipſum nollet de ſuis regalibus inveſtire,* ET ALIAS ESSET INFESTVS EIDEM, *quadam vice rege exiſtente Baſileae in curia Monachorum in monte S. Petri, aſſumtis ſervitoribus ſuis, acceſſit regem, ac genu flexus coram eo, per Hugonem ad Solem, ſcientem gallicum, per regem ſe petiit inveſtiri. Rex enim Gallicum, Epiſcopus vero Teutonicum neſciverunt. Venit autem Epiſcopus eo animo, quod ſi eum renuiſſet inueſtire,* QVOD EVM VOLVIT OCCIDISSE. *Petente ergo Hugone in Teutonico a rege Epiſcopum humiliter inveſtiri; rege vero reſpondente vulgariter, quid vellet iſte Scholaſticus? Epiſcopus*

l) l. c. p. 113. conf. WATTEWILLE l. c. p. 107.

m) *Chron.* pag. 113. WVRSTISEN l. c. pag. 149. *Epit. hiſt. Baſil.* p. 184. WATTEWILLE, l. c. p. 107.

Digitized by Google

scopus non intelligens dictum regis, sed credens eum recusasse preces suas, iratus dixit: qui dit? qui dit? in gallico. Hugo vero videns furiam Episcopi, erat enim iuvenis et animosus, mansuete dixit Episcopo, in Gallico: Domine, Dominus noster rex dicit, quod cras libenter velit vos investire, et omnia facere, ad quae Ecclesiae Basileensi tenetur. Et Episcopus *inclinans se, dixit*: *grammersi* (grand merci,) *et recessit. Rex videns motum Episcopi, post recessum Episcopi illico recessit, non ingrediens amplius Basileam, sed contra illos durius est incensus.* Hic igitur est ille ficarius Episcopus, qui iam anno 1307. caedem regi Alberto intentaverat, Hugonis prudentia non interveniente, regem, nil tale veritum, certo mansuram. Conscelcratam hanc Episcopi istius mentem neque Bruntrutani Iesuitae negare ausi sunt. Ita enim rem omnem narrant *n*): *Episc. Otho Granseius, turpissimo, quod in Caesarem coxerat, facinore, nomen et famam longe obscuravit. Causa meditatae caedis fuit, repulsa illa, et mora longior, qua Imperator Albertus petita concedere ipsi iura regalia abnuebat. Quare vindictae cupiditate incensus Otho, consilium capit dignitate sua indignissimum, et facinorolis quibusque et profligatae vitae conscleratis abominandum. Praesentem se ipse Imperatori sistere, suarumque ditionum, quas Imperii beneficio obnoxias habebat, confirmationem urgere statuit: quae si negaretur, nihil certius quam Albertum mox confodiendum. Datur itaque aditus et alloquii cum Caesare copia,* per

n) SVDANI *Basil. Sacrae*, quam ediderunt, p. 256. seq.

per interpretem Hugonem a Sole, civem Basileensem primarium, quem animi sui propositum haud prorsus celaverat: — Albertus interim de periculo commonefactus, summo mane egressus, in Ergoviam secessit, ubi cum suis de Praesulis nefario consilio conqueritur, vindicta conceptae animo caedis in tempus magis idoneum dilata. Furorem hominis, audito regis properato discessu, facile divinando adsequimur. Et debebat ei fuga victimae atrox, omen videri. Tamen, ut palpum stupidae plebi obtruderet, iram se regis extimescere mentitus, observato tempore, ita scribunt Bruntrutani Iesuitae *o*), *qua Elisabetha, Alberti coniux, praeter Basileae suburbium Rheinfeldam peteret, currum adequitans, eam sibi conciliatricem parabat.* Hic, male acceptus, poenas quodammodo luit impii consilii. *Aulici* enim, *qui Augustam comitabantur, ex composito, ab aditu et colloquio Episcopum prohibebant p*): *singulariter vero quidam nomine Conradus ex familia Mönch carrucarios equos ad cursum flagris identidem impellens. Ita luto respersus et ludibrio habitus, re frustra tentata, Basileam tristis q*) *revertitur Otho.*

Dum haec fiunt, Albertus rex, bello Praesulem petit, ineunte anno MCCCVIII. et *castrum Fürstenstein, Wernheri et Ioannis de Raperg;*

o) *Basil. Sacrae* p. 258. conf. WURSTISEN l. c. pag. 149.

p) *Ibid.* ALB. ARGENTIN. l. c. pag. 114.

q) Sine dubio eo sensu, quo Horatius tristes iras pro duris atque acerbis dixit, a quibus vehementer timens.

Digitized by Google

Raperg, per suos obsidet r). Inter haec, Calendis Maii, ut paullo ante diximus, rex interimitur. Mirum, illa ipsa nocte, quae caedem eam consecuta est, *cum obsessi in Fürstenstein se mane voluissent captos dedisse, in crepusculo venientem nuncium, in vertice montis clamasse: domine de Raperg, rex est occisus s*). Quid ex hoc tam festinato tamque opportuno obsessis nuncio, (soluta enim repente obsidio fuit,) coniicias? certe sicariorum consilia Episcopum, eiusque asseclas, non penitus ignorasse. Basileenses, comperto regem interiisse, seditionem fecerunt *t*): Praesul autem, *apprehendens panerium civium*, (verba sunt Argent. Alberti,) *curiam Monachorum ad S. Petrum u*) *accessit, et ingressus omnis populus, Monachis et eorum liberis per muros et cloacas fugatis, omnia pre-*

r) *Ita* ALBERTVS ARGENT. l. c. p. 113. WVRSTISEN, pag. 149. ei arci praefectos, Wernherum de Rotberg, et Nicolaum Zer Kinden, nominat.

s) ALB ARGENTIN. p. 115. WVRSTISEN p. 151. BASIL. S. p. 259.

t) ALB. ARGENTIN. l. c. WVRSTISEN l. c.

u) Fuit illa ipsa domus inclutae gentis Monachorum (der Mönche,) in qua hospitantem nuper Albertum interimere Episcopus constituerat. Hic igitur, quod iam sanguinem principis fundere non poterat, effudit Monachorum vina, atque omnem domum, prae moerore depraedatus est. Conf. not. *q*) Atque haec SVDANVS prudenter reticuit, neque Bruntrutani sodales meminerunt, forte memores, *nihil interesse inter suasorem et probatorem, et nihil referre, utrum volueris fieri, an gaudeas factum*, Cicero *Phil.* II. cap. 12.

Digitized by Google

tiosa domus tollens, quinquaginta plaustra vini effundens, non quievit, quousque omnia sunt destructa. Secuta clientum regis, Scalariorum et Monachorum, cum omni progenie, proscriptio x): nimirum, ut omnis Alberti regis memoria Basileae deleretur. Vt memoria caedis supereſſet, diligenter cavit Episcopus; nam sicariorum unus, Rudolfus de Palma, (*qui faciem regis et caput gladio diviserat*, scribente Argentinensi Alberto,) diu Basileae in domo Conversarum latuit; quod Othonem Praesulem latere potuisse vix est credibile.

Regina deinceps percussores regis ad internecionem persequente, Episcopum sibi et suis reconciliavit y): vel quod ipsa, a cuius aditu cum contumelia prohibitus nuper fuerat, vim ab eo metueret; vel quod putaret, quae est Vrstisii sententia, ni conciliaretur, defensorem sicariorum futurum. Igitur pecunia cum eo transegit. *Episcopus autem Otho* z), *qui initio occisionis regis bene potuisset agere facta sua, recepta pecunia, cum regina et eius liberis concordavit.* Sed non diu laetus fuit de hac pecunia Otto Episcopus. In itinere Italico, Henrici Lucelburgii regis comes, extinctus est, *non sine propinati veneni suspicione* a).

Atque

x) ALB. ARGENT. WVRSTISEN, et SVDANVS ll. cc.

y) WVRSTISEN p. 151. auf daß ſie ihre Macht wider ihres Herrn und Vaters Mörder deſto füglicher wenden könnten.

z) ALB. ARGENT. p. 115. verba sunt,

a) BASIL. SACR. p. 261.

Digitized by Google

Atque his quidem diligenter penſitatis, probabile omnino fit, Ottonem Epiſcopum, quod iam antea diximus, caedis Alberti regis multis modis participem fuiſſe. Secuti ſumus fidem Scriptorum omni exceptione maiorum, atque in his Ieſuitarum potiſſimum, quibus de Epiſcopo necem regi minante teſtantibus, omnino putamus credi oportere. Ceterum, ſi cui haec coniectura noſtra diſpliceat, eum vehementer rogamus ut cogitet, futuros quibus placeat propterea, quod in iſtorum temporum hiſtoria, bene multa, non, niſi per coniecturam, aſſequi datum eſt.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

VI.

DE AVTOGRAPHIS VETERVM.

IO. GVILIELM. BERGER
ELOQ. ET HVMAN. PROF. PVBL. ORD. IN ACAD. VITEMB. 1723.

I.

DE libris, ipſorum manu auctorum exaratis, dum exponere inſtituimus, operae, opinor, pretium faciemus, ſi varia eorum nomina, diverſis ſcriptoribus aetatibusque uſurpata, praemittamus. Placuit autem nobis titulo adſcribere Αὐτόγραφον, verbum celebratum

tum magis a criticis, et Suetonii *a*) auctoritate commendatum, quod, ut dixi, librum, ipsius manu auctoris exaratum, designat. Plutarchus *b*) αὐτόγραφον ἔλεγχον, vocabulo per adiectionem sumto, dixit, quod Gellius *c*), *idiographum librum* dicendo, imitatur. Ἀρχέτυπον vocat Cicero *d*), tanquam primum scriptum, atque hunc sequitur Iuvenalis *e*), dum *archetypos Cleanthas* ridet, sive antiquas picturas et signa, quibus splendide indocti nimium in suis bibliothecis delectabantur. *Charta virgo* Martiali *f*) est liber, ex quo nondum ἀπόγραφον sit translatum, quasi illa tunc mater fieret, cum in plura exempla transit. Ἰδιόχειρον est in fragmento Petri Alexandrini, infra excutiendo. *Chirographum* Ciceronis *g*) est vocabulum, Suetonii *h*), etiam Paulli *i*), quod sequiora tempora χειρόγραμμα dicebant, quae alias quoque *Manuscriptum* habent, *manum propriam*, et *Manuscripturam*, ut apud Cangium, in Graeco, et Latino, Glossariis, observatur. Nempe haec vocabula consuetudo invexerat, *Manus suae* loco, quae elegantiorum aetatum vox est. Cum singulari auctoritate coniunctum est *authenticum*, etiam in foro. Vnde Basilica *k*) Ἐν δικαστηρίοις δὲ πιστεύεται τὸ ἀντίγραφον, ἀλλ' αὐτῶν τῶν αὐθεντικῶν

a) *Aug. LXXI. et LXXXVII.* *b*) *T. II. adu. Colot.* *c*) *L. LX, cap. XIIII.* *d*) *Ad Att. L. XVI, ep. III.* *e*) *Sat. II.* *f*) *L. I. LXXXXI.* *g*) *L. VII. Fam. Ep. XVIII.* *h*) *Aug. LXXVII, Neron. c. LII.* *i*) *Col. II, XIIII.* *k*) *B. B. VIII, Tit. XVIII, L. X, p. CCCXC.*

Digitized by Google

πῶν διαιωμάτων δεόμεθα. Quae *Syngraphae* natura sit, Asconius *l*) nos docet. *Inter Syngraphas*, inquit, *et caetera chirographa, hoc interest, quod in caeteris tantum, quae gesta sunt, scribi solent, in syngraphis, etiam contra fidem, veritatis pactio venit, et, non numerata quoque pecunia, aut non integre numerata, pro temporaria voluntate hominum, scribi solet. More institutoque Graecorum, et caeterae tabulae ab una parte servari solent, syngraphae neutriusque manu utrique parti servandum tradunt.* Forsitan huc quoque referendae sunt *chartae indentatae*, medio aevo usurpatae, quae ex una membrana, in medio, ubi vocabulum aliquod, e. g. *Chirographum* positum erat, discissa, fiebant, et, eodem exemplo scriptae, utrique parti dabantur *m*).

II. Sed, ut ad ipsorum αὐτογράφων rationem veniamus, nostri quidem instituti non est, variam pertractare materiam et formam, qua perficiebantur. Haec talia enim, cum aliis libris communia, praeter Leonem Allatium, Holmium, Scaligerum, persecutus est singulari libro Hermannus Hugo, ex quo constat, veteres in lapidibus, lateribus, cereis tabulis, foliis, et corticibus interioribus arborum, Papyro quoque Aegyptiaca, scripsisse. Ne tamen nihil hic, nostri tenaces propositi, dicamus,

l) *ad Orat. III. Cic. contr. Verrem, p. XXXVIII. edit. Manut.* *m*) *Exemplum eiusmodi chartae vid. ap. Mabill. R. D. p. CCCCXXVIIII.*

Digitized by Google

obſervamus, Διφθέρας Ciceronem *n*) ad Atticum mittere, hoc eſt *membranas*, quo ipſo verbo Paullus *o*) utitur. *Aera legum liquefacta* fulminis tactu, idem dolet Cicero *p*). *Linteos libros*, in Monetae repoſitos aede, excuſſit Livius *q*), eosque alias magiſtratuum libros vocat, quia rationem nominatim continebant eorum, qui magiſtratus geſſerant. Tacitus Auguſtus iubebat, in tales ſua acta referri, quod in eius vita Fl. Vopiſcus *r*) tradit, qui idem *Elephantinos libros* narrat, in quos SCta referebantur, quibus ex parte Tacitus ſua manu ſubſcripſerat, atque hos ideo vult ita dictos Iſidorus, quod ex omentis earum belluarum fuerint confecti, quem locum Ioſ. Iuſto Scaligero *s*) non contra talenti pretium abſtuleris, a quo tamen modeſte diſſentit Salmaſius *t*), et eboreos hic intelligit libros, ex Vlpiano *u*), praeterea, ex Plauto et Martiali, evincit, veteres atramento etiam, diverſo tamen a noſtro, in ebore ſcripſiſſe. *Bombycinae ſive cuttuneae chartae*, ex detritis pannis confectae, uſus Irene Ducaena, Alexii Comneni coniuge, antiquior eſt, quippe quae eius in Typico ſuo, αὐτογραφῶ, ut creditur, meminit, quod aſſeruatur in Bibliotheca Regia Pariſienſi, ut habet Montfauconius *x*) in Palaeographia Graeca.

Huic

n) *Ep. ad Att. L. XIII, ep. XXIIII.* *o*) *II. Tim. IV, XIII.* *p*) *Or. III. Cat.* *q*) *L. IIII, c. XIII, et XX.* *r*) *c. VIII.* *s*) *in Animadverſationibus in Guillandinum Memb. III.* *t*) *in Not. ad Vop. l. c.* *u*) II. *L. LII. de Legat. III.* *x*) *p. XVII.*

Digitized by Google

Huic chartarum varietati maximus interdum splendor accedebat, idiographa maxime et publica instrumenta luculentis coloribus illustrabantur, ut rerum, quas comprehenderent, gravitati aliqua dignitas, ipso chartarum ornatu, conciliaretur. Haec enim minio distinguebantur, inficiebantur purpureo colore, ipsae interdum literae aureo vel argenteo liquore exornabantur. Quod nos Ovidius *y*), Statius *z*), Martialis *a*), Isidorus *b*), aliique, edocent. Locus est illustris apud Hieronymum, et, multorum in hac materia usu, iam pene exculcatus, in Praefatione ad Iobum. *Habeant, qui volunt, veterum libros, vel in membranis purpureis auro argentoque descriptos, vel uncialibus, ut vulgo aiunt, literis etc.* Quo loco strictim monemus, literas has probabiliter ab altitudine unciali, sive, ut Budaeus *b*), pollicari, unciales fuisse nominatas, cum nulla alia ratio appareat, quare id nominis gerant, et Hieronymus ibidem libros, grandi isto charactere exaratos, *pondera magis, quam codices*, vocet. Quanquam non nego, sequentium usu temporum omnem scripturam, quae maxima erat, uncialem esse dictam. Alias erat character ille minutus, quo veteres, ut est apud Plautum *c*), Senecam *d*), Suetonium *e*), alios, utebantur. In primis Plinii Secundi Electorum Commentarii autographi minutissimis his literis

 scripti

y) *L. I. Trist. El. I.* *z*) *L. IIII. Sylu. ult.* *a*) *Libr. III. Ep. XI.* *b*) *L. VI. c. II.* *c*) *L. I de Asse. d in Bachide.* *e*) *Ep. LXXXV.* *e*) *Calig. c. XXXXI.*

Digitized by Google

scripti erant *f*), quarum figuras Philippus Turrius *g*) in tabulis quibusdam, Titi aetatem referentibus, et Mabillonius *h*) in Charta *Plenariae*, ut vocatur, *Securitatis*, et Gaudentiae Epitaphio *i*) inveniſſe, ſibi videntur, neque tamen aliter ab quadrata maiori forma differunt, niſi quod rotundius et negligentius, per celeritatem, ſcriptae ſunt. Sed, ut ad membranas noſtras redeamus purpureas et aureas literas, eae apud veteres nemini fere, niſi principibus, et qui eas principis voluntate habebant, uſitatae erant *k*). Hinc volumen precum Caroli Calui, hodieque in Colbertina Bibliotheca ſuperſtes. Vt multos tales huius, et Vindobonenſis, bibliothecarum codices praeteream, nota eſt Vlphilae, ut creditur, Interpretatio Gothica quatuor Evangeliorum, argenteis literis perſcripta, quae nuper cum Vpſalienſi re libraria conflagraſſe fertur. Erant autem illorum hominum temporum, qui ſingulari ſtudio χρυσογραφίας artem excolerent, χρυσογράφοι inde vocati, qui, ſi non integros codices, ſaltem titulos et initia librorum exornabant ſua arte, cuius elegantiſſima ſpecimina in Plinio et aliis Codicibus MSS. etiam excuſis, ſpeciatim Planto, Auguſtino de Civ. Dei, ipſi vidimus in ſcriniis *Bergerianis*. Exinde autem cauſſam repetit Robortellus, quare tot libri, titulis et initialibus literis deſtituti, in noſtras pervenerint manus, quando

f) *Plin. Epiſt. III, V.* *g*) *p. CCCXXXIII.* *h*) *R. D. L. V p. CCCLXXVI.* *i*) *Suppl. CXIIII.* *k*) *uid. Cangius in Gloſſ. Latin. uoce. Membranum Purpureum.*

Digitized by Google

quando librarii, condendorum operam, titulorum chrysographis relicturi, caetera perscribebant, et deinde, propositi immemores, aut aliis abstracti incommodis, mancos nobis ac mutilos codices tradiderunt.

III. Iam propius ad ipsum aggredimur institutum, atque, in praesidiis veterum monimentorum innixi, rationem scribendi primum excutimus, ut multa nostrae aetatis tanto felicius expediantur. Ac de Ebraeorum quidem αὐτογράφων scriptura latius patet controversia, a Postello, Aria Montano, Scaligero, Villalpando, Bocharto, Drusio, Brerevodo, Capello, aliisque, tum a Buxtorffio, Spanhemio, Hottingero, Bangio, Pfeiffero, caeteris, varie disceptata, quam ut hic repeti, atque in has coartari angustias possit. Etsi vero nos, quo minus Scaligeranis partibus accedamus, gravissimae impediunt rationes, has tamen apud Buxtorffium praecipue et Spanhemium *l*) reperiundas, hic praeterimus, quando eae, et in vulgus notae sunt, et ab hoc loco, ubi Graeciae Latiique consuetudinem respicimus, alienae.

IIII. Caeterum antiquae literaturae nari sciunt, quam mirifice posteritas, ex omnibus gentibus, a simplici origine semper discedat consuetudine, arrogantia, odio, vel aliis de causis. Atque odium quidem nationem, cre-

l) *Spanh. Diss. II. de VSu Num.*

Digitized by Google

dunt aliqui, ab Ebraica divulsam gente, et postea Samaritanam appellatam, impulisse, ut, cum a Iudaeis cultu vitae et sacrorum discreparent, consilium simul caperent immutandae, et, quod ex ductu apparet, artificiosius inflectendae literaturae, ne propius hic quoque ad Iudaeos accederent, a quibus capitali odio dissidebant. Sic Graeci literas primum, ante eluvionem Deucalioneam, a Pelasgis, et deinde a Cadmo, acceptas, non mutarunt modo, sed etiam numerum earum auxerunt. Imo versus, non a dextra solum, ut eorum praeceptores vulgo crediti, Phoenices, sed etiam βουστροφηδὸν *m*), et deinceps plane a sinistra, incipiebant, ut, quod superbia suadebat, suarum auctores literarum viderentur. His omnibus autem sequior aetas addebat accentuum et spirituum, imo novas τῦ C, Θ, et aliarum literarum, formas, ut illi ostenderunt, qui in lapidum, nummorum, scriptorumque manu librorum, consideratione sunt versati. Romani quoque, ut aliarum gentium laudis erant parciores, et sua fere mirabantur perinde, ac Tacitus de Graecis dicit, ita literis, ab iisdem Pelasgis exsulibus traditis, vim diversam tribuebant, eas pingebant aliter et augebant, cum veteres, numerum literarum necessitate mensos, sedecim habuisse, Plinius *n*), Tacitus *o*), alii, testentur. Quid de Gallorum Germanorumque scriptura

m) *de hac scribendi ratione uid. praeter caeteros Virum, de literis praeclare meritum, Io. Alb. Fabricium in Biblioth. Graeca.* *n*) *H. N. VII, c. LVI.* *o*) *Annal. XI, c. XIIII.*

Digitized by Google

scriptura existimandum sit, Caesar *p*) et Tacitus *q*) haud obscure indicant, quando ille *tabulas, Graecis literis confectas, in Helvetiorum castris* invenit, hic, *tumulos, Graecis literis inscriptos, in confinio Germaniae Rhaetiaeque exstare*, fama accepit. Ac, simili modo scripsisse maiores nostros, praeter caeteros, Mabillonius ex veteri inscriptione ostendit, recte quidem, praesertim, cum quidam credant sagaciores, linguam scripturamque Celtarum et Graecorum a communi Scytharum origine esse profectas, sed minus scienter ille solis tribuit Gallis, quod simul ad Germanos, potiori quidem iure, erat referendum. In nostris vero literis priscarum vix simulacra insunt, a quibus iam Merovaeorum aetas, in minuta Diplomatum scriptura, discedebat.

V. Ad Distinctiones, in veterum codicibus adhibitas, properamus. Atque hic quidem illi, qui autographis Ebraeis accentus restituunt, ab adversariis vindicatos, fatentur simul, eos interpungendae, et in paragraphos describendae paginae sacrae inseruiisse. Reliquas vero distinctiones adeo in αὐτογράφοις non extitisse, ut potius saepe neque scriptores, nedum libri et capita, quae hodie sunt, a se internoscerentur. Notum enim esse, vel ex Rabbinica constanti commemoratione, vel ipsa sacri codicis inspectione, neque Mosen sua scripta diuisisse, nec reliquos historiae sacrae, usque ad Nehemiam, libros certis sectionibus fuisse inter-

p) *B. G. L. I. c. XXVIIII.* *q*) *De M. G. c. III.*

Digitized by Google

intercisos. Adeo potius omnia ipso contextus ordine coniuncta fuisse, ut, quemque virum, coelesti afflatu ad scribendum impulsum, sua codici, non interrupto continentis materiae nexu, addidisse, credant. Aliter de Vatum Sacrorum scriptis iudicandum esse, aliquibus Esaiae *s*) Ieremiae *t*) et Habacuci *u*) locis indicari, ex quibus colligunt, Prophetas, quoties de Deo ad populum referre habuerint, verba, in tabulis scripta, publice ad templum suspendisse. Quae tamen cuncta aliaque in medio relinquimus, ubi aliud habemus, quod agamus.

VI. Graecis et Latinis olim ignota erat omnis distinctio, nisi quod Cicero, dum in oratione, pro Muraena, ridet iurisperitos, *in interpunctionibus verborum occupatos*, simul ostendit, suo aevo consuetudinem, singula interpungendi verba, tenuisse, cum quo comparandus Seneca *x*), qui, *Romanos*, *etiam cum scriberent*, *interpungere consuevisse*, dicit. Hic tamen usus Iustiniani temporibus, si non intermisit, saltem non ita frequens fuit, ut ex Pandecte Florentino, aliisque veteribus membranis, liquet, cum ante eum Diomedes *y*) triplicis puncti *posituræ* triplicem vim iam exponat, de quo videatur Lipsius *z*), et Salmasii epistola apud Morhofium *a*). Versuum sive Στίχων numeratio antiquissima quidem est. Sic enim Callimachus, in auctorum συλλάβοις et πίναξι confi-

s) *c. XXX, VIII.* *t*) *c. XXXVI* *u*) II, *u.* II. *x*) *Ep. XXXX.* *y*) *L.* II. *de Pron.* *z*) *Ep. p. CCCCXXXVII.* *a*) *Polyb. T.* I, *Lib.* I, *c. VII.*

Digitized by Google

conficiendis, στίχους numeraſſe dicitur apud Athenaeum, *b*) et Aſconius *c*) uerſus Ciceronis paſſim citat. Diogenes Laertius Ariſtotelis et Chryſippi, Plinius Zoroaſtris, alii aliorum στίχους et verſus, commemorant. Non tamen hic audiendi ſunt illi, qui per eos στίχους integrorum ſenſuum intelligunt circuitus, ſingulos ſingulis verſibus, ſive, ut ἀκύρως loquuntur, lineis, perſcriptos. Vt enim taceam, comprehenſiones ſaepe longiores reperiri, quam unus verſus capiat, certe plures non raro στίχοι enarrantur, quam ſententiae, vel aliquo ſaltem modo integrae, ex libro quodam poſſint exſculpi. Exempli loco ſit tertia Epiſtola Ioannis, et Aſconius, cui in oratione pro Milone, verba, *unum genus eſt adverſus etc.* verſum L. incipiunt. Et ſane Suetonius *d*), tanquam ſingulare, ex αὐτογράφῳ Auguſti refert, eum *verba in fine non ſolitum eſſe dirimere, ſed literas in extrema ſtatim parte adieciſſe et circumduxiſſe*, cum alii, nec verborum, nec ſyllabarum, nedum periodorum integritatis habita ratione, tantum in unoquoque verſu ſcriberent, quantum magnitudo et ſpatium membranae permitteret. Qua de cauſa Quintilianus, *ceras, non ultra modum latas fieri, uult, ne ſermo, verſuum numero menſus, praelongus fiat e*), quod luculento praeterea teſtimonio lapidum, publica auctoritate inciſorum, conſtat. Hinc illa difficultas legendi apud veteres, quae locum

b) L. VI. *Dipn. c.* X. *et* L. XIII, *c.* VI. *c*) *in Orat. pro Cornelio p.* LIII. LIIII. *pro M. Scauro, p.* LXX. *edit. Manut.* *d*) *Aug.* LXXXVII. *e*) L. X, *c.* III.

Digitized by Google

cum non habuisset, si insigniter adeo omnia fuissent distincta. Nec mirum alicui videri debet, versus ubique, totidemque verbis, in omnibus membranis, cecidisse, cum ab Isiodoro *f*), auctore non contemnendo, admonemur, *certae formae et moduli chartam carminibus, epistolis, et historiis, antiquitus attributam fuisse.* Et membranae quaedam, apud Ciceronem *g*), macrocola, haud dubie ob certum magnitudinis modum, vocantur. Versuum tamen vocabulum paullo aliter accipi Hieronymi aetate coeptum est, *quem primum, propter simplicitatem fratrum, colis et commatibus ordinasse translationem suam*, testatur Cassiodorus *h*). Ipse etiam Hieronymus *i*), suam se Interpretationem *per versuum cola et commata* distinxisse, fatetur, *nouo*, ut ipse loquitur, *scribendi genere*, monetque librarios, nondum illi rationi assuetos, ut modum hunc retineant. Caute etiam Librorum divisio accipienda, cuius parciores erant auctores, contenti uno saepe libro, nec in capita, in plura tamen volumina, propter amplitudinem, descripto *k*). Hinc iam illa apud veteres confusio, ubi libri erant excitandi, haud dubie a Grammaticis *l*) orta, qui, prout videbatur, aliorum scripta in libros aliquando, frequenter in κεφάλαια, λήμματα, τμήματα, non raro praeter auctorum mentem,

f) Libr. VI. Or. *g*) Ep. ad Attic. L. XIII, ep. XXV. et L. XVI, ep. III. *h*) Cassiodorus C. XII. Instit. Diu. *i*) Praef. ad Esdram et Paralip. *k*) Plin. Ep. L. III, ep. V. *l*) Suetonius Illustr. Gramm. C. II, et XXIIII.

Digitized by Google

mentem, distrahebant *m*). Ita τῶν Ζωικῶν Aristotelis libri VIIII a Laertio, L a Plinio *n*), ab aliis plures, recensentur. Brutus etiam Ciceronis, Hieronymi aetate, in tres libros erat distinctus. Quin et capita, quomodo nunc sunt, Bibliorum, et versus, a Roberto Stephano in Novo Instrumento dispuncti, quosdam locos impediunt, ut Isaacus Casaubonus iam notavit. Ex his tamen sententiae, informatae animo semel et anticipatae, doctiores interdum reddunt securos, ut nexum contextus minus exquirant. Venit in mentem moniti Caloviani ad Act. XVIIII, v. IIII et V. ubi Grotium, commatum distinctione inductum, refutat, et sententiam, particulis μὲν et δὲ connexam, non dirimendam censet. Mitto, Erasmum Schmidium, qui verba I. Tim. III, v. XV, στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, ad sequentem versum, cum editione Basileensi *o*), refert.

VII. Expedit iam, Orthographiam veterum chirographorum e vestigiis passim relictis eruere, ut hinc existimemus, quantum a praestantissimis scriptoribus abierit nostra consuetudo, tum etiam, cum in Cicerone, Virgilio, Livio et aliis edendis, horum ipsorum scriptura debuisset

m) *de Sacri Cod. diuisione antiqua uid. Heinsius in Aristarch. Sacr. c.* XIII. *et eruditiss. Fabricii Bibl. Gr. L.* V, *c.* XXIIII, *et* L. IIII, *c.* V. *Conf. etiam Salmasii Proleg. ad Exercit. Plin. p.* XXI, XXVIII, *quem locum amicis* Praeses *commendare solet.* *n*) L. VIII, *c.* XVI. *o*) *quae anno* ɔIↃIↃXL *prodiit.*

Digitized by Google

debuiſſet retineri, quam negligentiam, ne ab ipſis quidem Manutiis alienam, recte improbat Ianus Guilielmus. Atque hic quidem Latinorum multi conſuetudinem loquendi literis loquebantur, permutando et praetereundo literas ſyllabasque, quas in ſermone etiam vulgo omitti, videbant. Vetuſtiſſimus enim hic erat mos, ut plurima verba, in unum contracta, et eloquerentur et ſcriberent. Quapropter Cicero, apud Fabium *p*), *Capſis* dictum putat, quaſi *cape ſi vis*, *Lupercalia*, quaſi *Luere per capras*, *Solitaurilia*, quaſi *ſuis ovis et tauri immolatis*. *Veſperug*, repertum in pulvinari Solis, veſperi aeruginem idem Fabius *p*) interpretatur. Ipſi vero Caeſar Auguſtus *q*) aliquando in legatum conſularem, tanquam rudem, graviter animadvertebat, quia *ixi*, pro *ipſi*, ſcripſerat, ipſe tamen ſcribebat interdum, uti loquebatur. Vnde Suetonius *r*) in chirographo eius *Simus* pro *Sumus*, *Domos*, pro *Domus*, conſtanter legi, obſervat. Scripſiſſe eum *Aucupium*, *Manupium*, *Manubiae*, Velius Longus *s*) prodit. Contra ea Caeſar, *Aucipium*, *Mancipium*, *Manibiae*, ponendum cenſebat, primus quidem, ſed non ſine poſteritatis approbatione, ut Fabius *t*) oſtendit ex Caeſaris inſcriptione, et Caſſiodorus ex Varrone, qui ſimul demonſtrat, Caeſarem I, loco Y, poſuiſſe, quamvis Cicero, in Oratore, Graecam hanc literam Υ, in Syllis et aliis nominibus, retinendam, cenſeret. Illuſtre

p) L. I, *c.* V. *p*) L. I, *c.* VI. *q*) *Suet. Aug. c.* LXXXVIII. *r*) *Aug. c.* LXXXVII. *s*) *Edit. Putſch. p.* CIↃIↃCCCXXVIII. *t*) L. I, *c.* VII.

Digitized by Google

ſtre vero teſtimonium praebent hactenus allata, veteres τὸ V, ſono, modo I, et Y, modo O, proximo, pronunciaſſe, ut adeo contra leges orthographiae non parum vulgo peccent, qui in vocibus quibusdam, τὸ V per medium inter I et V ſonum, expreſſuri, duo puncta ſuſpendunt, quaſi vero non per ſe ita poſſit efferri.

VIII. Varronis et Nigidii Autographum Gellius *u*) recenſet, qui non aliter locuti ſunt, et ſcripſerunt, quam *Domuis*, *Fluctuis*. Confirmat Gellius hunc morem antiqua Terentii membrana, nec reiicit Grammaticorum opinionem, qui, exemplorum multitudine adducti, hanc regulam ponebant, *dandi caſum*, *in litera I deſinentem*, *genitivum addita S facere*, *ut Patri*, *Patris*, *Senatui*, *Senatuis*. Quae omnia, etſi recte, et ab origine Aeolorum repetita, diſputantur, alii tamen inde deflexerunt, aurium fortaſſe ducti iudicio, quod ipſum Caeſar ſecutus eſſe videtur, dum, praeter Varronis et Nigidii legem, *omnia iſtiusmodi ſine I dicenda* in Analogicis cenſet, in quo politiſſimi quique conſenſerunt. Sic non ſolum Lucretius et Virgilius, ſed Salluſtius quoque et Tacitus *x*), ſcripſerunt, adeo, ut Priſciano *y*) fidem periti non habeant, cum, ſolos, opinatur, poetas, *metri cauſſa*, ſic eſſe locutos. Caeterum dubitat Quintilianus, utrum in patrio caſu *Senatus*, an *Senati*, rectius dicatur.

IX. Hic,

u) L. IIII., 6. XVI. *x*) An. III, 6. XXXIIII. Hiſt. II, 6. LXXI, 7. *y*) L. VII.

IX. Hic, occaſione data, Idiographum Ciceronis et Virgilii excutimus, qui in *Diei*, *Speciei*, horumque ſimilibus vocabulis, declinandis, a Iulio Caeſare diſſentiunt, qui *huius* et *huic Die* ſcribebat, ſuffragante Salluſtii libro ſummae fidei et reverendae vetuſtatis. Cicero enim et Virgilius in autographis ſuis *huius Dies*, *Facies etc.* ſcripſerunt, quam flectendi rationem, iudicio Ennii, Claudii, et omnis fere veterum aetatis, approbat Gellius z), et in corruptis, nec antiquis, libris *Diei*, *Faciei* legi, affirmat, non tamen diſſimulat ſimul, Catonem et Lucilium *famii*, Siſennam *pernicii*, Pacuvium *progenii etc.* dixiſſe. Perperam vero coniicit, in Aeneid. I. *Munera laetitiamque Dii*, loco *dies*, Virgilium in autographo ſcripſiſſe, et immerito imperitos vocat qui *Dei* legant. Vti enim hoc abeſt a conſtantia praeſtantiſſimi Vatis, modo *dii*, modo *dies*, ſine neceſſitate, poni, ita non capio, quid in illo loco *munera et laetitia diei* ſibi velint. Prorſus igitur conſentio cum Benedicto, Philologo Florentino, qui, fretus ſuo codice Palatino, *munera laetitiamque Dei*, περιφραστικῶς interpretandum cenſet, pro *Vino*, quod profecto tam ſplendidis epulis, quae in praecedentibus verſibus laudantur, conveniebat.

X. Perſiſtimus in inſtituto, in aliumque idiographum, ut credebatur *a*), Virgilii librum intuemur, qui ſecundum Aeneidos complectebatur, et in ſigillariis XX aureis emptus fuerat.

z) *L. VIIII, c. XIIII.* a) *Gell. L. II, c. III.*

Digitized by Google

fuerat. In hoc ſuper voce *AENA* H erat impoſitum, prorſus ex elegantia illius temporis, et cultu ingenii Virgiliani, cuius δευτέρας Φροντίδας haec correctio indicare videtur, quas habuit in recta ratione ſcribendi. Hoc enim H multum adiuvat ad anhelantem Pyrrhi ferociam ſonandam, quae ibi deſcribitur. Aurea Ciceronis Virgiliique *aetas alioquin inſerebat H literam vocibus verborum firmandis roborandisque, ut ſonus earum eſſet viridior vegetiorque.* Atque hanc ſuavitatem Roma videtur ex Atticis traxiſſe, *qui, citra morem gentium Graeciae caeterarum, primas quarundam vocum literas inſpirabant.* Aeoles *b*) enim ſine afflatu, ut loquitur Varro, *Tebas*, et alias voces, enunciabant. Hinc priſci Latini, qui ab illis acceperant ſuas artes, hunc morem imitabantur, et parciſſime H utebantur, etiam in vocalibus, ſed *Oedos* dicebant, et *Ircos*, niſi quod, digammate Aeolico interdum adiuncto, *Foedum*, *Fircum*, *Foſtem*, dicebant, ut M. Varro *c*) auctor eſt. *Graccos* loquebantur, *lacrumas*, *triumpos*, *proibere d*). Sed, cum, Ciceronis aetate, non modo omnia ſcientius expolirentur, verum etiam Graecae literae, ut ipſe in Oratore profitetur, in maiori honore eſſe inciperent, ſecundum has etiam in Latinas voces H aſſumebatur, et *inchoare*, *hallucinari e*), *ahenum*, *vehemens*, ſcribebatur, imo nonnulli, ni-

b) *Varro. R. R. L. III, c. I. c*) *L. L. L. IIII.*
d) *Quint. L. I. c. V. Lucretius* L. I. *uid. Index Gifanii in hac uoce. e*) *Gellius XVI, XII.*

Digitized by Google

miae concinnitatis ſtudio, frigidi fiebant, dum *choronas* fingerent, *praechones*, *hinſidias*, quo cum Catullo *f*) ridet Quintilianus *g*).

XI. Idiographum Ciceronis nobis conſervavit Fabius *h*), ex quo diſcimus, Ciceronem et qui paullo poſt vixerunt, literam S, quotie media inter longas vocales interiicienda, ve ſaltem longae ſubiicienda fuerit, geminaſſe Quod priſtinis temporibus non fiebat, quae nullam literam geminabant, ſed, quomodo ex Feſto diſcimus, *toridum* dicebant *i*), *Enius*, *numus*, *aula* pro *olla*. Et, ſi opus erat, *ſicilicum* ſupra apponebant, qua nota admonebatur lector, literam duplicato robore eſſe enunciandam, quod Iſidorus *k*) ex veteri memoria repetit. Sed in elegantiori aetate iſta ſimplicitas exoleſcebat, praeſertim principes illi Latinitatis, Cicero et Virgilius, *cauſſa* malebant, *caſſus*, *diviſſiones*, quorum auctoritas, ut profecto magna eſſe debet, ita Manutio ſupra omnes lapides et etymologiarum rationes eſt, quamquam, iſta non negat, etiam ab etymologia interdum adiuvari, *quod cauſſa a caveo quaſi caviſſa ſit.*

XII. Latius patet hic locus, quam ut totus in praeſentia explicari uberius poſſit. Praetereo igitur Autographum Auguſti, in quo *Here*, pro *Heri*, contra Fabianae *l*) aetatis conſuetu-

f) *Ep. LXXXV.* *g*) L. *I*, *c. V.* *h*) L. *I*, *c. VII.* *i*) *In Voce Anus.* *k*) L. *I*, *c. XXVI.* *l*) *Fab.* L. *I*, *c. VII.*

Digitized by Google

fuetudinem, ſcribebatur. Quae ex veteribus Catonis Cenſorini libris delibantur, in quibus *Dicem*, *Faciem*, conſpicitur, ex uſu et conſuetudine eruditorum ſunt aeſtimanda, quae, ut ipſe Cicero et Fabius fatentur, ſaepe mutat. Idem habendum de vocibus *Sibe* et *Quaſe*, quod ſcripturae genus, in Livii autographo inventum, ipſi Aſconio placebat. Dici autem non poteſt, quam frequens, priſca illa aetate, et poſt aurei ſaeculi elegantiam, immo in ipſis circa Ciceronem temporibus, fuerit mutatio literarum. De Graecis enim hic non loquar, in quorum etiam nummis Spanhemius *m*) crebram τῦ C cum Z, B cum Φ, T cum N et K, N cum M, X cum K, P cum Λ, Υ cum I, aliarum literarum cum aliis, obſervat permutationem. Apud Latinos, inquam, mira hic deprehenditur varietas, qui, ut ex Varrone et Quintiliano cognoſcimus, *Mirtirius* dicebant, loco *Mercurius*, pronunciabant *Menerva*, *Leber*, *Mageſter*, *Aureei*, pro *Auri*, *Caiſar*, quam diphthongum Maro etiam amavit. Idem Fabius in vetuſtis monimentis legit *Caſſantra*, *Alexanter*, *Precula*, pro pergula, *Vapos*, *Arbos*, *Laſes*, *Mertare*, pro merſare, *Pultare*, *Stlocus*, *Stlites*. Politior etiam aetas aurium arbitrio conſilioque, inconſtans aliquando fiebat. Vnde Probus Valerius *n*) in libro quodam, ipſius manu Virgilii correcto, diverſis in locis, *has Vrbes*, et *Vrbis*, invenit, quam varietatem Gellius animadvertit in Cicerone,

m) *Diſſ. II. de Vſu Num.* *n*) *apud Gell. L. XIII, c. XVIIII.*

Lucretio, aliis, qui multum dederunt aurium moderationi. Eandem respicit Fabius *o*), ubi in *obtinuit* rationem, ait, suadere, ut B relinquatur, aures vero facilius P audire. Et profecto Ciceronis aetas libentius pronunciavit *Allatus*, *Succendere*, *Aspicere*, *Immotus*, quam *Adlatus*, *Subcendere*, *Adspicere etc.* ubi, nescio, ad quos scopulos lingua adliditur et retinetur, quod a consuetudine elegantis sermonis Latini abest, *quae fugit et evellit vastas molestasque literas*, ut Cicero *p*) pronunciat, *non usus caussa*, *sed aurium*, *postquam impetratum est a consuetudine*, *ut peccare*, *suavitatis caussa*, *liceret.* Atque hanc scripturam ipsa Cenotaphia Pisana Caii et Lucii, Caesarum, confirmant, in quibus pleraque, modo adducta, comparent. Quae quidem monimenta, publice et magnifice ipsius cura et auctoritate Augusti constituta, merito, cum aliis ex eodem aevo tabulis, in pari ipsis autographis loco et dignatione reponuntur.

XIII. Satis iam de Orthographia expositum. Pergimus igitur ad Signa idiographa, quibus veteres ad verum a falso internoscendum, et significandam voluntatem, utebantur. Vbi tamen non definio, quale fuerit Σημεῖον Paullinum *q*). Quibusdam enim illud singularis nota est, quae cum chirographo deperierit. Alii vero putant, formulam, ὁ ἀσπασμὸς τῇ ἐμῇ χειρὶ Παύλου, illud signum esse. Quae

o) *L.* I, *c.* VII. *p*) *in Oratore.* *q*) II. *Thess.* III. XVII.

Digitized by Google

Quae tamen ſententia cum ſequentibus non conſiſtit, ubi additur, ὅ ἐϛι σημεῖον ἐν πάσῃ ἐπιϛολῇ. quae verba ſive de *omni*, ſive de *tota*, epiſtola, intelligantur, formulam iſtam ſignificare non poſſunt. Hieronymo *r*) igitur Paullus totius epiſtolae ſcripturam, ſibi uſitatam, innuere videtur, maxime, cum alias moneat Galatas *s*), ut videant, πηλίκοις γράμμασιν eis ſcripſerit. Habuiſſe autem veteres eiusmodi ſigna, Diogenes nos docet, quando, Epicharmum, narrat, libros ſuos παραϛιχιδίοις talibus deſignaſſe. Ad has notas primo loco referenda quoque ſunt ſigilla veterum, imagines principum, maiorum, amicorum, ipſorum Deorum, habentia, de quibus tamen nihil attingo, uberius iam cum ſint praeter Kirchmannum, Franciſcum Iunium, Fortunium Licetum, alios, ab Io. Mich. Heineccio *t*) explicata. Similiter Hieronymus *u*), *Chriſtianos*, ait, *frequenti manus inſcriptione ſignare crucem.* Qui mos perdurauit etiam in recentioribus temporibus, ubi in conventibus, praecipue publicis, illi, qui, vel ob perſonae dignitatem, vel ſenectutis et coecitatis vitium, vel ipſam denique ignorantiam, ſubſcribere nolebant *x*), et nequibant, crucis † Signum in Diplomatis addere ſolebant, caetera vero ab alio ſcribi, iubebant, ita tamen, ut ipſi ſua manu ſcripſiſſe ea viderentur. Singularis vero ſignorum ratio

r) *Comment. in Gal.* VI. *s*) *c.* VI, XI. *t*) *de Veteribus Germanorum aliarumque nationum Sigillis u*) *Com. in Ez. c.* VIIII. *x*) *uid. Mabillon.* L. II, *c.* XXII.

Digitized by Google

eſt, quam in Foroiulienſi tabulario conſpexit Fontaninus *y*), ubi multi ſimul ad intextas inter ſe cruces ſua nomina poſuerant, hoc modo



vel ita *manus fratrum* etc. Horum tamen ſignorum poſt Seculum XII tenuia admodum veſtigia comparent, ut obſervat Mabillonius, cum iam diu ante Carolus M. monogrammatum uſum inſtauraſſet.

XIV. Quo vero crebrius eiusmodi ſigna in publicis pactionibus celebrantur, eo maiori cura alia ſigna, compendia ſcilicet ſcriptionis, notae numerorum, imo etiam liturae, in autographis, ſacris maxime, evitabantur. Non equidem ignoro, Ciceronem *z*), quod ipſe demonſtrat, ad Articum aliquando διὰ σημείων ſcripſiſſe. Idem feciſſe, in perſcribendis ad amicos epiſtolis Caeſarem et Auguſtum, Suetonius *a*), et Gellius *b*), memoriae prodiderunt. Epiphanius in fine Αἱρέσεων ſcribit, iſtos libros διὰ σημείων exceptos fuiſſe. Quid multa, plena ſunt veterum monimenta teſtimonis de frequentiſſimo uſu notarum, quarum plurimae ad noſtra quoque tempora pervenerunt. Neque de lituris obſcure loquitur Cicero *c*), cum Ἀρχέτυπον ſuum mittit Attico *crebris locis inculcatum et refectum.* Ovidius quoque *d*) de lituris ſuarum

y) *in Vindiciis Rei Diplom. contra Germonium.* *z*) L. I. XIII, *ep.* XXXII. *a*) *Caeſ.* LVI. *Aug.* LXXXVIII. *b*) L. XVII, *c* VIIII. *c*) L. XVI, *Ep.* III, *d*) L. I. *Triſt. El.* I.

Digitized by Google

rum epistolarum conqueritur, et Suetonius *e*) in chirographo Neronis *multa deleta et inducta et superscripta invenerat.* Verum, ut de Signis primum absolvamus, diligenter hic σεγανογραφίαν a καλλιγραφίᾳ distinguendam esse, monemus. Veteres enim, non Aegyptii solum sua sacra secretis figurarum involuebant, ut, quod Apuleius dicit *f*), a curiosa profanorum lectione munirentur, sed Graeci etiam notas habebant, ubi praesertim secreta quaedam literis, facile intercipiendis, erant committenda. Nos vero hic non de exquisita occulte scribendi ratione loquimur, sed de iis idiographis, quae in vulgus efferri, et ab omnibus intelligi debebant, quae, si eiusmodi abstrusis notis fuissent impedita, parum communitati profuissent. Praeterea ego hic ἀρχέτυπον ab ipso authentico distinguendum censuerim. Consueverant enim interdum veteres ea, quae scripturi erant, aut ipsi, aut tachygraphorum, semiographorum, servorum, operis antea per compendia varia, in palimpsestum, pugillares, aut viliores chartas, coniicere, atque haec primum scripta cum Cicerone ἀρχέτυπα nominamus. Postea vero maiori cura haec in macrocola *f*), sive splendidiores membranas, vel ab ipso auctore, vel a librariis, inspectante tamen et emendante auctore *g*), transferebantur, quos librarios aliis nomini-

e) *Ner.* LII. *f*) *Met.* L. XI. *f*) *Cic. Att.* L. XIII, *ep.* XXV, *et L.* XVI, *ep.* III. *g*) *Cic. Att.* L. XIII. *ep.* XXIII. *Gell.* L. XIII, *c.* XVIII.

Digitized by Google

bus *h*) ἀρχαιογράφους, vel παλαιογράφους, appellamus. Atque haec quidem scriptura, mihi demum est αὐθεντική, a qua exempla publice sumebantur. Neque haec frustra dico, siquidem ipse Cicero, ἀρχέτυπον suum prius, iubebat, in macrocola referri, quam amicis legeretur. Et Suetonius *i*) *notata* ac *perscripta* accurate distinguit, nec non Philostratus *k*) θεράπας ἐς τάχος ab illis ἐς κάλλος γραφὰς internoscit, manifesto indicio, librariorum non fuisse, notis res consignare, quibus vulgi intelligentiam impedirent. Hinc Iustinianus, cum nimius notarum usus suo tempore invalesceret, et ipsa iura turbaret, in tribus suis de Digestis Constitutionibus severissime prohibuit, *ne suae leges sigla*, ut loquitur, *sive notis, etiam si numerus librorum significaretur, scriberentur.* Leviora haec imperitis videri poterant, nec luce literarum digna, sed vel infra dictorum utilitas apparebit.

XV. Lituras, etsi studio dixi supra uitatas fuisse, tamen facilius in ipsa authentica, in primis ea, quae ab auctoribus corrigebantur, irrepere potuisse, prope fidem est. An vero liturae in veteribus diplomatis simplici antiquitati condonandae sint, Mabillonius viderit. Nos profecto, rei momentum considerantes, vix in aliis locum habere eas putamus, quam iis diplomatis, quorum literae antiquae fugientes novo atramento inducebantur. Atque haec vulgato

h) *uid. Baltbasar Bonifacius de Archivis c.* VIII.
i) *Galba c.* V. *k*) L. I. *Apoll.*

Digitized by Google

gato nomine appellabantur *Vidimus*, ab illa consuetudine, qua magistratus literis, ita renovatis et comprobatis, *Vidimus* addebat.

XVI. Ista igitur αὐτόγραφα, tanto labore et sollicitudine elaborata, non immerito sancte asservabantur, ut ad illorum praesidia posset recurri, quoties de ἀπογράφων fide dubitaretur. Legimus *l*) enim, Mosen librum suum sacerdotibus tradidisse, ut eum, in sanctissimo depositum sacello, pro testimonio maiestatis divinae et voluntatis, custodirent. Ac, sicuti supra demonstratum est, reliquos historiae sacrae libros isti contextu continenti adiunctos fuisse, ita non dubitant viri docti, eos eadem loci sanctitate, cum Prophetarum tabulis servatos fuisse. Quod si hic a divina discesseris cura, quae in primis sacrosancta volebat esse haec volumina, non minorem deprehendemus aliis quoque gentibus fuisse curam servandorum suae patriae monimentorum. Ita enim Atheniensis in Metroo, Phrygiae Deae templo, maiorum αὐτόγραφα, acta scilicet publica, Decreta, Plebiscita, alia, collecta habuerunt. Cuius loci religionem cum violasset Apellicon Teius, vix capitis periculum effugiebat, ut refert Athenaeus *m*), additque, eundem ex aliis urbibus, quicquid antiquarum accipere chartarum potuerit, abstuliisse. Ex quo abunde liquet, tabulariorum usum in gentibus antiquissimum fuisse. Neque enim Graecos solum, sed Persas

l) *Deut. XXX, u. XXVI.* *m*) *Dipn. L. V, c. XIIII.*

Digitized by Google

Perſas quoque et Medos, ſuorum facta et res geſtas, literis conſignatas, ad memoriam conſervaſſe, ex Sacro Codice *n*) diſcimus. Talia Archiva Phoenicibus quoque et Aegyptiis erant *o*), quae Democritus, Pythagoras, Solon, Plato, Herodotus etiam, et plerique alii Sapientes et Philologi, in variis et longinquis itineribus, ἱστορίας καὶ πολυπειρίας ἕνεκα, ut Plutarchus loquitur, inſtitutis, excutiebant, et ex illis ultimae antiquitatis veſtigia nobis tradiderunt, ut adeo impudentia eorum ferenda non ſit, qui non Homero modo, caeterisque Poetis, ſed Philoſophis etiam et Hiſtoricis omnem detrahunt veritatis laudem, ſi in illis aliqua fortaſſe inveniunt, quae ipſorum moribus non conveniant, quorum imperitiam, poſt Nepotem et alios, Henricus Stephanus graviter reprehendit, in eo libro, ubi, de Convenientia Morum Hodiernorum cum Veteribus diſputando, Herodotum a calumniis literatorum defendit. Illa vero tabularia Ariſtoteli et aliis anſam dederunt bibliothecas ingentibus ſumptibus conſtruendi, in quibus praeſertim clarorum virorum αὐτόγραφα, quaecunque confici poterant, collocabantur. Ita, cum ex Galeno, tum Tertulliano *p*) conſtat, autographa Sophoclis, Euripidis, Aeſchylique ab Athenienſibus aſſervata fuiſſe, cumque illi aliquando annonae inopia affligerentur, non ante a Ptolemaeo impetraſſe de frumento, quam huic autographa illorum

n) *Eſth.* X, *c.* II, *et cap. V*, I. *Eſr.* VI, *c.* I, II, *et cap.* IIII, *c.* XV. *o*) *ut, praeter Scipionem Sgambatum, Doduellus oſtendit.* *p*) *Apol. c.* XVIII.

Digitized by Google

rum tragicorum permitterent. Hunc igitur ea redemisse argenti puri talentis XV, et apographa, splendide exarata, remisisse. Nec segniores erant Romani in actis praecipue publicis custodiendis. Ex quibus fontibus, non alii solum hauserunt, sed Livius maxime suos hortulos irrigavit, ut, qui hunc legerit, se, opinari possit, in curia Romana, et medios inter P. C. versari. In tabulario Romano Tertullianus *q*) vidit censuales tabulas, in quibus Christi nomen erat inscriptum. In primis vero Traiani temporibus, quaeque ea proxime sequebantur, in Vlpiam bibliothecam omnis generis monimenta autographa inferebantur, quod Flavius Vopiscus *r*) in Vitis Aureliani et Taciti, Caesarum, indicat. De sacris Novi Instrumenti libris credibile est, eos in coetibus, quibus vel scripti, vel traditi a viris sanctis fuerant, mansisse. Sicut etiam postea acta Conciliorum authentica in tabulariis Patriarchatuum reponebantur, ad quae subinde provocabatur, cum dubitationes inciderent *s*).

XVII. Sed, qui poterant ista diu retineri, cum ipsi Christiani, in herbescente sua viriditate, tot tantisque vexationibus et calamitatibus affligerentur. Ecquis de servandis libris semper laboraret cogitare, cum vita in discrimen adduceretur. Quo quidem factum videtur, ut nemo, etiam primorum Patrum, sacra

q) L. IIII, *contra Marcion. et alias addat Iustinus Martyr Apol.* II. *r*) c. VII. *p.* CCCCXXXI, *edit. Grut. s*) *Concil. Nic.* II. *Act.* V, *Tom.* III.

ſacra illa Apoſtolorum exemplaria diſerte laudet, quanquam Tertullianus ea non obſcure innuere videtur, cum *in ipſis Apoſtolorum Cathedris eorum authenticas literas recitari*, ait *s*). Perinde habendum eſſe de Veteris Inſtrumenti autographis, res ipſa docere videtur. Sive enim duplicem illam direptionem, ſive Babyloniorum perdendi omnia libidinem, ſive ipſum denique aedis et urbis incendium, conſiderent docti, vix aliter poſſunt, quin plerique, ipſa, credant, autographa, ſimul cum templo, in cineres ſubſediſſe. Iisdem fatis aliarum gentium praeſtantiſſimi libri perierunt. Ariſtotelem multos libros, eosque autographos, inſano antea pretio comparatos, combuſſiſſe, fama eſt, ut, vel plagia eius hoc modo lateret, vel ipſe, extinctis caeteris, magis illuſtraretur. Etenim ante Ariſtotelem ſapientiae exquiſitioris cultores fuiſſe, e quibus ille profecerit, ex inſtituto Scipio Aquilianus *t*) oſtendit. Platonem Democriti libros comburere voluiſſe, ferunt, niſi admonitus fuiſſet, eſſe eos iam in plurium manibus, nec exſtingui poſſe. Quae nefaria exempla alios, furiis ambitionis et invidiae actos, ſtrenue imitatos eſſe, et adhuc imitari, a vero non abhorret. Protrahatur hic e latibulis Carteſius, qui, ut alias plagii ſuſpectus, ita nihilo modeſtius ſe illius, de mechanica animalium diſpoſitione, ſententiae iactavit auctorem, quam tamen ex Gomezio Pereira, Hiſpano

s) *c.* XXXVI. *de praeſcript. et* L. XIIII. *c.* III. *adverſus Marcionem.* *t*) *de Philoſophia ante Ariſt.*

Digitized by Google

Hiſpano, hauſiſſe dicitur *u*) omnibus quae nanſciſci poterat exemplaribus *Antonianae Margaritae* coemtis et combuſtis. Sophoclis et caeterorum chirographa, ſi non in primo bibliothecae Ptolemaicae incendio, a Caeſarianis facto, ſaltem poſtea in Bibliotheca Serapei Cleopatrina, filia illius *u*), cum aliis, quod crediderim, idiographis multis perierunt. Cui ignotae ſunt Romanarum bibliothecarum deflagrationes, tam violentae, ut Domitianus aliquando cogeretur undique novos conquirere libros, et Alexandriam quoque homines mittere, qui ibi codices deſcriberent *x*). Et Roma tamen, praeter ſuorum civium ſcriptores, omnem fere Graeciae et Regum Pergamenorum librarium thesaurum, ex incendio ſuperſtitem, a L. Cornelio *y*) Sylla et L. Aemilio Paullo Macedonico translatum, habebat. Bibliotheca Theodoſii Iunioris a Leone Iſauro flammis tradebatur. Alias deflagrationes non attingo, quas Thomas Bartholinus, in ſui ſolatium, ſed miſerum, ſingulari Diſſertatione expoſuit.

XVIII. Sicut igitur antiquorum autographa, in publicas illata bibliothecas, ſerius tandem peribant, ita recentiora ſaepe vel ideo, quia propiora erant, vel per invidiam, contemnebantur, et in privatis haerentia familiis, ante, imprudentibus haeredibus, varia ratione, intercidebant, quam per antiquitatem, vel apogra-

u) *Pieces Fugitives d' Hiſtoire p.* 374. *u*) *ita uocatam eſſe Epiphanius de Ponderib. et Menſuris tradit.* *x*) *Sueton. Domit. c.* XX. *y*) *Strabo L.* XIII.

Digitized by Google

apographorum corruptionem, viderentur mereri, ut publice aſſervarentur. Plinius z) *Tiberii, Caiique, Gracchorum, Ciceronis, Auguſti, Virgiliique, manus ſaepe numero vidit*, quae paullo poſt nusquam apparent, niſi quod Quintilianus chirographum Ciceronis et Auguſti, Suetonius huius eiusdem Octaviani manus, oculis uſurparunt. Poſt Plinii iunioris enarrationem nemo, quod ſciam, maioris Plinii idiographa memorat. Taciti Auguſti aevo chirographum Corn. Taciti non videtur ſuperfuiſſe, ſiquidem ille nullo pretii metu illud emiſſet, qui Cornelium *a*) ſuum Patris loco venerabatur, eiusque hiſtoriam in bibliothecis iubebat collocari. Caetera dimitto, quando iam adducta plus, quam vellemus, evincunt, quanta cum iactura literarum libri, ipſorum manu auctorum ſcripti, ſint dilapſi.

XIX. Sed nondum illa inuaſerat animos autographorum negligentia, quae poſtea Seculo XII, et ſequentibus, emerſit. Nulla enim fere tum placebat membrana, niſi cui placita proclamatae religionis tradita eſſent. Hinc nova peſtis literarum. Chartae ſcilicet, et in his multa haud dubie autographa, quae forte adhuc ex antiquitate ſupererant, abradebantur, ut res novae, nauci et nihili interdum poſſent induci. Tam nefariae rei ueſtigia in multis adhuc bibliothecis oſtenduntur. *b*)

XX. Re-

z) L. XIII, *c.* XII. *a*) *Vopiſcus, in Vita Taciti, c.* X. *b*) *Montf. Pal.* L. III, *c.* VIII.

Digitized by Google

XX. Reliquas interitus causſas, communes autographis cum aliis libris, praetermitto, ſatis iam ab aliis excuſſas. Hoc ſubmoneo, pleraque chirographa veterum, ipſius vi vetuſtatis victa, et ad nihilum redacta eſſe, in primis ea, quae ex cortice, aut filis papyraceis, erant confecta. Si enim Diplomata papyracea, etiam recentiora, tamen lacerata ſunt, ut Mabillonius *c*) oſtendit, quae raro tractabantur, quanto magis credibile eſt, libros eiusmodi, a noſtra aetate remotiores, dudum diſſipatos fuiſſe.

XXI. Hae igitur, et aliae rationes doctiores movent adeo, ut Hottingerus, Robortellus, et eruditiſſimi quique, credant, vix ullo in loco autographa ſive authentica veterum reperiri. De quibus cum non loquatur Fontaninus *d*), ſed autographa, vocabulo largiore, eos quoque nominet libros, qui ab erudito et praeclaro viro deſcripti ſunt, ſententiae huic non repugnat. Nihilo minus inveniuntur interdum audaciores, qui orbi erudito non dubitanter autographa obtrudant.

XXII. Non deerant iam priſcis temporibus, qui autographa fingere non vererentur. Ita enim ex Cedreno, Procopio, et aliis diſcimus, Edeſſenos exemplar epiſtolae, quam Chriſtus ad Abgarum ſcripſiſſe fertur, inven-

c) *L. I, c. VII. Re Dipl. d) Vindiciis Rei Dipl. L. I, c. III. p. XXXV.*

tum in suo tabulario, iactasse pro archetypo, et loco Palladii habuisse. Petrus Alexandrinus quoque, in aliquo de Paschate Fragmento, apud Petavium et Vsserium reperiundo, asseverat, Ioannis autographon sua adhuc aetate apud Ephesios exstare, ibidemque a sacro coetu adorari. Sed ad nostra venimus tempora. Neque tamen hic multa dicam de codice Ebraeo, qui Bononiae asservatur, quemque Adrianus Finnus *e)* non dubitat αὐτόγραφον Esrae nominare. Quamvis autem Montfauconius, et alii, qui codicem inspexerunt, eum antiquissimum esse, affirment, ipsi tamen non autographi honorem tribuunt, cum taceat antiquitas de Esrae idiographo, tam inaestimabilem thesaurum nunquam praeteritura, si unquam in manus perveniisset.

XXIII. De Evangelio Marci MS, quod Veneti pro Idiographo in suo thesauro admirantur, dubitat Io. Andr. Bosius *e)*. Esse vero aliquas membranas, in forma quarti ordinis, vetustate et humore exesas, ut, nisi divinantibus, *Marci* nequidem nomen et *Evangelii* appareat, refert nobis Spanhemius *f)*. Dubitare igitur posset, an Marci Evangelium ibi scriptum sit, antequam de autographo quaestio instituatur. Fons et origo huius opinionis est, quod, cum Eusebius *g)*, Gregorius Naz. *h)* et

e) in Flagello Iudaeorum L. XI, c. II. conf. Hottingerus Thes. Phil. p. CXV, et CCXV II. e) Notitia Scriptor. Eccles. p. 120. f) T. II, Misc. L. II. p. CCLXXXIII, §. XXII. g) L. II. H. E. c. XV. et L. III, c. XXXVIIII. h) Orat. XXV, T. I.

Digitized by Google

et alii, Marcum, dicant, Romae scripsisse, exinde colligitur a multis, evangelium Latino sermone conditum fuisse. Hoc praemunito, accessit commemoratio, quae non reliquias modo Marci, et anhulum, die XXV Iulii ostendi solitum, Alexandria Venetias, Seculo VIIII, advexit, sed ipsum Marci Patrocinium Venetis confirmavit, utque nihil deesset religioni, idiographum Patroni addidit. Sic enim Genebrardus ex Pseudo Damaso, et ex Petro Aquileiensi Baronius *i*), *fertur*, inquit, *traditione magis, quam certo testimonio, ipsum Marcum Evangelium suum, quod Romae Latine scripserat, quum Aquileiae moraretur, missus illuc a Petro ad eam erigendam ecclesiam, in Graecum transtulisse, ipsumque originale, Aquileiae diutius asservatum, Venetias demum esse translatum.* Nunquam certe Deus pro fontibus tam necessariis, si qui fuissent alii, rivulos nobis reliquisset. Praeterea Hieronymus, Augustinus, reliqui, ipse Nazianzenus, crediderunt, Marcum Graece scripsisse. Immo, in ipsis illis membranis literas rarissimas, quas vetustas reliquerit, scripturam Graecam prodere, et, vocem ΚΑΤΑ aliquo loco agnosci posse, confirmat Spanhemius, ut adeo ipsum hoc domesticum testimonium ficias fabulas convellere videatur.

XXIV. Venio nunc ad codicem, maxime apud omnes celebratum, Pandectas, puta, Florentinos, quibus olim ob rarum antiquita-

i) *Annal. T. I. a. XXXV. N. XXXVI.*

Digitized by Google

tem, coniunctam cum archetypae auctoritatis opinione, honor prope divinus habebatur. Audiatur Politianus *k*), cui perspiciendi libri facultas data fuit. *Volumen ipsum*, inquit, *Pandectarum, dubio procul* ἀρχέτυπον, *in ipsa curia Florentina a summo magistratu publice asservatur, magnaque veneratione, quanquam raro id, ad funalia l*) *ostenditur. Est autem liber haud quota spoliorum praedaeque Pisanae portio, maioribus characteribus, multisque compendiariis notis, quibusdam etiam, saltem in praefatione, velut ab auctore plane, et a cogitante atque generante potius, quam librario et exceptore, inductis, expunctis ac superscriptis, cum Graeca epistola Graecoque epigrammate etc.* Historiam libri paucis his persequitur Sigonius *m*), *Pisani XXXXVI triremibus anno MCXXXVII. prid. Non. Augusti, cum adortis Amalfium essent, primo impetu expugnarunt. Quod autem ad memoriam est insigne, ex omni praeda urbis nihil nisi rem unam, eximii beneficii loco, a Lothario petierunt. Hoc fuit liber civilis Pandectarum volumen, olim a Iustiniano Imperatore conditum, et priscis admodum literis exaratum.*

k) *apud Gruter. in Th. T. I. Syllog. L. XXXXI.*

l) *Consuetudo tum ferebat, ut maximi honoris significatio accensis funalibus fieret. Valla in Orat. de Falsa Donat. Constantini.* Ex auctoritate Papae ostenditur Codex Bibliorum, luminaribus semper accensis, quem dicunt scriptum chirographo Hieronymi. quaeres argumentum, quia multum est pictae vestis et auri, resque magis indicat, Hieronymi manuscriptum non esse. *etc.*

m) *L. XI. de Regno It. Lothar. III. p. CCLXX. edit. Wechel.*

Digitized by Google

exaratum, quod in hunc usque diem, Pisis n) Florentiam translatum, ibi magna, ut ita dicam, religione servatur. Scriptura in eo prorsus singularis est, et Mabillonio ex Romano et Gothico characterе videtur mixta; ex usu illorum temporum, quibus non solum lingua, sed ipsa scribendi ratio, per Gothos advenas sensim corrumpebatur. Quo loco autem hic codex sit habendus, difficile est iudicatu, quando eruditi, qui ipsi copiam inspiciendi libri nacti sunt, dissensionibus suis rem omnem in dubium adducunt. Politianus eum pro archetypo habet, ut accepimus, cum quo Pius Antonius Bartolinus, Pierius, et alii sentire videntur. E contrario non pauci sunt, qui a Politiano et reliquis dissident, et in his princeps Antonius Augustinus, qui, codicem, negat, archetypum esse, vel ideo, quod non pauca compendia scripturae ibi inveniantur. Quod si haec inveniuntur, tantum abest, ut Iustiniani cura hic Pandectes sit confectus, ut potius, ipsa Imperatoris sententia, inutilis declaretur, quem, nefas sit, in foro produci, quod supra ex instituto est ostensum. Sed negant, ut vidimus, Politianus et Mabillonius o), reperiri in eo notas verborum, hic tamen pro autographo codicem venditare non audet, cuius praeterea fides, alias quidem non spernenda, tanta tamen hic non esse videtur, quanta Antonii, qui apud

n) *factum hoc anno MCCCCVI, per Ginum Caponium, Pisis in potestatum redactis. Taurell. in Prae. ad Pand.* o) *In Itinere Ital. p. CLXXXIV.*

Digitized by Google

ipsum Mabillonium *p*), *numerorum*, inquit, *et verborum notis usos multoties librarios esse.* Accuratius profecto Antonius inspicere potuit in secessu Pandectas, quam Mabillonio in itinere licebat, quem facillime potuerunt fugisse notae, non ita, ut seculo demum IX usu venit, cumulatae, praesertim in continenti scriptura, qua exarati sunt isti Florentini. De Politiano eo minus laboro, quo magis studium evehendi codicis prodit, tum praesertim, ubi lituras et superscripta ita excusat, ut parum absit, quin ista ornatus caussa admissa dicat. Atqui hae tales maculae abesse debebant a magnificentia Imperatoris, maxime, cum in publica luce aliis admirationi et exemplo esse vellet. Ex quo Antonius iudicat, hunc librum non singulare iuris monimentum initio habitum fuisse. Cum hoc consentit Taurellus, qui *manifestam librarii insciitiam* non semel accusat. Atque in emendandis quidem merito recensendum, quod Octavius Ferrarius in libro de Origine Romana habet, qui, *praescripsit*, pro *perscripsit*, insigni errore, positum ibi, esse ostendit. De reliquo non infeliciter interdum Laurentius Theodoricus Gronovius *q*) recentiorem quendam illius Pandectes emendatorem emendat, et reprehendit. Et imperite illi iudicant, qui ob scripturam inconstantem, et, si ex aurei seculi consuetudine iudices, corruptam, pretium tanti thesauri non dubitant minuere. Qua de re omni

p) L. V. Rei Dipl. p. CCCLVII. *q*) *in libello de Emendationibus Pandectarum. Vid. praecipue* §. 5. *et* 6.

Digitized by Google

omni melius iudicabit Clariſſimus Brenckmannus, cuius perfectum opus ab eruditis avide expectatur.

XXVI. Atque haec quidem ſunt illa ſcripta, pro quorum αὐθεντίᾳ tanto fervore vulgo propugnatur, quaeque adeo nos invitabant ut curatius conſiderarentur. Poterunt hic plura cumulari, neque enim ſupra quicquam protulimus de Interpretatione Graeca Seniorum, cuius archetypum, Iuſtinus Martyr *r*), Irenaeus *s*), Tertullianus *t*), Io. Chryſoſtomus *u*), alii praedicabant, ſuo aevo in Alexandrina bibliotheca exſtitiſſe. Ridenda etiam cum Dan. Chamierio *x*) quae narrat ipſe, *ad ſanctam Lupicinam in Burgundia aſſervari codicem Apocalypſeos, quem iactent ipſius manu Ioannis exaratum, addereque fabulas, deficiente atramento, calamum, ſaliva imbutum, literas reddidiſſe colore coeruleo.* Partem Evangelii Latini Marci a Pragenſibus poſſideri, non magis credit Ittigius *a*) quam *quod Evangelium Ioannis, propria eius manu aureis literis ſcriptum apud Toloſates in eccleſia S. Saturnini ſervetur*, quam fabulam perſtringit Hottingerus *b*). Examinanda

r) *Apol. II. s*) L. *III*, c. *XXV. t*) *Apolog XVIII. u*) *Orat. I. adv Iudaeos. Conferatur Humfr Hodius L. IIII, c. III. ubi ſimul Vſſerium refutat, qui Origenem, coniiciebant, illud exemplar in ſua Hexapla transcripſiſſe, cum ipſe, in Comm. in Matheum et Ioannem, de codicum diſcrepantia conqueratur. x*) *Panſtrat. L. VIIII, c. VII. a*) *Hiſt. Eccl. I Sec. p. CCCCLXXV. b*) *H. E. Sec. XVI, p. CIII.*

nanda etiam essent, quae Montfauconius in Palaeographia de autographo sancti Io. Chrysostomi Senis in Nosocomio exstante, et Lomeierus de Eustathii autographo, Venetiis asservato, refert, nisi obscuriora essent, quam ut, literarum luce e tenebris erui, mereantur.

VII.

ORATIO
DE CAVSSIS ET EVENTV TVRBARVM

QVIBVS NORIMBERGA A. S. R. CIↃCCCXLIX CONFLICTATA EST

IN ACADEMIA ALTORFINA

A. 1738. MENSE NOVEMBRI

PVBLICE HABITA

A IOH. GVILIELMO EBNERO AB ESCHENBACH PATRICIO NORICO *

QVemadmodum omnium bonarum artium cultura; ita cum primis historiae studium, singulari utilitate pariter, atque iucunditate,

* Haec oratio, ex MST. in lucem edita, sub auspiciis Celeberrimi Schwarzii elaborata, hac ex causa est inprimis aestimanda, quod Perillustris oratoris generosissimi pater, Hieronymus Guilielmus Ebner, communis ille eruditorum Maecenas, ex instructissima

Digitized by Google

tare, se commendat. Si enim, quod Cicero, sapientissimus et facundissimus Romanorum Orator, recte dixit, historia est testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae, nuntia vetustatis: ecquid est utilius, et ad cognitionem rerum, morumque regulam illustrandam, fructuosius, quam ex rerum in orbe gestarum memoria omnis exempli documenta, in illustri posita monimento, intueri, atque inde nobis, nostraeque reipublicae, quod imitemur, capere, inde foedum inceptu, foedum exitu, quod vitemus, condiscere? Quid suavius ac iucundius, quam ex antiquitatis iuxta, et aevi recentioris, commemoratione, inexhaustam rerum varietatem, temporum vicissitudinem, fortunae mutationem, cognoscere, et sine labore ullo passim vagari, tot orbis terrarum loca perlustrare, tot bellis sine periculo interesse, tot Principum ac populorum, privatorumque hominum, facta, mores que, animo complecti, et ea perspicere, quae ab Hebraeis, ab Assyriis, a Persis Medisque, a Graecis, a Romanis, imo maxime, quae a Germanis nostris, et olim gesta sunt, et hodie geruntur? Profecto, si eo nomine felix olim iudicatus est Perseus, quod passim vagatus alterum beneficio, totam terrae naturam, et omnia

sima sua Bibliotheca, et ex documentis inter Secreta Curiae Norimb. scripta asservatis cum filio suo dignissimo multa communicavit, quae totam hanc historiam, ab inimicis Aristocratici regiminis Norimb. sinistre interpretatam, illustrare commode possunt.

loca, intueri potuerit; multo et levior certe, et sublimior, his Perſei alis, habenda eſt hiſtoria, quae animum noſtrum longe lateque circumfert, nobisque res, in univerſo terrarum orbe geſtas, quaſi ob oculos ponit. Ex tot vero hiſtoriis, quae ingenio capiuntur, nihil maiori uſui et oblectationi eſſe poteſt, quam memoria rerum fatorumque patriae noſtrae. Quodſi enim animi noſtri aliquando etiam alienarum longeque remotiſſimarum rerum cognitione ducuntur; quanto maiore cum voluptate et commodo ea recognoſcemus, quae propius ad nos, noſtrosque maiores ſpectant? Atque haec ipſa cauſſa eſt, quae me impulit, ut, cum ab iis, quorum auctoritas mihi pro ratione eſt, iuſſus ſim, quoddam Studiorum meorum ſpecimen proferre, iam potiſſimum ad priſca cariſſimae Patriae fata repetenda animum converterim, et ſigillatim de Statu inclutae Reipublicae Norimbergenſis ſub Glorioſiſſimo Imperio CAROLI IV, primum turbulento et calamitoſo, deinde proſpero et florenti, non nihil referre, atque in veriores turbarum iſtarum cauſſas inquirere, conſtituerim. Agnoſco quidem ingenii mei tenuitatem; meque tam gravi argumento pro dignitate exponendo minus parem profiteor; at, quamvis neſciam calamiſtris orationis, et concinnis verborum, ſententiarumque coloribus, uti; in veſtra tamen, Auditores, benevolentia omnem ſpem colloco, confidoque, vos nihilominus mihi hanc particulam hiſtoriae Noricae ſimplici brevique Sermone expoſituro facilem veniam daturos eſſe.

Quemad-

Digitized by Google

Quemadmodum cuivis Reipublicae nihil eſt auſpicatius concordia; ita ex adverſo diſcordia nihil eſt calamitoſius. Illa enim, ad mutuam defenſionem, communemque felicitatem, coniunguntur; hac, ad perniciem omnium diſtrahuntur animi civium. Illa, res tenues parvaeque creſcunt; hac, maximae florentiſſimaeque dilabuntur. Quo fortunatior ergo ſplendidiorque, DEI IMMORTALIS benignitate, et miro regentium parentiumque conſenſu, per tot Saecula ſtetit floruitque Respublica Norimbergenſis; hoc propior ea tunc ab exitio abfuit, cum medio ſaeculo decimo quarto perniciosae ſeditionis fluctibus agitaretur. Cuius turbulentiſſimi ſtatus ortum ut paullo altius iam repetamus; neceſſe eſt, ut ancipitia, quibus tunc urgebatur Imperium Romano-Germanicum, fata nobis paulisper in memoriam revocemus.

Scilicet conſtat inter omnes rerum Germanicarum non plane imperitos, ante CAROLVM IV, Imperatorem glorioſiſſimum, Imperii gubernacula tenuiſſe LVDOVICVM, ex antiquiſſima potentiſſimaque Ducum Bavarorum gente prognatum: qui etſi omnibus virtutibus, quae in magnum optimumque Imperatorem convenire poſſint, fuerit praeditus; propter graviſſima tamen Sacerdotii et Imperii diſſidia, quibus tunc flagravit orbis Chriſtianus, inter res infenſiſſimas aſperrimasque, per annos tres et triginta Imperio praefuit, maxime perverſis et inſidioſis Pontificum Romanorum illius aevi molitionibus impeditus, quorum inſtinctu non pauci

pauci Imperii Principes Ordinesque defecerant. Verum Norimberga, in Imperatores et Imperium semper fidissima, tanto maiorem constantioremque fidem praestitit LVDOVICO, Imperatori magnanimo; quanto plura et insigniora beneficia clementiae eius piis gratisque animis referebat accepta. Et quamvis optimo huic IMPERATORI, iniustis Pontificum diris, aliquoties sacris pariter atque Imperio interdictum fuisset, Principesque quidam Imperii iam CAROLVM, tunc Bohemiae Regem, elegissent destinassentque LVDOVICO successorem; Norimbergenses tamen a fide et obsequio erga LVDOVICVM Imperatorem, quoad hic vixit, ne latum quidem unguem discesserant.

At enim vero, postquam Imperator hic omni gloria dignissimus, tot rebus adversis iam defatigatus, anno supra millesimum et trecentesimum quadragesimo septimo, mense Octobri, supremum obierat diem, Patres Proceresque Reipublicae Norimbergensis tanto minus dubitabant fidem suam adstringere CAROLO, Regi Bohemiae, nepoti Henrici VII, Imperatoris; quanto is maiore comitatu stipatus accesserat Norimbergam, postquam a pluribus Imperii Principibus iam Rex Romanorum electus, declaratusque, ac non solum a civitate Ratisbonensi, sed etiam, teste Henrico Rebdorfiensi, ab omnibus Principibus, et Nobilibus, Franconiae et Sueviae, ad ipsum undique confluentibus, talis agnitus, decenterque cultus fuerat.

Sed

Digitized by Google

Sed audite, quae quantaeque turbae inde exortae tunc miseram afflixerint civitatem; cum plebs Norica auctoritatem exemplumque Magistratus sui, qui CAROLO IV, iam fidem suam et obsequium, pro eo, ac par erat, obligasset, sequi obstinatissime recusaret. Equidem haud nescimus, nonnullos Imperii Principes, nominatim Henricum, Archiepiscopum Moguntinum, Rupertum, Palatinum, et Ericum, Saxoniae Ducem, electionem CAROLI IV irritam declaraturos, de eligendo constituendoque alio Rege conveniisse, ac primum Eduardo, Regi Britanniarum, per literas et nuntios; deinde Friderico Severo, Marchioni Misniae, ac tandem Günthero, Comiti Schvvarzenburgico, summam Imperii dignitatem obtulisse. At enim vero, licet Eduardus, gravibus inductus causis, supremum hunc orbis terrarum honorem deprecatus esset, itemque Marchio Misniae omni iure suo sponte cessisset CAROLO, Regi Bohemiae; neque minus Güntherus Schvvarzburgicus tandem ex certis pactis iuri electionis suae renuntiasset, ac paullo post Francofurti ad Moenum vitam hanc posuisset: nihilo minus tamen popellus pertinax, et plenus inconsideratissimae temeritatis, in proposito suo ita obfirmarat animum, ut, miris tragoediis excitatis, CAROLVM inconsulte stolideque repudiaret; et ex adverso LVDOVICVM, Marchionem Brandenburgensem, filium Imperatoris modo defuncti natu maiorem, unice optaret, poscceret, flagitaret; quasi Caesaris pro lubitu arbitrioque vel eligendi admittendique, vel excludendi ac reiici-

reiiciendi, ius quoddam potestatemque haberet. In tantam vecordiam insaniamque prolabi potest vulgus ingenio mobile, novitatis cupidum, imprudens, ac rerum publice agendarum insçium et rude: si aliquando semel audeat frena mordere, divina et humana iura nihil pensi habere, ac magistratui et bonis obtrectare, aut si aliorum siniſtris consiliis se auferri patiatur.

In ea tanta perturbatione, tota Civitas permota; faciesque seditionis varia, incerta, foeda, atque miserabilis: cum nihil ratione, neque ordine, ageretur. Nec vero putetis alios ista turbasse, et cuncta odio atque terrore impleviſſe, nisi homines infidos, fama fortunisque expertes, et flagitiis facinoribusque coopertos, quibus fides, decus, pietas, postremo honesta et inhonesta omnia, quaestui fuere. Horum auctores ductoresque potissimum duo extitere, in sordibus fere et nati, et educati, et nutriti: quorum alteri cognomen *Pfaventritti*, id est, si ita loqui licet, *Pavonigradi*; alteri, *Geisbartii*, sive *Capricorni barbati*. Hi utrique neque vultum, neque animum bonum habuere. In altero ridiculam gravitatem, et incessum ad pavonis superbientis morem compositum; in altero, praeter barbam caprinam, mentis corporisque foeditatem, facile agnoviſſes. Adeo cum fatalibus ipsorum nominibus etiam mores affectati fatalesque conveniebant, ita tamen, ut iam supra fortunam suam animos gerere viderentur.

Hos

Hos igitur duces, ceteri maleferiati homines, et, exceptis lanionibus, paucisque aliis, quibus melior mens erat, plurimi opifices, quorum res fidesque in manibus sitae erant, relictis officinis, frequentabant. Imo fidem, cum et Senatum crebris concionibus criminarentur, et Nobilitatem passim exagitarent, ac praeterea assecliś suis, nescio quos, pollicerentur aureos montes; maiorem in modum reliquae plebis animos accendebant. Sic, coniunctis consiliis viribusque, Senatoribus, et quibusvis Nobilibus, perniciem extremam machinabantur, et adversariis, quantum in se erat, prodebant patriam, prodebant magistratus auctoritatem. Patres, compertis, quae sibi struebantur, insidiis, incertum primo habuere, fugere, an manere tutius foret? Fugiendum tandem rati, ope cum primis lanionum, aliorumque quorundam rectius sentientium, vitae periculum evasere; dum alii tanquam funus elati, alii peregrina induti veste, alii uxorum habitu, alii sordibus involuti, ad tutiora profugerunt praesidia; nonnulli inter Monachos latitarunt; pauci e nobilibus in Vrbe relicti, qui simulate cum seditiosis agerent, et ex composito significarent exulibus, quorsum tandem res evasura videretur. Interim ii, quos ad perturbandam rempublicam inopia et pravi mores stimularant, in stupris et rapinis, caedibusque, versati, nihil sanctum inviolatumque habuere. Neque solum privatas Patrum, nobiliumque Patriciorum, aedes, itemque Iudaeorum domicilia, mira rapacitate spoliant, ac, quidquid ibi rerum pretiosarum,

tiosarum, atque supellectilium, reperiunt, temere diripiunt: verum etiam, quod maximum scelus erat, Signo contribulibus suis dato, in praetorium, sive curiam, faciunt impetum, foribusque violenter effractis, conclavia ac penetralia quaeque invadunt, aerarium aperiunt, et expilant, pecunias partim sibi servant, partim suis largiuntur Satellitibus, magistratuque vetere reiecto, novum ex sententia et ordine contribulium suorum creant; neque solum e tabulario publica reipublicae documenta abripiunt, flammisque tradunt; sed et antiquissima atque praestantissima Imperatorum superiorum privilegia, illa optima Civitatis munimenta ac praesidia, secum domum auferunt, publicant, dispergunt, perdunt: unde iactura incredibilis et nullo aevo resarcienda in Rempublicam redundavit.

Supersunt vero literae, quas inter istas turbas ad Praefectos illius aevi, sive Burggravios Norimbergenses, scripsisse *a*) dicuntur nefarii patriae proditores: in quibus hi illos, legitimos *Dominos Civitatis*, se autem *subditos* et Norimbergam, *Civitatem Burggraviorum*, foeda humilitate et adulatione appellarunt. Quarum

a) Non negamus, rebelles tunc literas in eam sententiam scribere potuisse; sed iisdem verbis istas scripsisse, minus verisimile nobis videtur. Suspicamur enim, Meisterlinum exemplar epistolae C. Manlii, ex Sallustio, prae oculis manibusque habuisse, et inde non solum res, sed et verba quaedam, uti ex reliqua historia coniurationis Catilinariae, ad hanc historiam

Quarum literarum exemplar, prout id hodie legimus, quamvis facile credam, ex ingenio Meisterliniano effictum fuisse; satis tamen mirari non possum, esse viros, ceteroquin eruditionis fama celeberrimos, (vid. Dn. de Ludvvig, in Praefat. Tomi VIII Reliquiarum Diplom.

historiam seditionis Norimbergensis, transtuliisse. Cuius rei indicium quoddam ut capiant Lectores, utriusque epistolae exemplar his subiiciemus.

Ex Sallustio, cap. XXXIII. Catil. C. MANLIVS MARCIO REGIS.

Deos hominesque testamur, Imperator, nos arma, neque contra patriam cepisse, neque quo periculum homini faceremus; sed uti corpora nostra *ab iniuria tuta forent; qui miseri, egentes, violentia atque crudelitate* foeneratorum plerique patriae, sed omnes fama atque fortunis expertes sumus: neque cuiquam nostrum licuit, more maiorum, lege uti; neque, amisso patrimonio liberum corpus habere. *Tanta Saevitia* foeneratorum atque Praetoris fuit! Saepe maiores vestrum miseriti plebis Romanae decretis suis inopiae opitulati sunt; ac novissime memoria nostra propter magnitudinem aeris alieni, volentibus omnibus bonis, argentum aere solutum est. Saepe ipsa plebs, aut dominandi studio permota, aut superbia magistratuum, armata a patribus secessit. At nos non imperium, neque divitias, petimus aut.

Ex Meisterlini Chronico, cap. XVIII.

ILLVSTRIBVS AC MAGNIFICIS DOMINIS IOHANNI et ALBERTO, Burgraviis Neurenbergens. Consules ac Iurati eiusdem vestrae civitatis se ac sua, uti fideles, ad vota!

Testamur Deum et homines, nos arma non cepisse contra utilitatem patriae, neque ut concivibus nostris *periculum*

plom. medii aevi, §. 12. pag. 24. et Auctorem der ſo genannten Nürnbergiſchen Staats- und Regiments-Verfaſſung ꝛc.) qui ex iisdem literis demonſtrare geſtiunt, *Burggravios civium Norimbergenſium patronos fuiſſe, ne ab inſolenti patriciatu opprimerentur*; item et *eosdem Burggravios a civitate Urbis Dominos agnitos habitosque fuiſſe.* At, ſi quid ego iudicare poſſum, minus decet viros graves ex commentitiis, aut ſi omnino veras putes, ex proditorum patriae, literis, argutias invidia pleniſſimas arceſſere, et lectoribus, neſcio quod glaucoma obiicere velle. Non enim alii literas illas exaraſſe dicuntur, quam homines ſeditioſi, civesque rebelles; qui quanto ſcelere divum CAROLVM IV, Imperatorem electum coronatumque, et a pluribus Imperii ordinibus tunc receptum cultumque, ibidem *Tyrannum Bohemicum* appellare auſi ſunt; tanta impietate etiam legitimum Civitatis magiſtratum oppreſſerant, ciece-

culam faceremus; ſed uti civitas noſtra *ab iniuriis tuta foret.* Nam nos *miſeri, egentes, violentia atque crudelitate* conſulum coacti, qui ſponte, ſua conſcientia exagitati, ſcelerumque multitudine, profugerunt, compulſi rempublicam vendicamus. *Tanta in illis erat ſaevitia*, ut reſpirandi oppreſſis viribus, nullus daretur anhelitus. Inſuper nos et Civitatem veſtram, ſtatuerant tradere in manus Bohemici Tyranni, quem tamen nec legitime electum, nec coronatum accepimus. Qua re inſtanter ſupplicamus, ac humiliter, ut nos, veſtri ſubditi, ac veſtra civitas, vero Caeſari commendentur, ne ſubdolus quique ſuam celſitudinem ſiniſtre occupet. etc.

ciecerántque, et, cum summa imis, sacra profanis, miscerent, iura patriae adversáriis prodiderant. Quod si igitur ex huiusmodi turbulentorum scelestorumque hominum testimonio certa et firma Reipublicae Norimbergensis iura labefactare, aut saltem in dubium vocare liceret: tunc sane etiam fas fuerit, (quod tamen sine execrabili impietate fieri nequit,) vel adversus ipsum Deum sanctissimum testimonio satanae, hostis infensissimi; vel adversus hominem innocentissimum quemque, pessimorum calumniatorum criminationibus, uti.

Verum, haud minus calumniosum fuerit, causas turbarum quibus illo tempore gravissime vexabatur Respublica Norimbergensis, in dominatum et iniustitiam Senatus Nobilitatisque velle reiicere. Nimius hic nugas agit, nimiumque tragoediatur, Meisterlinus, qui, cum forte incidisset in Sallustii historiam de coniuratione Catilinaria, praeposterо imitationis studio, nonnulla inde parum apte depromere, quam veritati rei gestae congruenter scribere, maluit, haud alio, ut opinor, consilio, quam ut flosculos quosdam ex oratione Sallustiniana historiae suae adspergere posset. Sed quae vera istius Seditionis caussa fuerit, ea nequaquam obscura, neque abscondita; sed in aperto posita, et luce clarior est. Cuius rei non domesticos, aut ignotos; sed exteros et probatos, nulloque partium studio praeoccupatos auctores atque testes nunc producam:

Prodeat prae ceteris *Henricus Rebdorfen-ſis*, teſtis locuples, nec ſpernendus illius aevi ſcriptor, qui, res geſtas *Adolphi*, *Alberti*, *Friderici*, *Ludovici Bavari*, et *Caroli IV Imperatorum*, complexus, ad annum Saecu decimi quarti quadrageſimum octavum hu Annalibus ſuis inſeruit: *Eodem anno*, inquit, *feria IV proxima ante feſtum Penteccoſtes*, *Civitate Nurenberg rumor* (ſiue tumultus) *fuit*, *quod populares*, id eſt, inferioris conditio cives, *propter obedientiam factam Regi* (CA-ROLO) *contra Primores ſurrexerunt*, *et, excitato tumultu*, *ipſos de civitate expellunt*, *et LVDOVICVM*, *Marchionem Brandenburgen-ſem*, *pro Domino receperunt.*

Porro, ex eodem aevo, teſtimonium per-hibeat *Albertus Argentinenſis*, qui Chroni-con a RVDOLPHO primo Habsburgicae propa-ginis, ad exceſſum CAROLI IV, Imperatoris, bona fide condidit. Hic vero, ad eundem annum milleſimum trecenteſimum quadrageſi-mum octavum: *Oppidum Nurenberg*, inquit, *eiectis potentioribus Regis*, CAROLI IV,) *fau-toribus*, *dicente populo*, *ſe non conſenſiſſe in Re-gem*, *Marchionem de Brandenburg pro Rege acceptavit.*

Operae pretium eſt, teſtibus his antiquis et tempori rei geſtae aequalibus quosdam etiam paullo recentiores adiungere; qui quamvis non aevo CAROLI IV floruerint eius tamen res ge-ſtas ex idoneis documentis erutas expoſuerunt. Audiamu

Digitized by Google

Audiamus adeo adhuc Iohannem Aventinum *b*), diligentissimum Annalium Boicorum auctorem. *Ipse* CAROLVS, inquit, *Ratisbona Norimbergam petit, et honorifice a Patribus receptus est. Populus vero, concitato tumultu, illos Patres exturbat*: LVDOVICVM BRANDENBVRGENSEM, *filium* LVDOVICI, *Imperatoris, amicissimi Norimbergensibus, recipit.*

Audiamus denique nobilissimum rerum Boicarum Scriptorem, *Adlzreiterum c*), *Ludovicum*, inquit, *nihil pro se ambientem, Norimbergae pleraque opificum collegia, CAROLO infensa, Regem optarunt. Orta a factionis ferariis conspiratio, ceteros tribules ita concitavit, ut Vrbis primores in capitis et forensium discrimen venerint, eo duntaxat, quod insciis plebis consilium de extollendo Ludovico roborarent. Plerisque fuga ex Vrbe saluti fuerunt habitu alieno personati, sordidatique, insidiantium oculos fefellerunt.*

Audivimus iam testes, eosque idoneos, et [illegible], nec partium studio deditos. Nihil [illegible] de crudelitate, nihil de inhumanitate, nihil de iniquitate et insolentia Magistratus Norimbergensis: quippe quem neque quidquam [illegible] tunc egisse narrant, nisi quod, tempori [illegible]pter inserviens, post mortem LVDOVICI, [illegible]peratoris, CAROLO Bohemico, Regi Romanorum iam designato coronatoque, obedien-

I 3 tiam,

b) Lib. VII. cap. XX, §. 7.
c) Annal. Boic. P. II. Libr. IV, n. 34.

Digitized by Google

tiam, et reverentiam, pro eo, ac par erat, praestandam decreverit. Omnem potius turbarum culpam hi testes aperte tribuunt ferocienti atque insanienti plebi. Et, quid ferocius, quidque insanius, esse poterat, quam omnes leges divinas humanasque violare, magistratum legitimum et innocentem opprimere, nec, nisi illum Regem Imperatoremque agnoscere atque admittere velle, cuius eligendi ne quidem praepotentes Imperii Principes, penes quos ius ac potestas constituendi Imperatoris erat, rationem habuerant?

Interim in ista rerum asperitate, Respublica in extremo sita, tristissimum habitura fuisset exitum, nisi Deus propitius prohibuisset! Equidem Patres civitatis, animo vere paterno, nihil praetermiserant, ut animos plebis imperitae mollirent, mollitosque traducerent ad meliorem Sententiam: Sed obsurduerant aures hominum perversorum ad salubberrima quaeque consilia atque monita. Praesto etiam erat Conradus *Haideckius*, vir prudens et strenuus, magnumque ordinis equestris Franconiae ornamentum; qui, iussu et auctoritate novi Caesaris id maxime agebat, ut, et benigne pollicendo, et graviter minitando, civitatem discordem in ordinem redigeret. Sed et haec irrita fuit legatio: nisi quod Vir optimus Senatoribus, aliisque innocentibus, Norimberga exturbatis, in castro Haidecciano (quod Rostallum vocatur) praebuit perfugium, neque paucos ex seditiosis

captos,

captos, a quibus sibi insidias parari intelligebat, iustae ultionis caussa, cruci affixit.

Tandem, anno illius aevi unde quinquagesimo, evenit, ut CAROLVS IV., superatis iam adversariis suis, rebusque in Imperio feliciter compositis, magno Bohemorum, Saxonum et Thuringorum, exercitu instructus, ipse adventaret Norimbergam, et primum circa Megeldorfium villam castra metaretur, cui praeterea sponte occurrebant Francones, omniumque fere civitatum imperialium copiae. Quid iam facerent seditiosi illi, homines eius generis plerumque rebus secundis feroces et efferati; adversis autem timidi atque abiecti? Quid, inquam, facerent; cum iam non solum *Burggravios* Norimbergenses, sed et *Ludovicum*, Marchionem Brandenburgensem, quorum fiducia tantas res ausi erant, ad partes CAROLI Caesaris pertractos; se vero nunc noxios, inopes, desertos, omnisque cruciatus et supplicii reos, sentirent. Non hic opus erat CAROLO, novo Imperatori, machinis tormentisque ad moenia Vrbis expugnanda; dum turbulenti illi cives, qui ex mala conscientia digna quaeque coeperant timere, partim clam se subduxerant, partim humiliter se submittebant imperio CAROLI, eiusque gratiam quam demississime flebilissimeque implorabant.

Imperator indulgentissimus, Vrbem ingressus, nihil prius et antiquius habuit, quam ut Senatores pristinos revocaret ab exilio; quibus

innoxiis, et sibi imperioque fidelibus publice declaratis, non solum dignitatem et iura antiqua restituit; sed et clementissime amplificavit, et inprimis castrum imperiale iam dum concredidit; cum satis intelligeret Princeps sapientissimus, marcescere tandem virtutem neglectam; contra vero, cum vindicandum esset in homines nocentes, totam caussam veteri etiam instaurato Senatui, atque ex hoc nominatim *Conrado Stromero*, et *Georgio Vorchtelio*, viris sapientibus ac multarum rerum peritis, inquirendam, iudiciumque exercendum, commisit. Vnde rebelles istos perfidiae et criminis maiestatis reos arguit; antesignanos vero, et praecipuos Seditionis auctores, severa mortis poena affecit; fontes nonnullos in perpetuum Vrbe removit; plurimis denique veniam delicti fecit clementissime.

Atque ita saluberrima illa forma Reipublicae quae dicitur Aristocratia, haud quidem, quod nonnulli praeter caussam opinati sunt, primum fuit Norimbergae instituta; sed potius redintegrata, et vindicata, atque pluribus legibus confirmata. Haec est illa ipsa forma, sub qua, divini Numinis munere, Reipublica Norimbergensis intra tot saecula feliciissime efflоruit, et, si unicam istam turbam exceperis, cuius caussam etiam ipsi Bauarici scriptores non in regimen moresque Patrum, sed in maiorem plebis partem, alium sibi Caesarem, prae CAROLO, imprudenter et temere adsciscere volentem, conferunt; hanc unicam, inquam, si seditionem exceperis,

Digitized by Google

exceperis, semper tranquillissime concordissimeque stetit, ac, fauente DEO immortali, porro salua lospesque florebit. Haec denique est illa eximia reipublicae forma, cuius ordinem pulcherrimum ipsi exteri admirari consueuerunt.

E multis, in hac temporis angustia, unicum *Iohannem Boainum d*), Andegauensem, celeberrimum illum de Republica scriptorem, excitare liceat, quamuis alioqui non omnia, quae ille scripsit, mea faciam. Quemadmodum, *inquit*, universitas Imperii Germanorum, sic maxima quaeque civitas, aristocratiam tuetur. Exemplo sit Norimberga, omnium Imperii Civitatum maxima, maximeque Optimatum statum amplexa: in qua scilicet ex innumerabili civium multitudine, octo tantum et viginti familiae ab antiqua stirpe honorum atque imperii participes sunt. Ac primum annui censores summae virtutis et existimationis, quantum quidem fieri potest, optimatum suffragio creantur; creatis censoribus, ceteri magistratus abdicant. Tunc censores senatum arbitrio suo, selectis XXVI. Senatoribus constituunt; deinde senatus de suo corpore XIII. viros ad arcana imperii tractanda seligit; et ex eodem Senatu XIII. Scabini suffragio fiunt; deinde Septemviri, quorum eadem fere, quae apud Venetos, decemvirorum potestas est. Atque hi quidem, quos dixi, magistratus, summa quaeque Reipublicae negotia pertractant. Omitto Quinque viros publicorum, ad duodecim priuatorum iudiciorum,

d) Lib. II. de Republ. pag. 226.

Digitized by Google

rum, Praefectum annonae, duos Quaestores, Quatuorviros tutelares, eadem pene poteſtate, qua Divi Marci Procuratores apud Venetos; quorum exemplar Norimbergenſes ſecuti quodammodo videntur. Haec Bodinus: quae vero copioſius et accuratius quondam expoſuit *Chriſtopherus Scheurlius*, primarius quondam Inclyti Senatus Norimbergenſis Conſiliarius, de patria immortaliter promeritus, et in Abnepote dignißimo adhuc redivivus.

Falſi igitur illi ſunt, falſelleruntque alios, qui tradidere ariſtocraticam formam demum proximis ſaeculis invaluiſſe Norimbergae. Quo nomine nunc appello *Hugonem Grotium*, cuius nomen alias vel maxime veneror, proſuſque mihi perſuaſum habeo, hunc unum inter omnes mortales, qui hucusque exquiſitiſſimae eruditionis gloria inclaruere, fuiſſe ſummum. Hic vero in annotationibus ad immortale opus ſuum de Iure Belli et Pacis, tradit *e)*, a CAROLO V, Imperatore, eodem tempore Auguſtam civitatem petiiſſe, ne ſenatus Vrbis ſuae placita valerent, niſi aſſenſiſſent Curiarum magiſtri, ſive Opificum tribuni; Norimbergam vero plane contrarium flagitaſſe. Eadem fere, ſed mutato Caeſaris nomine, legimus in Chronico *Carionis*, *f)* a Melanchthone et Peucero aucto. *Vno*, inquiunt, *et eodem die, Vrbs Norimberga, et Auguſta Rhaetica, petiverunt contraria a Sigismundo, Imperatore. Auguſta petivit inſtitui, ne quid Senatus*

e) Ad Cap. III. Lib. I. §. 8

f) Lib. II. p. 134.

Digitized by Google

Senatus constituerent, nisi tribunis opificum approbantibus; Norimberga petivit, ne liceret tribunis impedire Senatus decreta. Nunc CAROLVS V, *potestatem tribunitiam Augustae rursus sustulit. Et apparet, Arristocratiam rempublicam in magno coetu optimam esse.*

Meritissimus quondam de Republica Norimberga Consiliarius, et huius Academiae Procancellarius, *Magnus Fezerus*, censuit, in *Grotii* loco excitato insignem haud dubie errorem latere, imposuisseque huic magno Viro, vel incertam alicuius narrationem, vel Chronicon quoddam MS exiguae fidei iudiciique. Defendi tamen forte Grotianam annotationem posse, si loco CAROLI V. Imperatoris, Quartus, et pro Augusta, Argentoratum, substituatur. A CAROLO enim Quarto, Imperatore, antiquiorem Norimbergae Senatum, quia a CAROLI partibus adhuc steterat, et cui maxima pars populi restitit, post dispulsam seditionem, restitutum, renovata prioris regiminis forma, tunc obtinuisse a CAOLO, ut Tribus, quarum potissimum conventibus, atque clandestinis consiliis, seditio invaluerat, ac, pristino Senatu electo, nova Reipublicae forma introducta fuerat, in perpetuum abolerentur.

Sed forsasse brevius *Grotii* et *Melanchthonis* narrata cum veritate conciliabimus, si credamus, utrosque nostra laude maiores, non tam de prima aristocratiae Norimbergensium institutione, quam de repetita pristinorum iurium at-

que

que privilegiorum confirmatione, esse locutos. Et enim, quoad longissime memoria rerum Norimbergensium ex priscis annalibus repeti potest, evidentibus constat testimoniis, Rem publicam hanc semper Optimatum regimine floruisse; cum plurimae ceterarum Imperii civitatum liberarum fere populari, sive democratico, regantur atque administrentur consilio. Quis enim nescit, antiquis temporibus nobiles et Comites, melioris cultus, commodiorisque habitationis causa, sese frequentes contulisse in urbes, ibique, ipsis civibus haud invitis, identidem regimini civitatum admotos, sibi suisque familiis perpetuum constituisse domicilium. Id quod Norimbergae tanto magis accidit, quanto commodior aptiorque sedes haec uisa est priscis quibusdam Imperatoribus, in quorum aulas passim confluxere viri, et genere, et dignitate conspicui. Hinc ortae in civitate familiae inclytae, et opulentae, et possessionibus variis castellisque insignes; quarum propagines singulari Numinis beneficio, magnam partem adhuc dum supersunt, vigentque.

Verum, pace vestra, Auditores humanissimi, paullisper redeo ad Statum Reipublicae Norimbergensis, post calamitosam seditionem, auspiciis CAROLI IV, Imperatoris, felicissime florentem. Non equidem ignoro, quam diversa sint eorum iudicia, qui de huius Imperatoris vita rebusque gestis exposuerunt. A nonnullis enim vituperatur, quod dissipaverit res Imperii; quod nimium indulserit Pontifici Romano; et quod aliis modis diminuerit patri-

Digitized by Google

patrimonium Imperii. Alii e contrario eundem praedicant, tanquam Principem in consiliis capiendis providum, in agendis rebus circumspectum, bellorum nec cupidum, nec metuentem, multarum linguarum peritum, pacis publicae procurandae studiosissimum, et amplificatorem rei literariae munificentissimum. Atque hi, ut excusent Imperatorem, omnem culpam earum rerum, quas in deteriorem partem alii rapiunt, in necessitatem temporis, et in mores Procerum illius aevi corruptos, reiiciunt; eumque, aiunt, temporibus prudentissime inservisse, ac, cum aliter tranquillitatem publicam tueri haud valuerit, res, quae servando servari nequiverint, non nisi certis conditionibus alienasse; noluisse esse tyrannum, ac, cum Principibus Civitatibusque egregia concesserit privilegia, sibi detraxisse, ut aliis benefaceret; neque adeo imminuisse imperium, quam Imperatoris temperasse potentiam.

Vtcunque est, tanto tamque clementi Imperatori immortales debet gratias Norimberga nostra, quod Rempublicam hanc non solum salutaribus circumscripsit legibus; sed et eidem eximia prorsus immunitatis iuriumque genera impertivit. Eius certe auspiciis, frequentia, tunc comitia Norimbergae sunt celebrata, quorum ea maxime memorabilia Patriaeque nostrae gloriosa fuerunt, in quibus sanctio illa Carolina, quae vulgo Aurea Bulla audit, maximam partem condita atque promulgata fuit, illud scilicet unicum Ordinum Imperii vinculum mutuum,

Digitized by Google

tuum, illud firmamentum ac propugnaculum tranquillitatis et pacis in Imperio. Quid dicam de splendido illo divae Virginis Mariae templo, quod idem Imperator religiosissimus, loco Synagogae Iudaicae, inde remotae, aedificandum, munificeque dotandum curavit. Quid de reliquiis insignibusque Imperii, eiusdem Caesaris auspicio Norimbergam delatis, et Reipublicae Norimbergensi, tanquam tutelari, concreditis, quas ab illa aetate usque ad haec tempora, tanquam Sacrum Imperii palladium fidelissime pariter atque felicissime servat? Quod denique tempus, et quae vires sufficiant recensendis illis diplomatibus atque privilegiis, quibus in singulare decus et incrementum floremque perennem huius Reipublicae concessis CAROLVS IV, gloriosissimus Imperator, modo pristina Norimbergensium iura confirmavit clementissime, modo nova munifice largitus est, modo privilegia forte in praeiudicium Norimbergensium aliis indulta, iustissime revocavit, atque irrita esse iussit?

Verum, ne longiore Sermone vobis, Auditores, molestus sim, nunc in piis votis desino, Deum O. M. precatus, ut, quemadmodum illustrem Rempublicam Norimbergensem inter gravissimas fortunae tempestates, et maxima temporum mala, clementissime servavit; ita porro volens propitius faveat muneribus suis, efficiatque, ut, Salvo Augustissimo Imperatore, CAROLO VI, Caesare Deo dilecto, felicitas maiestasque sacro Imperio perpe-

tu

Digitized by Google

Constet, atque ut, Salvo pacatoque Imperio Romano, salva itidem perstet, et ab omni rerum adversarum iniquitate tuta semper floreat Respublica Norimbergensis,

* *

VIII.

...ICVS RELIGIONI CHRISTIANAE CONTRARIVS ILLVSTRANDVM LOCVM ACT. XVII. 18. EX MST. AVTORIS ...DAN. THEOPH. GERSTENERI ...AST. WICHTSHVS. APVD HENNEBERG.

...iam aequitatis laudem Stoicorum dogmata *a*) mereri quidem quam plurimis ...m et nunc videntur, quippe cum τὰ ...οντα et τὰ κατορθωματα hominibus singulari

...icismum, seu, si mavis, dogmata Stoicorum ...are cum veritatibus divinis, multis quoque ab... probavit *Io. Ge. Neumann*, decus quondam ...demiae Vitembergensis, in diss doctissima *Chri...anismus Stoicus hodieque redivivus*, in qua multa ...currunt, quae nostris sententiis conveniunt, eas... omnino confirmant. Quamvis *Moyses Amiral...* in libro de *religione* gallice composito et ab ...driano Stegero 1667. in vernaculam translato P. II. ...7. p. m. 445. miretur, cur Stoici παλιγγενεσίαν docentes

singulari studio iniungere laborarent, et maxima iuris consultorum Romanorum pars, aeque ac reliquorum, sanctissimae, ut putabant, haeresi studerent. Oracula tamen sacra novi Foederis in mentem nuper revocabant meam Stoicos Christianae doctrinae, quam Paulus iussu divino annunciavit gentibus, adversantes, atque argumentis quibuscunque acriter oppugnantes. Hac occasione non potui non, quin maiore studio splendida eorum dogmata perpenderem, Sigillatim vero ea, quae cum resurrectione corporum nostrorum minus conveniunt, ex quibus dilucide apparebit, quanta ipsorum fuerit virtus, cuius specie prae reliquis Philosophorum familiis pollere videbantur. Effatum illud Scriptoris sacri, cuius gratia hunc qualemcunque libellum composuimus legitur Act. XVII. v. 18. τινες δε των Επικουρειων και των Στωϊκων Φιλοσοφων συνεβαλλον αὐτω και τινες ελεγον τι ἀν θελοι ὁ σπερμολόγος ὑτος λεγειν; οι δε Ξενων δαιμονιων - - και την ανασταsιν αὐτοις εὐηγγελιζετο; ab *Joh. Georgio Walchio*, meritis in Rempublicam litterariam atque res sacras prorsus insigni Viro in *observationibus in N. F. libros, quarum prima pars continet loca, quae ex historia philosophica illustrantur*,

contemserint dogmata Pauli de resurrectione. Nec non doctissimus *Io. Frider. Bertram*, qui ficto nomine *Eleutherii a Verimontibus*, Gedanken von der menschlichen Vernunft edidit, non paucis dissensum Stoicorum a Christiana doctrina P. I. p. 275. satis erudite probat.

Digitized by Google

nitur, pro suo more docte atque solide examinatum est, cuius meditationes occasionem hi praebuerunt ulterius hanc Sententiam inirendi. Non est tamen, ut cum *Schurzfleisio* in Dissertatione *de Anastasi contra Ethnicorum mentem pro Dea habita* Lipsiae 1708. tam *anastasin b*) fingamus, id quod etiam magni nominis Theologi *Iohannes* nempe

commode mihi in manus venit programma solemne 1708. festo paschatos in academia Ienensi publice propositum, idem oraculum divinum exponens, quod et p. 6. docet, *Chrysostomum*, illud ecclesiae Ienensi, primum affirmasse, *Christum* et *Anastasin* ab Athenensibus pro idolis peregrinisque daemoniis fuisse habitum, quem alii deinde sunt secuti. Pagina sequente vero, nostram vindicat thesin, et multis variis, nec levibus argumentis ostendit, *Lucam* incusare in Actis apostolorum laudato loco, Stoicos cum Epicureis dogma Christum θεὸν γενέσθαι esse mortuum ac resuscitatum, et nos quoque in vitam redituros fore, gnaviter impugnasse. Sic quoque *Io. Ern. Immanuel. Walchius* vestigia patris laudatissimi studiosissime premens, in cathedra Ienensi dissertationem elegantissimam a. 1759. 20. Oct. tuitus est, quam inscripsit: *Stoicorum cum Paulo disputatio*. Act. XVII. 18. meritis elogiis ornatam in Erlang. Gel. Zeit. 1760. 51. p. 37. sq. Is aliam ingreditur viam et τὰ διάφορα τῶν de persona optimi servatoris explicat, simulque ad gentilium doctrinam περὶ τῶν θεῶν, τῶν ἡμιθέων, καὶ τῶν ἡρώων applicat, pro sua, qua multos vincit, eruditione. Consulendus quoque a nobis fuisset *Godofr. Olearius* eiusq. diss. *de gestis Pauli Urbe Athenienſium* Act. XVII. 16. sq. respondente Herm. Kutmeier a. 1706. Lipsiae habita, abs aliis laudata.

Conradus Danhauerus in *Polemosophia* pag. 222. et *Wilhelmus Cave antiquit. Apost.* vita Pauli c. 3. §. 7. fecerunt, quod a veritate alienum utique pronunciat *Walchius* l. c. p. 80. seqq. conferas etiam *Bidermanni* progr. ἀναςασις ξενου δαιμονιου Act. XVII. 18. Freybergae 1751. editum. Adde si lubet M. *Chr. Fridr. Börneri* dissert.: *de disputatione Pauli cum Epicureis et Stoicis* ad Act. XVII. 18. I. 1751. 4. pl. 4. Haec enim doctrina de resurrectione ab illis semper inimicis petita fuit adversariis, quod vel Pauli testimonio firmare possumus, qui publice profitebatur se accusari de resurrectione mortuorum Act. XXIII. 6. Non vero *Sadducaei* soli *Paulo*, de resurrectione mortuorum verba facienti, contradixerunt, sed etiam *Stoicis* c) atque *Epicureis* erat offensioni. Paulus Athenas ingressus in ἀγορᾳ, quae cum *Ceramico* d) coniuncta erat, nec procul a ςωα illa celebri distabat, concionabatur, obser-

c) *Witsius*, doctissimus Batavus, disputationis huius Paulinae quoque meminit; in vita Pauli sect. VI. §. I. *Meletematibus Leidensibus* inserta p. 80. ita tamen, ut nullam prorsus resurrectionis mentionem iniiciat sed alia potius dogmata Stoicorum, divinis christianorum rebus contraria alleget, in maiestatem Dei summi iniuria, quae tamen sententiam nostram, quam spiritus sanctus indicat, non excludunt. Annotare et hic liceat, quod biblia antiqua Lubecensia vocem philosophi interpretati sint natürlich Meister. vid. I. H. *Seelen selecta litteraria* p. 246. et 420.

d) Allegatum a nobis iam progr. Ienense p. 4. nobis persuadere vult, Paulum cum his philosophis foro, quod

obſervantibus id celeberrimis viris, *Walchio* l. c. p. 78, et *Iob. Chriſtophoro Wolfio* in ſuis *curis criticis* ad hunc locum. Argumentum orationis ſuae erat dogma reſurrectio mortuorum atque iudicium univerſale certo futurum. Stoici, qui concioni intererant, nolebant admittere Theſin a Paulo propoſitam atque demonſtratam, *idem numero corpus olim reſurrecturum fore.*

Exponam prius dogmata Stoicorum atque argumenta quibus hanc veritatem infringere conabantur: poſtea vero quoque oſtenſurus ſum infirmitatem telorum. Vt autem Stoicorum mentem, planius explicem, in unum cuncta cogam. Aſſeruerunt ſcilicet, *omnia, creaturae nomine venientia perire, atque in Chaos ſuum redire: Chaos autem illud ſive naturam univerſi, hoc eſt, Deum Stoicorum, ſeu animal rationale, continuae mutationi obnoxium eſſe, genium vero ſive animam noſtram particulam divinam.* En Spinozismum ante Spinozam!

quod *Eretria* dicebatur, diſputaſſe, huncque locum clarum fuiſſe ob aram τῦ ἐλέους, ſive miſericordiae. Cauſam vero, quare ab his philoſophis in *areopagum* ſit protractus, et ad iudicium vocatus, docet nos *Io. Frid. Buddeus* non ſine laude nominandus, in comment. *de concordia relig. chriſt.* p. 83. (ed. H. 1712. 8.) nimirum quia στάσεις et omnis cultus a romano diverſus erat interdictus, et vix Iudaeis atque Graecis ius ſacrorum ſuorum erat relictum, nec, niſi conſentiente ſummo magiſtratu, nova ſacra in locis orbis romani eſſent celebranda.

Digitized by Google

Et primo quidem confirmabit Antoninus Libr. 2. §. 17, ubi prolixe disputat, omnia mutabilia esse, et nihil alienum ab dissolutione, sigillatim vero inquit: Τὸ ἀνθρωπινὸν βιὸς ὁ μὲν χρόνος, στιγμή· ἡ δὲ οὐσία, ῥεῦσις· ἡ δὲ αἴσθησις, ἀμυδρά· ἡ δὲ ὅλου τοῦ σώματος συγκρισις, εὔσηπτος· ἡ δὲ ψυχὴ, ῥόμβος· ἡ δὲ τύχη, δυσεκμαρτον· ἡ δὲ φήμη, ἄκριτον. συνελόντι δὲ εἰπεῖν, πάντα, τὰ μὲν τοῦ σώματος, ποταμός· τὰ δὲ τῆς ψυχῆς, ὄνειρος καὶ τύφος, et quibusdam interiectis: ἐπὶ πᾶσι δὲ τὸν θάνατον ἵλεω τῇ γνώμῃ περιμένοντα, ὡς οὐδὲν ἄλλο ἢ λύσιν τῶν στοιχείων, ἐξ ὧν ἕκαστον ζῶον συγκρίνεται. *Vitae humanae tempus, punctum est: natura, fluxa: sensus, obscurus: corporis universi fabrica, putrescere prona: anima vaga: fortuna, res impervestigabilis: fama, quiddam iudicii expers: et, ut verbo dicam omnia, corporis quidem fluvius; animae vero, somnium et fumus: - - - mente denique propitia placidaque mortem ipsam expectantem, tamquam elementorum eorum dissolutionem, ex quibus animal unumquodque constitit.* et l ibr. VI. §. 24. Ἀλέξανδρος ὁ Μακεδὼν, καὶ ὁ ὀρεωκόμος αὐτοῦ ἀποθανόντες εἰς τ' αὐτὸ κατέσησαν· ἤτοι γὰρ ἐλήφθησαν εἰς τοὺς αὐτοὺς τοῦ κόσμου σπερματικοὺς λόγους· ἢ διεσκεδάσθησαν ὁμοίως εἰς τὰς ἀτόμους. *Alexander Macedo, eiusdemque mulio, quum mortui sint, ad idem plane redacti sunt; vel enim*

enim in easdem mundi rationes seminales recepti, vel in atomos pariter sunt dissipati. Porro lib. 7. §. 32. περι θανατου ει σκεδασμος, ἡ ἀτομοι, ἡ κενωσις, ἡτοι σβεσις, ἡ μεταστασις. *Ad mortem quod attinet, sive fuerit dissipatio, sive in atomos redactio, sive exinanitio; vel est exstinctio vel translatio.* Denique l. c. §. 50. Και τα ἐκ γης μεν φυντα, εἰς γαιαν τα δ' ἀπ' αἰθερος βλαστοντα γενη εἰς αἰθεριον παλιν ἠλθε πολον. ἡ τουτο διαλυσις των ἐν τοις ατομοις ἀντεμπλοκων, και τοιουτος τις σκορπισμος των ἀπαθων στοιχειων. *Retroque meant, quae terra dedit. Iterum ad terram; at quod ab aetherio venerat orsu, caeleste poli repetit templum. - - - aut hoc est atomorum invicem implexorum dissolutio, aut elementorum sensus expertium dispersio.* In Chaos vero suum cuncta redire, docet nos quoque *Antoninus* lib. IV §. XXIII. Παν μοι συναρμοζει, ὁ σοι εὐαρμοστον ἐστι, ὡ κοσμε. οὐδεν μοι πρωϊον, οὐδε ὀψιμον, το σοι εὐκαιρον, παν μοι καρπος, ὁ φερουσιν αἱ σαι ὡραι, ὡ Φυσις. ἐκ σου παντα. ἐν σοι παντα, εἰς σε παντα. *Quicquid tibi convenit, o munde, convenit et mihi. Nihil mihi immaturum vel serum est, quod est tibi tempestivum. Fructus instar, id est, omne mihi, quod tempestates tuae, o natura, ferunt. A te omnia sunt, in te consistunt, ad te redeunt.* Eandem sententiam tuetur libr. V §. 13. Εξ ἀτομους και ὑλικα συνεχηκα· οὐδετερον δε

τȣτων ἐς το μη ὀν φθαρησεται· ὡσπερ ȣδε εκ τȣ μη ὀντος ὑπεςη. ȣκȣν καταταχθησεται παν μερος ἐμον κατα μεταβολην ἐις μερος τȣ κοσμȣ. και παλιν ἐκεινο ἐς ἑτερον μερος τȣ κοσμȣ μεταβαλει· και ἠδη ἐις το ἀπειρον, κατα τοιαυτην δε μεταβολην καγω ὑπεςην, και οἱ ἐμε γεννησαντες, και ἐπανιοντι ἐις ἀλλο ἄπειρον. ȣδεν γαρ κωλυει ȣτως φαναι, καν κατα περιοδȣς πεπερασμενας ὁ κοσμος διοικηται. *Forma consto et materia: harum neutra in nihilum interibit, quemadmodum nec ex nihilo processit. Omnis ergo pars mei, mutatione interveniente, in mundi partem aliquam pro ratione sui redigetur. Et haec rursus in aliam mundi partem mutabitur: et sic in infinitum. Mutationis autem huiusmodi opera et ipse exstiti, et qui me genuerant, atque ita retro in aliud infinitum. Nihil enim vetat, quo minus hoc dicam, etiamsi secundum periodos, finibus certis terminatas, mundus iste digeratur.* Adde Libr. 7. §. 19 et 23. priori loco inquit: Δια Ιτης των ὁλων ȣσιας, ὡς δια χειμαῤῥȣ διεκπορευεται παντα τα σωματα, τω ὁλω συμφυη και συνεργα, ὡς τα ἡμετερα μερη ἀλληλοις. ποσȣς ἠδη ὁ ἀιων Χρυσιππȣς, ποσȣς Σωκρατεις, ποσȣς Επικτητȣς καταπεπωκεν, το δ' ἀυτο και ἐπι παντος ȣτινος ȣν σοι ἀνθρωπȣ τε και πραγματος προσπιπτετω. *Per mundi substantiam, tanquam per torrentem, corpora transeant universa, ipsa universa, pro-*

Digitized by Google

ut membra sibi invicem nostra, coalita et eidem cooperantia. Quot Chrysippos, quot Socrates, quot Epictetos iamdudum absorpsit aeuum istud? idemtibi de quovis tum homine, tum re succurrat. Posteriore autem: Ἡ τῶν ὅλων Φύσις, ἐκ τῆς ὁλης ὑσιας, ὡς κηρὸ, νυν μεν ἱππαριον ἐπλασε, συγχεασα δε τοτο, εἰς δενδρὸ Φυσιν συνεχρησατο τη ὑλη αὐτὸ. εἰτα εἰς ἀνθρωπαριον, εἰτα εἰς ἀλλο τι. ἑκαστον δε τοτων προς ὀλιγιστον ὑπεστη. δεινον δε ὀδεν το διαλυθηναι τω κιβωτιω. ὡσπερ ὀδε το συμπαγηναι. *Vniversi natura ex communi rerum omnium materia, tanquam ex cera, nunc equuleum effingit; quem mox denuo diffingit, eiusdemque materia, ad arborem producendam abutitur; tum ad homuncionem, dein ad aliud quidpiam. Horum autem quodlibet ad breue temporis spatium subsistit. Istis autem, sicut arcae, dissolui nihilo magis molestum est, quam compingi primo fuerat.* Et *Seneca* in libro de *consolatione* ad Polybium cap. 20 eadem asserit: *nostra corpora compares, firma sunt; si redigas ad conditionem naturae omnia destruentis, et unde edidit, eodem revocantis, caduca sunt.* Et paulo post pergit: *et hoc universum, quod omnia divina humanaque complectitur, si fas putas credere, dies aliquis dissipabit, et in confusionem veterum tenebrasque demerget.* Huc etiam faciunt verba Antonini Lib. IV. § XIV et XXI. l. X. § VII, quae doctissimus *Budeus* in introductione ad Philosophiam Stoicam

ex mente sententiaque *M. Aurelii Antonini* Imp. libris εις ἑαυτον edente Wollio praemissa laudavit Sectione IV. §. 8. et 13. Affirmasse vero Stoicos omnia quaecunque esse, ad Chaos illud pertinere, sive naturam universi, quam Stoici pro Deo habebant, pertinere; sic enim testatur lib. 12. §. 30. μια ὑστια κοινη, καν διειργηται ἰδιως ποιεις σωμασι μυριοις. μια ψυχη, καν φυσεσι διειργηται μυριαις, και ἰδιαις περιγραφαις. μια νοερα ψυχη, καν διανεχεισθαι δοκη. τα μεν ὑν αλλα μερη των εἰρημενων, οιον πνευματα και ὑποκειμενα, ἀναισθητα και ἀφυκειωτα ἀλληλοις. *Una materia communis, etiamsi corporibus peculiaribus adfectionibus distinctis innumerabilibus dispescatur. Una anima, etiamsi naturis innumerabilibus et circumscriptionibus peculiaribus dispescatur. Una anima rationalis, etiamsi dirimi videatur. Aliae ergo rerum dictarum particulae, formae nempe et materiae sensus expertes, necessitudinis vinculo non connectuntur sibi invicem.* Libr. XII. §. 40. vocat hunc mundum animal: ὡς ἑν ζωον τον κοσμον, μιαν ὑσιαν και ψυχην μιαν ἐπεχον, συνεχως ἐπινοειν. και πως εις αἰσθησιν μιαν την τουτου, παντα ἀναδιδοται. και πως ὁρμη μια παντα πραττει. και πως παντα παντων των γινομενων συναιτια· και οια τις ἡ συννησις και συμπνευσις. *Cogita iugiter, mundum esse animalis unius instar, quod materiam unam, animamque*

Digitized by Google

mamque unam obtineat : item quomodo ad ſenſum huiusce, unum et illum, omnia referantur : unoque quaſi impetu ferantur universa, et ad omnia producenda concurrant : quis denique rerum connexus et contextus ſit. Mundum vero ſive complexum rerum pro Deo habuiſſe, docet *Seneca* nos quaeſt. nat. : Libr. 2. c. 45. *Sed eundem* c) *quem nos Iovem intelligunt, cu-*

c) Eadem de Stoicis eorumque dogmatibus aſſerit *Diogenes Laertius*, et quidem libr. VII. p. 440 (edit. lat. edente Iohanne Bouliero Lugd. 1562. 12.) adſcribit Stoicis hoc dogma. *Quod igitur patitur ſine qualitate eſſe ſubſtantiam materiam. Quod autem faciat, verbum Deum eſſe, quod in ipſa ſit. Hunc enim quippe ſempiternam per ipſam omnem ſingul. creare.* Et paulo poſt loc. citato. p. 441. *Unum quoque Deum eſſe, ipſumque, et mentem, et fatum, et Iovem multisque aliis appellari nominibus.* Porro l. c. p. 442. *Mundum vero tripliciter dicunt ipſumque Deum, quem ex omni ſubſtantia dicunt propriam qualitatem, qui et incorruptibilis, et ingenitus ſit opifex tanti operis ac ornamenti, ut quotannis orbes ſuos peragat ſol, in ſeipſum omnium ſubſtantiam conſumens ac eam rurſus ex ſe ipſo gignens, ipſumque ornatum aſtrorum mundum eſſe dicunt. Tertium ſit ex utrisque compoſitus. Eſt autem mundus proprie qualitas univerſae ſubſtantiae, ſive ut ait Poſſidonius in meteoricis praeceptis, qui conſtat ex coelo et terra, atque ex illorum naturis ſive qui conſtat ex Diis et hominibus, eisque rebus quae horum gratia conditae ſunt. Coelum autem eſt extrema circumferentia in qua divinum omne fixum ac locatum eſt.* P. 443. *Unum eſſe mundum et hunc finitum globoſaque figura.* P. 445. *Porro Panaetius*

corrupti-

ſtodem rectoremque univerſi, animum ac ſpiritum mundani huius operis dominum et artificem, cui nomen omne convenit. Vis illum fatum vocare? non errabis. Hic eſt, ex quo ſuſpenſa ſunt omnia, cauſa cauſarum. Vis illum providentiam dicere? recte dices. Eſt enim cuius con-

ſili

corruptibilem aſſerit mundum. Quod autem ſit animal mundus, et rationale, et animatum, et intelligibile, ut Chryſippus in primo de providentia diſſerit, et Apollodorus in phyſica et Poſſidonius. Sit autem animal quod ſit Subſtantia animata ſenſibilis. Animal enim eo quod non ſit animal praeſtantius eſt. Nihil autem mundo praeſtantius eſt. Eſt ergo animal mundus. Porro *animatum eſſe inde manifeſtum eſt, quod anima noſtra inde veluti avulſa ſit.* P. 447. *Deum vero eſſe animal, immortale, rationale, perfectum ac beatum, a malo omni remotiſſimum, providentia ſua mundum; et quae ſunt in mundo adminiſtrans omnia. Non tamen ineſſe illi humanae formae lineamenta. Caeterum eſſe opificem immenſi huius operis, ſicut et patrem omnium.* Et p. 448. *De divina ſubſtantia* ZENO *ait mundum totum atque caelum. Chryſippus quoque in primo de diis, et Poſſidonius in primo de Diis, et Antipater in ſeptimo de mundo, aerem ipſius ſubſtantiam tradunt. Boetus autem in libro de natura. Dei ſubſtantiam fixorum ſiderum globum dixit.* Et paucis interiectis: *Eſt autem natura habitus ex ſeipſo motum accipiens, iuxta ſeminalem rationem efficiensque et continens quae ex ipſa conſtant, ſtatutis diffinitisque temporibus, eaque faciens a quibus diſcreta per naturam eſt.* Nec non p. 452: *Animam vero ſenſibilem, eamque nobis eſſe inſitum et ingenitum ſpiritum, ideo et corpus eſſe, ac durare poſſe mortem, eſſe tamen obnoxium corruptioni. Caeterum*

univerſi

Digitized by Google

filio huic mundo providetur, ut inconcussus erat, et actus suos explicet. Vis illum naturam vocare? non peccabis. Est enim ex quo nata sunt omnia, cuius Spiritu vivimus. Vis illum vocare mundum? non falleris. Ipse enim est, totum quod vides totus suis partibus inditus esse sustinens vi sua.

Non nulla huc pertinentia quoque leguntur in laudata *Buddei introductione*. Sect 3. §. 3. 4 et 15. et in *analectis historiae philosoph.* p. 341. seqq. et pag. 345. § 20. ubi de Spinozismo ante Spinozam agit. Mutatio autem qui Stoicorum Deus, sive mundus erat obnoxius continua fingebatur. Audiamus *Senecam* in *Consolatione ad Marciam* cap. 26. ita differentem: *Nam si potest tibi solatio esse desideriis tuis commune fatum nihil quo stat loco stabit. Omnia sternet abducet-*

universi animam esse incorruptibilem, cuius partes sunt animantium animae. Non igitur cum incomparabili Phil. Mornaeo de veritate relig. christ. libr. I. vers. germ. p. m. 24. miramur dari homines, qui Deum animal dicant, quippe qui procul dubio a stoicis didicerunt mundum esse animal, mundum autem atque Deum eandem esse Substantiam. Et *Epicurus* apud *Laertium* libr. 10 p. 655 inquit. *Primum quidem Deum esse animal immortale ac beatum, puta ficut communis de Deo dictat intelligentia nihil illi aut ab immortalitate alienum, aut a beatitudine applicans. Caeterum omne quod illius cum immortalitate beatitudinem servare possit, de eo opinare. Dii nempe sunt, ut certa est illorum cognitio, non autem tales sunt eiusmodi eos plerique arbitrantur, neque enim eos quales putant observant.*

abducetque secum vetustas : nec hominibus solu
(quota enim istae fortuitae potentiae port
est ?) Sed locis , sed regionibus , sed mo
partibus ludet : tot supprimet montes , et a
rupes in altum novas exprimet : maria sorbebi
flumina avertet : et commercio gentium rupt
societatem generis humani coetusque dissolv
Alibi hiatibus vastis subducet urbes , tremor
bus quatiet ; et ex infirmo pestilentes halitus m
tet , et inundationibus quicquid habitabatur a
ducet. Necabitque omne animal orbe submers
et ignibus vastis torrebit incendetque mortali
Et cum tempus advenerit , quo se mundus
renovaturus extinguat , viribus ista se
caedent ; et sidera sideribus incurrent , et om
flagrante materia uno igne quicquid nunc
dispositio lucet , ardebit. Et alio loco in con
latione ad Helviam cap. 6. inquit : *I nunc ,*
animum humanum , ex iisdem quibus divina c
stant compositum seminibus , molestе ferre p
transitum ac migrationem : cum Dei natura
assidua et citatissima commutatione , vel delectet
vel conservet. Et c. VIII. *Id actum est , m*
crede , ab illo , quisquis formator universi fu
sive ille Deus est potens omnium , sive inc
peralis ratio ingentium operum artifex , sive
vinus spiritus per omnia maxima , minim
aequali intentione diffusus , sive fatum et in
tabilis causarum inter se cohaerentium series ,
inquam actum , ut in alienum arbitrium ,
vilissima quaeque , non caderent. Hanc vic
studinem rerum vocabant παλιγγενεσιαν ,
qua pluribus egit *Iohannes Michael Sontag*
παλ

Digitized by Google

παλιγγενεσια *Stoicorum* 1707. et nobilissimum inter eruditos nomen *Iacobus Thomasius* in libro de *stoica mundi exustione*, nec non *Miscell. Britann.* s. observat. in auctor. T. 1. Vol. 1. p. 37. Videamus tamen quid *Antoninus* noster hac in re sentiat, audiamus illum libr. VII. § 23. Η των ὁλων φυσις, ἐκ της ὁλης ὀυσιας, ὡς κηρȣ̃, νυν μεν ἱππαριον ἐπλασε· συγχεασα δε τȣτο, εἰς δενδρȣ φυσιν συνεχρησατο τῃ ὑλῃ αὐτȣ· εἰτα εἰς ἀνθρωπαριον, εἰτα εἰς ἀλλο τι· ἑκαςον δε τȣτων προς ὀλιγιςον ὑπεςη. δεινον δε ȣ̓δεν το διαλυθηναι τῳ κιβωτιῳ· ὡσπερ ȣ̓δε το συμπαγηναι. *Vniversi natura ex communi rerum omnium materia, tanquam e cera, nunc equuleum effingit; quem mox denuo diffingit, eiusdemque materia ad arborem producendam abutitur; tum ad homuncionem, dein ad aliud quidpiam. Horum autem quodlibet ad breve temporis spatium subsistit. Istis autem, sicut arcae, dissolvi nihilo magis molestum est, quam compingi primo fuerat.* Idem Philosophus asserit l. VIII. §. L. ἡ δε των ὁλων φυσις, ἐξω ȣ̓δεν ἐχει· ἀλλα το θαυμαςον της τεχνης ταυτης ἐςιν, ὁτι περιορισασα ἑαυτην, παν το ἐνδον διαφθειρεσθαι και γηρασκειν και ἀχρηςον εἰναι δοκȣν, εἰς ἑαυτην μεταβαλλει, και ὁτι παλιν ἀλλα νεαρα ἐκ τȣτων αὐτων ποιει· ἱνα μητε ȣ̓σιας ἐξωθεν χρηζῃ, μητε ὁπȣ ἐκβαλῃ τα σαπροτερα προσδεηται. ἀρκειται ȣ̓ν και χωρα τη ἑαυτης,

και

καὶ ὑλὴ τὴ ἑαυτῆς, καὶ τέχνη τὴ ἰδίᾳ. *Quum universi natura nihil extra se habeat: sed, quod in hac eius arte maxime mireris, quam se certis terminis circumscripserit, quid quid intra se corrumpi, senescere ac inutile fieri videtur, in semet convertit, aliaque ex his ipsis noua producit, adeo, ut nec materia extranea opus habeat, nec quae putrefacta proiiciat, desideret. Ita contenta manet et suo loco et materia sua, et arte sibi propria.* Porro libro IX. §. XXVIII. Ταυτα ἐςι τὰ τὸ κοσμικὰ ἐγκυκλια, ἀνω κατω, ἐξ αἰωνος εἰς αἰωνα. καὶ ἡτοι ἐφ' ἑκαςον ὁρμὰ ἡ τὸ ὅλου διανοια· ὅπερ εἰ ἐςιν, ἀποδεχου τὸ ἐκεινης ὁρμητον. ἡ ἀπαξ ὡρμησε, τὰ δε λοιπα κατ' ἐπακολουθησιν καὶ τι ἐν τινι. τροπον γαρ τινα ἀτομοι, ἡ ἀμερη. τὸ δε ὅλον, εἰ τις θεος, εὖ ἐχει παντα. εἰτε τὸ εἰκη, μη καὶ συ εἰκη. ἠδη παντας ἡμας γη καλυψει. ἐπειτα καὶ αὐτη μεταβαλει. καὶ εἰνοσια εἰς ἀπειρον μεταβαλει. καὶ παλιν ἐκεινα εἰς ἀπειρον. τας γαρ ἐπικυματωσεις τῶν μεταβολων καὶ ἀλλοιωσεων ἐνθυμουμενος τις, καὶ τὸ ταχος, παντος θνητὸ καταφρονησει. *Eadem plane sunt mundana omnia, sursum deorsum, a seculo ad seculum, in orbem redeuntia. Mens autem universi vel ad singula quaeque se promouet: quod si fuerit, ad quod illa se promouerit, tu excipe; vel semel operi se admouit; reliqua vero per consequentiam necessariam a primis illis ita profluunt, ut serie quadam*

continua

continua unum quiddam constituant; vel atomi et corpora indivisibilia pro rerum principiis habenda erunt. Denique si quis Deus est, omnia bene se habent: sive temere ferantur, tu nec temere feraris: mox futurum est, ut tellus nos omnes condat: dein et ipsa in alia mutabitur: et ista in infinitum mutabuntur: et ista rursus in infinitum. Siquidem qui mutationes et alterationes fluctuum instar sibi invicem supervenientes, et vicissitudinum harum celeritatem consideraverit, nae ille mortale, quidquid est, despectui habebit. Denique l. XII. § 21. παντα γαρ μεταβαλλειν και τρεπεσθαι και θθειρεσθαι πεφυκεν, ινα ἑτερα ἐφεξης γινηται. *Omnia enim mutare ac verti et interire nata sunt, ut nova alia serie perpetua producantur.* Animam *f*) vero sive genium hominis particulam divinae essentiae, ex qua venerit, et quo rediturus sit crediderunt. *Seneca* est testis *Epist.* libr. I. Ep. 120. *Habebat perfectum animum, ad*

f) Similia docet Virgilius de apibus, nec obscure Stoicorum dogmatibus favet Georg. IV. v. 219. canens:

His quidam signis atque haec exempla secuti
Esse apibus partem divinae mentis, et haustus
Aetherios dixere. Deum namque ire per omnes
Terrasque tractusque maris, caelumque profundum
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas.
Scilicet huc reddi deinde ac resoluta referri
Omnia: nec morti esse locum, sed viva volare
Sideris in numerum, atque alto succedere caelo.

Digitized by Google

ad ſummam ſui adductus, ſupra quam nihil eſt niſi mens Dei, ex qua pars et in hoc pectus mortale defluxit, quod nunquam magis divinum eſt, quam ubi mortalitatem ſuam cogitat, et ſcit in hoc natum hominem, ut vita defungeretur nec domum eſſe hoc corpus, ſed hoſpitium, et quidem breve hoſpitium: Et Antoninus lib. V. § 27. Συζην θεοις. συζη δε θεοις ὁ συνεχως δεικνυς αὐτοις την ἑαυτου ψυχην ἀρεσκομενην μεν τοις ἀπονεμομενοις, ποιουσαν δε ὁσα βουλεται ὁ δαιμων, ὁν ἑκαστω προσατην και ἡγεμονα ὁ Ζευς ἐδωκεν, ἀποσπασμα ἑαυτου. ὁυτος δε ἐστιν ὁ ἑκαστου νους και λογος. *Cum Deis vivendum. Hoc autem faciet, qui animum exhibuerit ita iugiter adfectum, ut rebus ſibi deſtinatis adquieſcat, faciatque, quaecunque genius ille voluerit, quem ſui particulam a ſe avulſam Iupiter cuique attribuit, praeſidem ducemque eidem futurum. Hoc autem cuiusque mens eſt et ratio.* Adde Iulium Caeſarem apud *Lucanum* L. VII. v. 809 - 819. ita diſſerentem:

Nil agis hac ira: tabesne cadavera ſolvat,
An rogus, haud refert: placido natura receptat
Cuncta ſinu, finemque ſui ſibi corpora debent.
Hos, Caeſar, populos ſi nunc non uſſerit ignis
Vret cum terris, uret cum gurgite ponti.
Communis mundo ſupereſt rogus oſſibus aſtra
Mixturus quocunque Illam fortuna vocabit.
Hoc quoque eunt animae non altius ibit in auras

Non

Non meliore loco stygia sub nocte iacebis.
Libera fortunae mors est: capit omnia tellus
Quae genuit: coelo tegitur quod non habet urnam.

Altera Philosophorum Secta quae simul Paulum de resurrectione disputantem oppugnabat, erat *Epicureorum*, utraque tam Stoicorum quam Epicureorum haeresis dialecticam atque sophismata amabat: licet autem non exiguus inter utramque vigeret dissensus, iisdem tamen fere argumentis g) petebant doctrinam de resurrectione

g) Huc etiam pertinere videntur verba *Minucii Felicis* in *Octavio* cap. 34. §. 2. *Quis enim sapientium dubitat, quis ignorat, omnia quae orta sunt, occidere, quae facta sunt, interire? caelum quoque cum omnibus, quae caelo continentur, ita, ut coepisse, desinere? fontium dulci aqua, marisve nutriri, in vim ignis abiturum, Stoicis constans opinio est, quod consumpto humore mundus hic omnis ignescat: et Epicureis de elementorum conflagratione, et mundi ruina eadem ipsa sententia est.* Stoicos vero incendium futurum docuisse discimus ex *Seneca* Quaestion. natural. libr. 3, c. 28. *At illo tempore solutus legibus, sine modo fertur. Qua ratione, inquis? Eadem, qua conflagratio futura est. Vtrumque fit, cum Deo visum ordiri meliora, vetera finiri. Aqua et ignis terrenis dominantur. Ex his ortus, et ex his interitus est. Ergo quandoque placuere res novae mundo, sic in nos mare emittitur desuper, ut fervor ignis, cum aliud genus exitii placuit.* Nec non planius *Athenagoras* in *Apolog.* p. 152. οἱ ἀπὸ τῆς στοᾶς, ἐκ πυρωθύσασθαι τὰ πάντα φασίν, *Stoici omnia conflagratura*

ctione. Contrarii erant Stoicis teste *Seneca* de *beneficiis* l. 4. c. 2. *In hac parte nobis pugna est cum Epicureorum delicata*, et umbratica *turba, in convivio suo philosophantium, apud quos virtus voluptatum ministra est.* Non tamen adeo sibi in vicem adversabantur, concedit

tura dicunt. Adde *Ciceronem* de *natura Deorum* Libr. II. p. m. 319. *Sunt autem stellae natura flammeae, quod circa terrae, maris, aquarum vaporibus aluntur iis, quia sole ex agris repefactis, et ex aquis excitantur: quibus altae, renovataeque stellae atque omnis aether, refundunt eadem, et rursum trahunt in idem, nihil ut fere intereat, aut admodum paululum, quod astrorum ignis et aetheris flammam consumat. Ex quo eventurum nostri putant id, de quo Panaetium addubitare dicebant, ut ad extremum omnis mundus ignesceret, cum humore consumto, neque terra ali posset, neque remeret aer: cuius ortus, aqua omni exhausta, esse non posset: ita relinqui nihil praeter ignem: a quo rursum animante, ac deo renovatio mundi fieret, atque idem ornatus oriretur.* His subiunginus *Lactantium* differtissimum *institut. divin.* Libr. VII. c. 1. §. 10. *Unus igitur Epicurus auctore Democrito, veridicus in hac re fuit, qui ait, et ortum aliquando, et aliquando esse periturum. Nec tamen rationem ullam reddere potuit, scilicet aut quibus de causis tantum hoc opus, aut quo tempore resolvatur.* Vnicum adhuc testem producere liceat *Macrobium* in commentario in *somn. Scip.* Libr. 2. c. 10. *Quin etiam si cupiet proles futurorum hominum deinceps laudes uniuscuiusque nostrum acceptas a patribus posteris prodere: tamen propter eluviones exustionesque terrarum, quas accidere tempore certo necesse est, non modo non aeternam, sed ne diuturnam quidem gloriam*

cedit enim *Antoninus* Theſes ab Epicuro defenſas primarias et quidem l. 6. § 10. Ἢτοι κυκεὼν καὶ ἀντέμπλοκή, καὶ σκέδασμος· ἢ ἕνωσις καὶ τάξις, πρόνοια. *Vniverſum aut eſt cinnus quidam rerum, nunc concurſu fortuito invicem implexarum, mox diſſipatarum denuo: aut eſt compages rerum in unum ordine iuſto convenientium, quae providentia regatur.* Et l. 10. § 6.

gloriam aſſequi poſſumus. Et quibusdam interiectis. *Res vero humanae ex parte maxima ſaepe occidunt manente mundo, et rurſus oriuntur vel eluvione viciſſim vel exuſtione redeunte. Cuius viciſſitudinis cauſa vel neceſſitas talis eſt. - - - - Evenit enim ut ignis usque ad maximum enutritus augmentum hauſtum vincat humorem, et ſit aeris mutata temperies licentiam praeſt et incendio, et terra penitus flagrantia immiſſi ignis uratur, ſed mox, impetu caloris abſumpto, paulatim vires revertuntur humori, cum magna pars ignis incendiis erogata minus iam de renaſcente humore conſumat. Ac rurſus longo temporum tractu ita treſcens humor altius vincit, ut terris infundatur eluvio. Rurſus calor poſt hoc vires reſumit. Et ita fit ut manente mundo inter exſuperantis caloris humorisque vices terrarum cultus cum hominum genere ſaepe intercidat et reducta temperie rurſus novetur. Numquam tamen ſeu eluvio ſeu exuſtio omnes terras aut omne hominum genus vel omnino operit vel penitus exurit. - - Et ex hac iam naſcitur quicquid genus hominum poſt ſequentibus ſeculis experitur. Haec eſt ergo quae rebus humanis pereundi atque iterum revertendi incolumi mundo viciſſitudo variatur.* Ex his colligimus merito Stoicorum et Epicureorum dogmata non multum a ſe diſtare. Qui plura hac de re ſcire avet evolvat *Iac. Thomaſii* Libr. de *Exuſtione mundi Stoica.*

Digitized by Google

Ει τε ἀτομοι, ἐι τε Φυσεις, πρωτον κεισθω, ὁτι μερος ἐιμι τȣ ὁλȣ ὑπο Φυσεως διοικȣμενȣ. ἐπειτα, ὁτι ἐχω πως οἰκειως προς τα ὁμογενη μερη. *Sive atomi obtinent, sive natura regit universa, hoc primo statuatur partem esse me universi a natura administrati, deinde, necessitudine me quadam partibus generis eiusdem esse coniunctum.* Et libr. XI. § XXVI. commendat scripta Epicuri: Εν τοις των ΕΦεσιων γραμμασι, παραγγελμα ἐκειτο, συνεχως ὑπομιμνησκεσθαι των παλαιων τινος των ἀρετη χρησαμενων. *In scriptis Epicureis praecipitur, et in mente ac memoria semper habeamus antiquorum aliquem eorum, qui virtutem coluerint.* Idem ait *Seneca* de vita beata c. 13. *Mea quidem ista sententia est (inuitis hoc nostris popularibus dicam) sancta Epicurum et recta praecipere, et, si, propius accesseris, tristia: voluptas enim illa ad paruum et exile reuocatur: et quam nos virtuti legem dicimus, eam ille dicit voluptati.* Quibus unum vel alterum locum ex Epistolis adiiciam Ep. VIII. ita scribit: *adhuc Epicurum compilamus, cuius hanc vocem hodierno die legi.* Et paucis interiectis: *Potest fieri, ut me interroges, quare ab Epicuro tam multa bene dicta referam potius quam nostrorum. Quid est tamen, quare tu istas Epicuri voces putes esse non publicas?* Epistola XX. *invidear licet: etiam nunc libenter pro me dependet Epicurus.* Vt caetera omittam loca, quibus *Seneca* Epicurum suum laudat. Institutum nostrum postulat, ut etiam Epicuraeorum argumenta

Digitized by Google

menta et dogmata in unum quasi contrahamus argumentum. Nisi me omnia fallunt, sequenti ratione calculos suos Epicuraei duxerunt; *concedimus quidem Deum, sed ens a mundo diversum, quod tamen atomos mundi elementa, neque produxit, neque conservat, sed illa fortuito coeunt, fortuito dissolvuntur, adeoque anima quoque nostra ens materiale est, hinc mortalis, et cum corpore peritura, vita plane cessat.* Doctissimus Anglus *Cudworth* in egregio libro, qui *Systema rationale* inscribitur, et *Stanleius* vir singularis eruditionis in *historia philosophica* luculentissimis testimoniis hanc rem explicarunt; quia vero horum labores in nostris non sint manibus, sicuti et doctissimi *Iac. Bruckeri quaestiones historiae philosophicae*, videbimus, an quaedam saltim a nobis possint probari. Prodit iterum *Seneca* b) de *beneficiis* libr. IV. c. XIX.

b) Addere lubet *Tertullianum* in *apologet.* c. 47. p. 399. sq. (ed. Hauercampio 1718. 8.) *Inventum enim solummodo Deum, non ut invenerant, disputaverunt, ut et de qualitate et de natura eius, et de sede disputent. alii incorporalem asseverant, alii corporalem, qua Platonici, qua et Stoici, alii ex atomis, alii ex numeris, qua Epicurus et Pythagoras, alii ex igne, qua Heraclito visum est. Et Platonici quidem curantem rerum, contra Epicuri otiosum et inexercitum, et ut ita dixerim, neminem humanis rebus; positum vero extra mundum Stoici, qui figuli modo extrinsecus torqueat molem hanc; intra mundum Platonici qui gubernatoris exemplo intra illud maneat, quod regat. Sic et de ipso mundo, natus innatusque sit, decessurus,*

Tu denique Epicure Deum inermem facis, omnia illi tela, omnem detraxisti potentiam, et ne cuiquam metuendus esset, proiecisti ipsum extra mundum. Hunc igitur septum ingenti quodam et inexplicabili muro, divisumque a contactu et a conspectu mortalium, non habes quare verearis. Nulla illi nec tribuendi, nec nocendi materia est. In medio intervallo huius et alterius coeli desertus, sive animali, sive homine, sive re, ruinas mundorum supra se circaque se cadentium evitat, non exaudiens vota, nec nostri curiosus. Atqui hunc vis videri colere, non aliter quam parentem: grato, ut opinor, animo: aut si non vis videri gratus, quia nullum habes illius beneficium, sed te atomi et istae micae tuae forte ac temere conglobaverunt, cur colis? Animam vero mortalem esse ex illorum sententia docet pos

cesserus, mansurusve sit, variant: sic et de animae statu, quam alii divinam et aeternam, alii dissolubilem contendunt: ut quis sensit, ita et intulit, aut reformavit. haec Tertullianus ubi p. 402. *Havercampius* adducit *Manilium* aeternitatem mundi affirmantem *astronom.* L. I. dum inquit:

Haec aeterna manet divisque simillima forma,
Cui neque principium est usquam, nec finis in isto,
Sed similis toto remanet, perque omnia par est,

et quibusdam interiectis:

At manet incolumis mundus, suaque omnia versat
Quae nec longa dies auget, minuitque senectus,
Nec motus puncto currit, cursusque fatigat,
Idem semper erit, quoniam semper fuit idem,
Non alium videre patres, aliumque nepotes
Adspicient. * * * * *

Digitized by Google

nos *Diogenes Laertius* de *vitis Philosophorum* libr. X. cuius verba latine tantum mihi sunt apponenda textu graeco in praesenti destituto. Hicce scribit p. m. 627. *Quantalibet sit quae se intendat atomorum multitudo in animae naturam, verum enim et soluto conventu toto dispergitur anima, neque iam easdem vires habet neque movetur.* Et p. 634. *Ad haec omnia illud omnino oportet intelligere, quod perturbatio humanis animis proprie omnino fit in eo quod haec et beata opinarentur, et incorruptibilia, et contraria his voluntates simul habeant, et actiones, et causas, et in futura vita dirum quippiam secundum fabulas, et expectent, et suspicientur, sive hanc privationem sensus quae in morte est metuant, quasi post mortem aliquid sit, et ipsi in eo quod non in opinionibus ista patiantur, verum ratione et commendatione quadam.* Et p. 663. *Mors nihil ad nos. Quod enim dissolvitur sensu privatur, quod autem sensu caret, nihil ad nos.* Addamus *Lucretium* elegantissimum Poetam et disertissimum Philosophiae corpuscularis defensorem, evolvamus libros illius de *natura rerum*; et quidem l. 1. canit:

Aeternas quoniam poenas in morte timendum.
Ignoratur enim quae sit natura animai,
Nata sit, an contra nascentibus insinuetur:
Et simul intereat nobiscum morte diremta:
An tenebras Orci visat, vastasque lacunas,
An pecudes alias divinitus insinuet se,
Ennius ut noster cecinit, qui primus amoeno
Detulit ex Helicone perenni fronde coronam:

Digitized by Google

Et paulo post:

Quo neque permanent animae, neque cu
pora nostra.
Sed quaedam simulacra modis pallentia mir

Porro:

At nunc, inter se quia nexus principiorum
Dissimiles constant, aeternaque materies est:
In coluni remanent res corpore, dum satis arc
Vis obeat pro textura cuiusque reperta,
Haud igitur redit ad nihilum res ulla: sed omnes
Discidio redeunt in corpora materiai.

Item l. III.

Nam cum multo sunt animai elementa minu
Quam quibus et corpus nobis, et viscera c
stant:

Non nullis interiectis:

Atque animam, verbi causa cum dicere perg
Mortalem esse docens, animum quoque di
credas,
Quatinus est unum inter se, coniunctaque res

Deinde:

Ergo dissolvi quoque convenit omnem anim
Naturam, ceu fumum in altas aeris aura
Quandoquidem gigni pariter, pariterq
demus
Crescere, et (ut docui) simul aevo fess
tiscit.

Dei

Digitized by Google

Deinde:

Delipientia fit, quia vis animi, atque animai
Conturbatur, et (ut docui) diviſa ſeorſum
Diſiectatur eadem illo diſtracta veneno.

Nec non:

Mortalem tamen eſſe animam fateare neceſſe'ſt,
Nec refert, utrum pereat diſperſa per auras,
An contractis in ſe partibus obbruteſcat:

Itidem:

Diſſolvi. Quodſi immortalis noſtra foret mens:
Non iam ſe moriens diſſolvi conquereretur:

Porro:

Et caput abſciſſum calido, viventeque trunco
Servat humi voltum vitalem, oculosque patenteis,
Donec relliquias animai reddidit omneis.

Deinde:

Quare etiam atque etiam nec originis eſſe putandum'ſt
Experteis animas, nec leti lege ſolutas.

Nec ea ſunt omittenda:

Illud enim falſa fertur ratione, quod aiunt
Immortalem animam mutato corpore flecti.
Quod mutatur enim, diſſoluitur, interit ergo.

Digitized by Google

Et alio loco canit :

Quare, corpus ubi interiit, periisse necesse'st
Confiteare animam distractam in corpore toto.
Quippe etenim mortale aeterno iungere et una
Consentire putare, et fungi mutua posse,
Desipere'st.

Nec praetereunda sunt verba :
Libr. III. v. 859.

Nec, si materiam nostram conlegerit aetas
Post obitum, rursumque redegerit, ut sita nunc est :
Atque iterum nobis fuerint data lumina vitae,
Pertineat quidquam tamen ad nos id quoque factum.

Addas et haec :

Posteraque in dubio'st fortunam quam vehat aetas,
Quidve ferat nobis casus, quive exitus insit.

Denique annotabis :

Mors aeterna tamen nihilo minus illa manebis :
Nec minus ille diu iam non erit, ex hodierno
Lumine qui finem vitai fecit, et ille,
Mensibus, atque annis qui multis occidit ante.

Haec omnia, ut equidem spero, abunde probabunt, me nihil ex ingenio affinxisse his philosophis in sententias eorum paulo accuratius inquirendo. Hinc colligere licebit, ex illorum opinione, hac ratione.

Si

Digitized by Google

Si homo aut tanquam pars essentiae divinae in fontem suum remeabit, atque cum Deo sive mundo, quem recte animal rationale dicimus i), unietur, aut non anima modo, sed etiam corpus quae ex atomis fortuito confluxerunt prorsus iterum dissolvantur k) sequitur, resurrectionem mortuorum esse nullam, neque dari iudicium extremum, atqui Stoici atque Epicuraei priora pro veris venditabant; sequitur ergo etiam, posteriora ex illorum iudicio fuisse falsa.

Progre-

i) Hac de re etiam acutissimus *Iacobus Carpovius* de Gymnasio Vinariensi optume merens, adhuc Ienae scripsit libellum, qui denuo 1735. 4. prelum subiit sub titulo: *Tractationes duae*: prima de rationis sufficientis principio - -, secunda, de quaestione physica utrum tellus sit machina, an animal.

k) Poetarum phrasis *desiit esse*, eadem, mea quidem sententia, docet, atque annihilationem asserere videtur. Non infrequens enim notio apud Romanos, ut *esse* significet τὸ *vivere*, et *vivere* τὸ *esse*. *Plauti rudens* istud evincit Act. IV. sc. I. v. 16.

Sed cum inde suam quoque ibant diversi domum,
Nullus erat ille pacto, ut illi iusserant.

Et in *pseudolo* I. 3. v. 18. distinctius loquitur:

Ba. mortuus est, qui fuit, qui est, vivus est.

Et *Tullio* haec non displicuerunt, qui *Tusc. Qu.* I. c. 16. p. m. 173. scribit: *Fuit, meo regnante gentili*, Imo *Prudentius* poeta christianorum fidei addictus haec non adspernatus est, licet errorem procul dubio abhorruerit; sic enim in praefamine carminum suorum v. 1. sqq.

Per

Progrediendum est ad refutationem horum dogmatum, hinc, ut naturali ordine omnia perpendamus, considerabimus prius naturam corporis atque mortis. *Corpus* vero appellamus compositum sive ex pluribus elementis constans; *humanum* vero tum dicimus, quando cum anima rationali est coniunctum; homo enim, ut per experientiam cognoscimus quotidianam, anima rationali atque corpore constat; anima vero rationalis est ex numero spirituum sive entium intellectu et voluntate praeditorum. Dum hic vero de anima disceptamus, monendum duxi, Psychologiam sive Pneumatologiam haud pauca continere principia nostris usibus inservientia, quibus suo loco utemur. Origo animae insignis est quaestio, quae ulteriorem meditationem iure quodam postulat. Disputant enim, utrum anima originem suam acceptam referat parentibus, dum liberis procreandis studet, aut, utrum a Deo immediate per creationem producatur. Prior secta Traducianorum nomine venit, altera vero Creatianorum. Haec iterum in duas abiit haereses, altera enim horum Philosophorum familia affirmat, Deum creare animam eodem temporis puncto,

Per quinquennia iam decem,
Ni fallor, fuimus; septimus in super
Annum cardo rotat, dum fruimur sole volubili
Instat terminus et diem
Vicinium senio iam Deus applicat.

Notionem τὸ *esse* philosophorum Stoicorum explicat nobis eruditissimus *Casp. Barthius* in not. ad Claud. *Mamertum de statu animae* L. I c. 10. p. 348.

Digitized by Google

puncto, quo parentes in sobolem procreandam incumbunt et dicuntur κατ' ἐξοχην *Creatiani*; altera autem asserit, Deum omnes omnium simul hominum animas in prima creatione produxisse, rerumque humanarum seriem ita ordinasse, ut eo temporis momento cum corpore atque semine uniantur, ubi homo generetur, nomenque suum a *praeexistentia* acceperunt. Ego nolo has dirimere lites, cum unaquaeque suis laboret difficultatibus, nec certi quid experientia, optima rerum magistra, nos doceat. Illud vero silentio non est praetereundum, animam non esse partem essentiae divinae, quod Stoicorum Secta sibi persuaserat. Hoc enim repugnaret immutabilitati atque simplicitati divinae. Concedamus paululum, Deum mutationibus esse obnoxium, tunc sequeretur, Deum non esse Deum, sive ens perfectissimum. Adesset enim vel abesset aliquid, quod in Deo ab esse vel esse deberet: hinc Deus non omnia simul haberet, quod tamen ideam perfectissimi entis constituit, quod omnia, quaecunque de eo dici possint, simul habeat. Deinde hinc sequeretur, Deum esse ens materiale seu compositum, quod pluribus ex partibus constat, at enim vero Deus est spiritus, intellectu infinito atque voluntate sanctissima gaudens. Intellectus atque vis cogitandi, experientia teste, corporibus denegatur, quae potius vi gaudent motrice, ergo Deus non potest esse corpus, ergo nec potest dividi aut in partes solvi: Cadit hinc primum argumentum stoicorum contra resurrectionem nostram prolatum. Cognita sufficienter

cienter mentis et corporis natura, considerabimus vitam atque mortem, quo luculentius doctrina de resurrectione possit explicari. *Vita corporis* itaque deprehenditur, quando machina corporum nostrorum ex nutu animae agit atque movetur; *anima* vero tum *vivit*, quando cogitat, aut sui ipsius est conscia, tota enim animae natura atque essentia consistit in cogitando. Nec, si recte perpenderis rem, scholasticorum *spiritus incompletus*, Cartesii *cogito*, et Wolfii *vis universi repraesentatrix* sibi invicem repugnant: quilibet enim horum affirmat, ideas seu cogitationes mentis nostrae esse limitatas. Nunc quoque intelligemus nos vero non abertare, si dicimus, *hominis mortem* esse *omnem cessationem actionum corporis ad animae praecipue nutum factarum.* Scio equidem alios aliter l) mortem definire, dum aiunt, esse *cessationem commerci*

l) Plerique definiunt mortem per dissolutionem animae et corporis, auctoritate D. apostoli Pauli, qui Phil. I. 23. inquit ἐπιθυμιαν ἐχων εἰς τὸ ἀναλυσαι, et 2. Tim. IV. 6. ὁ καιρος της ἐμης ἀναλυσεως ἐφεστηκε et Simeon ille quem plerique senem credunt haec profert Luc. II v. 29. νυν ἀπολυεις τον δουλον σου, quod ipse evangelista v. 26. de morte interpretatur. ἀναλυειν enim denotat *ex hospicio migrare, parare iter*, proprie autem *resolvi*, a filis (ita enim est instar fili;) abweben. Est et ἀναλυειν solvere, auffs Schiff treten, die Schiff ablöſen, abbinden, wieder anſpannen. Quid enim vita nostra aliud est, quam quotidiana peregrinatio, mors vero vehiculum, et currus Dei? Probamus hoc ex contraria voce καταλυειν, quod est *diverti*, et καταλυμμα diversorium. Luc. II. 7. haec omnia

commercii inter animam et corpus, eos autem a nobis minime dissentire patebit inferius, ubi quaedam de commercio inter animam et corpus adiiciemus. Nostram enim definitionem et experientia et communis loquendi ratio comprobabit. Quid enim est membrum mortuum (ein abgestorbenes Glied) nisi illa corporis humani pars, quae omni sensu caret, nec a circulo sanguinis ulterius movetur? *Arbores moriuntur* dum vis motrix cessat, succus perit, folia cadunt, nec frondes denuo virescunt, sed indies potius magis magisque putrescit, nihilque horum ostendit, quae in arbore viridi aut frugifera deprehendis. Nostra quoque definitio

omnia discimus ex Scapulae Lexico graeco-latino p. m. 983. Has ipsas voces αναλυειν atque απολυειν apostolorum ex Esse norum schola mutuas sumsisse probat *Ioach. Zehnerus* in compend. Theol. p. m. 593. ex Iosepho et aliis, ubi simul docte confirmat, *Socratem* apud Xenophontem, *Platonem*, *Ambrosium* et *Gregorium Nacianzenum* eadem omnino sensisse.

Caeterum nobiscum faciunt clar. *Baumeisterus philos. recens controv.*, (seu ut priores editiones habent *definition.*) p m 158 mortem ita definiens: *est status corporis, quo organa ipsius in universum omnia a functionibus suis plenarie cessant.* praeeunte *Wolfio* psycholog. rat. §. 733. uberius dicto loco definitionem explanans. Nec *Leibnitzius*, qui exilium mortis, a celeberrimo Tubingensium theologo Pfaffio olim impugnatum, docuit, a nobis re ipsa alienus est, si ea modo recte explicentur, quae ex mente tanti viri disputat *M. G. Hanschius* in princip. philosoph. Leibnit. demonstr. p. 170. sqq. et *Bülfingerus* dilucidat. philosoph. §. 366. 367.

Digitized by Google

finitio commode applicari poterit, ad *vitam* et *mortem ſpiritualem*. Homo enim Dei ſpiritu agitatus vivit, quando actionibus legi divinae omnino convenientibus amorem Dei atque Chriſti τῦ σωτῆρος teſtatur: quamprimum vero pius virtutes a Deo et natura ſupremis legis latoribus praeſcriptas omittit, *mortem ſpiritualem* ſubit. Iniuſtus contra peccatis atque vitiis contaminatus tam diu *vivit peccato*, quam diu indulget ſceleribus, atque delictis: *moritur vero peccato*, cum renuit membris ſuis uti, tanquam armis iniuſtitiae, et non vult diutius obedire iuſſis diaboli, mundi, atque carnis, ſuaeque per lapſum corruptae naturae.

Cum itaque, uti omnes novimus, corpus ut compoſitum, poſſit diſſolvi, quilibet intelligit, ſimul corpus poſſe interire. Nec eſt, quod dubitemus, corpora noſtra corrumpi, quod vel quotidiana exempla demonſtrant, ſed etiam ſcriptura illud teſtatur, referente Moſe Genes. III. 19. maledictum divinum, quo genus humanum peccatis indulgens oneraverat, atque oraculum Pauli Rom. IV. 23. affirmantis: mortem eſſe ſtipendium peccati. Anima vero, quae ſpiritus eſt, eſt immortalis, atque numquam interibit, ſimplex cum enim ſit, in partes diſſolvi nequit, ſed tantum a Deo, qui produxit illam ſive mediate ſive immediate, *in nihilum* redigi poteſt. Nulla vero ratio adeſt, quare Deus animam a ſe productam per miraculum nouum deſtrueret: ergo durabit et ſecu-

Digitized by Google

ecula usque vivet. Dum vero vivit, cogitat, et sui ipsius conscia est. Ad *immortalitatem* vero haec tria requiruntur, quod anima sit, cogitet, non solum praesentia, sed et praeterita, et quidem distinctis ideis gaudeat, quodque hoc in statu perseueret: quis igitur negaret, animam nostram esse immortalem. Nunc demum plenius intelligemus, quid sit *resurrectio* mortuorum, scilicet *itgrata coniunctio animae et corporis*, sive *restitutio commercii inter animam et corpus, ubi motus corporis reproducti cum ideis atque voluntate animae conveniunt.* Reparatio huius commercii dicitur *resurrectio*, ipse actus vero restitutionis appellatur *resuscitatio.* Resuscitatio vero ad corpus potissimum pertinet, quippe cum anima sit incorruptibilis atque immortalis, corpus vero per mortem dissolvatur, atque quod ad compositionem attinet, perit; resuscitationem igitur humani corporis definiturus vocare eum poterit *restitutionem corporis ex particulis suis essentialibus compositi.* Hic monendum duximus varios occurrere terminos eis in symbolis, quae universa agnoscit ecclesia, ut tesseras fidei. Symbolum enim sic dictum *Apostolicum* commemorat tantum ἀναςασιν της σαρκος, id quod etiam Lutherus in Catechismo Maiore observat, videatur Formula Concordiae p. m. 501. ed. Rechenb. *Nicenum* autem Symbolum profitetur ἀναςασιν των νεκρων, et *Athanasianum* utitur his verbis: Οθεν ἡξει κριναι ζωντας και νεκρους, ὑ τη παρουσια παντες οι ἀνθρωποι ἀναςησονται μετα των σωματων

αὐτων, και ἀποδωσουσιν ἐξ ἰδιων ἐργων ἀπολογιαν. Optime tamen consentiunt, neque inter se pugnant; scimus enim in scriptura sacra vocabulo σαρκος, totum hominem pluribus in locis intelligi, adeoque his verbis doceri totum hominem resuscitatum iri. Clarius vero locuta sunt Symbola Nicenum et Athanasianum quod verba iamiam laudata probant; certum interim est resuscitari corpora nostra, quae quidem spiritualia redibunt, confirmante id ipsum Paulo 1. Corinth. XV. v. 44. Σπειρεται σωμα ψυχικον ἐγειρεται σωμα πνευματικον. (h. e. interprete Seb. Castellione, *seritur corpus animale, resurget corpus spirituale.*) Quaenam vero natura sit το σωματος πνευματικου libenter fateor me ignorare. Nihil enim horum ingenii humani vires concipere possunt, et quidquid scriptura praeeunte scimus, tantum mysterium, olim plenius a nobis cognoscendum, non adeo exhaurit, ut cuivis rem explanare possimus. Hoc vnicum addemus corpus Christi glorificatum non indigere cibo vel potu, aliaque corpora salva eorum substantia posse penetrare. Iisdem autem corporibus induemur, non quidem quoad partes accidentales, sed essentiales. Oraculum ex *Iobi* ore prolatum Cap. XIX. v. 25. nostram confirmat Thesin, et Christi exemplum, vulnera sua in corpore glorificato adhuc obvia, firmissimum nobis videntur esse testimonium eodem corpore resuscitatos, aeque ac resuscitandos, voluptatem aeternam sive cruciatus fore sensuros. Nec improbabile mihi videtur, eadem corpora iisdem animabus

abs

Digitized by Google

abs Deo coniungi: cur enim corpus, cuius olim membra arma fuerunt iustitiae, aeternis puniendum esset tormentis? aut cur corpus, quam plurimis vitiis atque sceleribus contaminatum, beatissimas coeli sedes ingrederetur, quae purissimis tantum animabus sunt consecratae? Nec est, quod dicas, animas piorum cum iustorum corporibus pro lubitu esse iungendas, tunc enim speciem quandam της μετεμψυχωσεως fingeres, et Deus, cuius sapientia atque iustitia infinita, nihil sine ratione unquam facit, aliquid absque ulla causa decerneret. Superius iamiam notavimus *dari commercium* inter animam et corpus, hoc est, motus corporis convenire cogitationibus animae, ideas autem tam gratas, quam ingratas tunc oriri in anima nostra, ubi sensationes nostrae sunt vel gratae vel ingratae. Triplicem hic observabis Philosophorum sectam, alteram, quam dicunt, *Influxistarum*, qui affirmant, vim quandam ex anima in corpus et ex corpore in animam transeuntem. Cum autem experientia nihil amplius cognoscamus, quam simultaneam cogitationum atque motuum sive sensationum existentiam, non est, ut illi nobis persuadere velint, se experiri vim sive modum animae exercentis vires in corpus, sive corporis in animam. Nec sola voluntas ratio erit sufficiens, cur corpus moveatur, multo minus repraesentatio cuiusvis rei distincta, quam intellectum vocamus. Alterius haereseos caput est *Cartesius*, qui docuit, Deum occasione voluntatis humanae, motum hunc in corpore produdere, occasione autem

sensationum notiones rebus et verbis conformes in mentibus efficere, adeoque omnia quaecunque fiunt vel ab anima vel a corpore, a solo proficisci Deo. Dogma hoc appellarunt systema *causarum occasionalium*, defensores vero illius *occasionalistas*. *Leibnizius* vir excellentis ingenii, cum videret perpetua dari miracula, si quis Cartesii sententiam causarum occasionalium tueretur; miracula vero non esse multiplicanda crederet, emendavit hypothesin hanc, atque Systema *harmoniae praestabilitae* ingeniosissimum invenit. Deus enim ex illius sententia animas omnium hominum futurorum prima in creatione formavit, iisdemque ideas quasdam generales rerum impressit, quae deinde reliquas cogitationes ex se ipso producerent, ex quibus aliae fierent clarae, aliae distinctae, aliae adaequatae. Produxisse quoque Deum corpusculum sive schema his volitionibus atque sensationibus conveniens hocque corpusculum cum anima perpetuo nexu coniunxisse, quod tamen, ut corpus, sive machina motus ex se ipso produceret. Quae ita essent comparata, ut anima tunc voluntatem haberet, quando corpus moveretur, corpus e contrario quam primum moveretur, quum anima vellet. Sive ut *Schubertus* ornamentum nunc academiae Iuliae aliquantum hanc emendavit hypothesin, Deus non fecit tale corpus, sed potius inter res possibiles invenit, atque tanquam ens sapientissimum combinavit, cum convenientius erat Alexandri corpori, Alexandri quoque animam convenientem adiicere, ut pluribus ipse rem declaravit in

Program-

Digitized by Google

Programmate de *Syſtemate convenientiae*, atque *inſtitutionibus Metaphyſicis*. Non eſt meum, tantas dirimere lites, et tot nobiliſſima nomina ad meum quaſi tribunal cogere: interim tamen obſervare liceat hypotheſin *Harmoniae praeſtabilitae*, ſeu mavis, *convenientiae* non repugnare dogmati: corpora eadem reſurgent, ſed potius abs nobis poſtulare, ut identitatem corporis reſurrecturi propugnemus, quippe quae ſingulis animabus proprium ſuum corpus, idque perpetuum adſcribat *m*). An vero iisdem numero

 membris

m) Nullus tamen ſibi perſuadeat quaeſo, me hypotheſin H. P. ut certam atque prorſus indubiam agnoſcere. Namque duplex argumentum meum huc usque retinuit conſenſum. Argumentantur enim hac ratione: corpus movetur ab alio corpore, ergo non aliud quicquam quam corpus alterum corpus vi naturali movere poteſt. Credo enim conſequentiam, liceat Philoſophorum lingua uti, non adeo evidentem eſſe, atque experientiam adeo dilucidam, ut quam certiſſime haec dicta affirmare et axiomatis loco habere poſſimus. Deinde ſcimus ex placitis horum Philoſophorum, corpora conſtare ex entibus ſimplicibus ſeu elementis ſive monadibus, quibus aut vim motricem, aut etiam vim quandam, licet obſcuriſſime, res ſibi repraeſentandi concedunt, nullus tamen horum modum cohaeſionis corporum ſolide demonſtravit atque explanavit. Quid enim eſt cohaerere? niſi ita ſecum invicem adeſſe atque exiſtere, ut ne minimum quidem interponi poſſit, vel ut cum *Baumeiſtero Philoſ. rec. controverſ.* p. m. 107. defin. 618. dicam, cohaeſio corporum eſt eiusmodi coexiſtentia, vi cuius unum absque altero moveri nequit. Vtraque definitio nominis ſufficientes notas

rei

membris sit gavisurum, multis egit *Io. Bernh. Schmidius* in *Matheſi biblica*; conferatur etiam de identitate corporum *Johannes Erneſtus Gerhardus* in *Confeſſione Auguſtana enucleata*, quam Adam Lebrecht Müller 1734. Ienae emisit p. 259. Litem quoque possemus facere nostram, quae inter Theologos magni nominis viguit, disceptantes, utrum homines oculis corporis Deum futura in vita sint visuri, malo tamen hac de re tacere potius, quam pauca proferre, praesertim cum Thesis nostra, corpora resurgent eadem, sit maneatque inconcussa. Corpora vero sive homines ex sepulchris redituri divina voce audita relinquent monumenta, nec nisi a Deo possunt resuscitari. Est enim opus divinae omnipotentiae auctore Paulo Phil. III. v. 21. Ὃς μετασχηματισει το σωμα της ταπεινωσεως ἡμων, εἰς το γενεσθαι αὐτο συμμορφον τῳ σωματι της δοξης αὐτε, κατα την ἐνεργειαν τε δυνασθαι αὐτον και ὑποταξαι ἑαυτῳ τα παντα. Resurrectio enim a Deo suscipienda, non est solum possibilis, sed etiam certa. Ille enim, qui animam immortalem uti caeteras creaturas ex nihilo sola voluntate

rei discernendae characteristicas continet, non tamen modum ostendit rei vix explicandae. Nemo inficiabit corpora ex elementis sive simplicibus constare, qua vero ratione cohaereant, et entia simplicia unum corpus efficientia in se invicem agant, quis est qui nos doceat? et forte eadem ratio agendi animae in elementa corporum simplicia adest, quae datur in simplicibus unum corpus seu compositum efficientibus.

Digitized by Google

luntate produxit, et corpora ex elementis, seu simplicibus, seu τοις μη φαινομενοις composuit, miroque artificio sibi invicem coniunxit, ex corpore in elementa sua dissoluto quam facillime idem corpus extruet, cum materia corporum nostrorum, licet maximo dissipata a numine omniscio, omnisapienti atque omnipotenti mox colligi atque uniri queat. Hoc loco non omittendum prorsus erit το φαινειν non semper significare apparere, adesse vel advenire, sed etiam haud raro occurrere, ut notionem τυ ποιειν sive operationes habeat, quod ex *miscellaneis observationibus* in *auctores veteres* et recentiores, ab Eruditis *Britannis* 1731. edi coeptis, et cum notis et auctario Amstelodami 1732. apud Waesbergios recusis vol. 1 Tom. I. p. 121. didicimus. Resuscitatio quoque certa est futura, licet tempus resurrectionis atque diei extremi ignoremus; Christus enim verissimus doctor non illud docet Ioh. V. v. 28-29. Μη θαυμαζετε τυτο· ότι ἐρχεται ὡρα ἐν ἡ παντες οἱ ἐν τοις μνημειοις ακυσονται της φωνης αὐτυ· και ἐκπορευσονται οἱ τα ἀγαθα ποιησαντες, ἐις ἀναςασιν ζωης. οἱ δε τα φαυλα πραξαντες, ἐς ἀναςασιν κρισεως. Firmo igitur stat veritas talo solatii plenissima, nostra corpora aliquando a Deo fore restituta, licet innumeri hanc veritatem oppugnent homines, exempli gratia Sadducaei, Stoici et Epicurei, de quibus iamiam egimus; omnes enim Philosophi gentilium resurrectionem impugnarunt. Testem habemus *Augustinum*, qui in

Psalmum 88. Tom. 4. opp. p. 713. *nulla*, inquit, *in re sic contradici fidei christianae, quam in resurrectione.* Et *Tertullianus* de scriptoribus haereticis cap. II. ait; *ut restitutio carnis negetur, de una omnium Philosophorum Schola sumitur.* Merito igitur hostibus Resurrectionis annumerantur Pythagoraei transmigrationem animae sive μετεμψυχωσιν affirmantes, quod docte animadversum fuit in *observationibus miscellaneis Britannicis* supra laudatis p. 35. seqq.

Argumenta quidem gentilium Philosophorum, resurrectionis veritatem propugnantium collegerat *Grotius* in eleganti libro de *veritate religionis christianae* libr. II. § 10. *Mornaeus* de *veritate religionis christianae* c. 34. *Pfanneri* Systema *Theol.* gentil. pur. c. 18. et *Huetius quaest. Alnetan.* libr. II. c. 22. Horum tamen testimonia aut parum, aut nihil probant, unde ea merito pro nullis, sive infirmis saltim pronunciavit celeberrimus *Walchius* observ. supra laudatis p. 82. seqq.

Aliud quoque argumentum Philosophorum, resurrectionis irrisorum, habemus, quippe qui Christianorum Martyres, sancta dogmata sanguine suo confirmantes, insaniae reos agebant, quod ipse *Antoninus* Imperator fecit libr. XI. § 3. οἷα ἐςιν ἡ ψυχη ἡ ἑτοιμος, ἐαν ἠδη ἀπολυθηναι δεη τȣ σωματος, και ἠτοι σβεσθηναι ἠ σκεδασθηναι, ἠ συμμειναι; το δε ἑτοιμον τȣτο, ἱνα ἀπο ἰδικης κρισεως ἐρχηται, μη κατα ψιλην παραταξιν, ὡς οἱ Χριςιανοι, ἀλλα

λα λελογισμενως, και σεμνως, και ὡςε και ἀλλον πεισαι, ἀτραγωδως. Qualis est anima ea, quae parata est iam statim, si oportuerit, e corpore emigrare, et vel extingui, vel dispergi, vel permanere? ita paratam dico ut a iudicio peculiari promtitudo haec profluat, non ab obstinatione mera, pro christianorum more: ut mortem obeas considerate, composite, citra tumultum, quo et aliis idem suadere possis. Praeterea scimus, *Lucianum* doctissimum Graeciae virum, omnes tamen atque singulos illudentem, in Dialogo suo quem *peregrinum* inscripsit, Christianos perfricare, eorumque martyria derisui dare voluisse.

In orbitam tamen redeundum est, et quemadmodum priore sectione omne Stoicorum atque Epicuraeorum argumentum in unum contraximus, rei ordo hic quoque postulat, ut totam refutationem in pauca cogamus. Omnis vero res eo redibit; Anima nostra ens est simplex, a Deo atque quibuscunque aliis rebus distinctum, facultate cogitandi atque notiones nonnunquam etiam adaequatas formandi gaudens, et ob simplicitatem suam non nisi divina virtute periens, adeoque ens immortale. Hocce ens ab aliis spiritibus atque quovis corpore diversum schemate quodam omnes nutus atque cogitationes animae explicandi atque efficiendi apto conjunxit, adeoque commercium (de modo rei non disputamus) inter animam et corpus instituit. Cum itaque anima ens est a Dei simplicissima essentia prorsus distinctum, neque pro

effluvio seu particula divinitatis haberi potest, errant qui dicunt, Deum rursus morientium animam, ut sui ipsius particulam in se recipere, hacque ratione cadit telum Stoicorum in ἀναζασιν proiectum. Vidimus autem simul, animam non esse ex numero ἀτομων forte coeuntium, sed virtute insita persistere, atque vi durationis perpetuae corruptioni naturali modo non esse obnoxiam, sed corpore dissoluto, non posse dissolvi, et superstitem animam in statu rerum distinctarum perseverare, sed etiam schemate corporis vel destitutam vel nobiliore aut mutato circumdatam distinctiores sibi parare ideas, imo sic conscientiam atque sui memoriam conservare. Inania igitur et nubes captant, atque pro Iunone amplectuntur, qui sibi et aliis persuadent non corpora solum dissipari, sed animas quoque ex Epicuri sententia, in nihilum redigi. Licet enim resurrectio corporum, et restitutio vinculi inter animam, si rationis oracula audias, ut certam haud agnoscas, nullum tamen invenies dubitandi argumentum, cur ἀναζασιν ceu impossibilem reiicias, atque falsitatis cum tanta adversariorum cohorte arguas.

Deus interim, resuscitationis auctor, atque iudex iustissimus aeque ac severus: omnium hominum, ea nos felicitate omnes beet, ut resurrecturi sententiam ex Christi ore percipiamus; Prodi, ingredere laeta et gaudii infiniti plena loca, ante mundi fundamenta fidelibus parata!

IX. DE

Digitized by Google

IX.

DE APOGRAPHIS VETERVM

M. IOH. FRID. GVHLING *
WITEMBERGAE 1723.

I.

QVanto ſimilius vero eſt, Autographa veterum vix ſupereſſe, tanto ſtudioſius colenda ſunt APOGRAPHA, ſive, quae nos hic reſpicimus, Exempla librorum veterum, ad quorum fidem auctoritatemque, accitis e politiori literatura praeſidiis, tutandam nunc aggrediemur. Sunt enim non pauci, qui apographa, vel ideo, quod autographis caremus, vel alia tenuiſſima de cauſſa, in nullo loco et dignatione reponenda cenſent. Non negamus quidem, imperite ſaepius fraudulenterque cum libris actum eſſe. Diſcimus enim ex Galeno *a*) librarios, vel iisdem nominibus auctorum, vel materia eadem aut ſimili, deceptos, vel denique cauſſa quaeſtus, libros illuſtribus maxime viris tribuiſſe. Quo factum, ut ipſi Grammatici dubii redderentur. Hinc tot Homeri, Platonis, Ariſtotelis, Theocriti, Hippocratis, aliorum

* Autor doctiſſimus, defendebat ſub Praeſidio Illuſtris Bergeri Diſſertat. illam eruditiſſimam de Autographis veterum Tomo huic pag. 83. ſeq. inſertam.

a) Περὶ ἰδίων βιβλίων.

Digitized by Google

rum scripta, quae Cicero, Quintilianus *b*), Athenaeus, Galenus, Diogenes Laertius, alii, recenseant. Erant etiam nefarii homines, medii in primis aevi memoria, qui suarum, si quas rudi populo vendere volebant, nugarum patrocinium ab unius excellentium maxime et antiquorum scriptorum nomine repetebant. Hinc illi Pseudo-Dionysii Areopagitae, et scripta Patribus suppositia, hinc Berosi et Manethones, quos constat Annianae libidinis esse foetus, hinc alii libri, falso antiqui et celebris nomine auctoris superbientes.

IX. Hic igitur ante omnia praemuniendum, primum, quod iis, quae constanti et perpetua bonorum consensione commemorantur, necessario debeat credi, nisi omnis humana et historica fides sit evertenda, quod inhumanum est. Deinde vero singulorum est inquirenda auctoritas, quae, si cum idonea rerum notitia et veritatis studio deprehendatur coniuncta esse, meretur fidem, etiam in iis, quae minus sunt expedita, donec aliud evidentioribus rationibus evincatur. Vt igitur de Sacra Scriptura nihil dicamus, cuius veritatem omnes boni semper strenue sunt tutati, ita, iisdem praemunitis, non magis causae habemus, quare de plerorumque codicum ingenuitate, et veritate rerum, quas complectuntur, dubitemus, maxime, cum certum sit, nunquam artem fallendi verita-

b) *Hic in primis Aristoteli Rhetorica ambigua facit, eaque Theodecti praeterea adscripta docet, L. II, c. XV.*

Digitized by Google

veritatem perfecte attingere, ut loquitur Mabillonius, mirandaque sit natura, quae tum omnibus hominibus eandem faciem dederit mentemque; ita tamen eos a se invicem singulari ratione distinxerit, ut, quo sollicitius interdum unus alium conetur imitari, eo longius ab eius consuetudine recedat. Sic illa Consolatio, Ciceronis commendata nomine; vix in eruditorum pervenerat manus, quin Hotomannus, abiecta ea, indignabundus diceret, *non esse Ciceronis*. Immo Lipsius c) plane in ea aliquam *Sigonianitatem*, sive rationem scribendi Sigonio congruentem, agnoscebat. Adeo nunquam tam callide fraudes componuntur, quin pelluceant aliqua parte, et ab sagaci navoque lectore agnoscantur, tanto quidem facilius, quanto illustrior minusque imitabilis est auctor, cui, vel per inscientiam et imprudentiam, vel studio, aliquid additum fuit. Hic igitur eruditi, ingenii quadam εὐτοχία praediti, in rem magis, quam librorum inscriptionem intuentur, ut Erasmus loquitur, considerantes, num tempus conveniat et locus. Attendunt etiam ad dogmatum consensionem, adiecto simul altero oculo ad aliorum de auctore testimonia. Quae tamen omnia, cum facile a callidis ad veritatis speciem possint effingi, ipsis non idonea sunt ad iudicium faciendum, sed ipsius styli cognitionem diligenti et longa quasi consuetudine sibi pariunt, quem non ex singulis tantum verbis, sed omni etiam dictionis habitu, figura, ἤθει, πάθει, iudicio, rationibus argumentandi, inventione, methodo

c) *Vid. Ep. p. LXXX. ad Gulielmum.*

Digitized by Google

nem, vel alia de cauſſa, aliquid mutet cum veritatis detrimento. Conſiderandi igitur ſunt in manuſcriptis ductus literarum, interpunctiones, picturae, orthographia, membrana, atramentum, ſubſcriptio, librarius, in ipſo vero libri contextu diligenter ad ea attendendum, de quibus ſupra *i*) dixi. Neque tamen quis putet, iſta habitu animi, aetate, incrementis ſcientiae, data opera, et pro argumenti dignitate poſſe non aliquatenus mutari, ut ſapienter Eraſmus monet. Denique alia hic obſervanda, ne graviter cum multis offendamus, qui parvis quibusdam momentis inducuntur et inducunt. Lapſus igitur iudicio eſt Harduinus, qui ideo ſuppoſitos eſſe multos auctores ſibi perſuaſit, quia formulae, ad Francogallicae genium linguae accedentes, in iis deprehendantur. Quaſi vero non lingua, una ab altera profecta, multum maternae proprietatis ſecum trahat, omnes autem linguae naturali prope vinculo contineantur. Exemplum iniquae cenſurae conſtituunt etiam multi in Curtio Rufo, cuius tamen propugnationem Perizonius contra Clerici praecipue dubitationes ſuſcepit. Ac, ſi Montfaucconio *k*) eſt credendum, exſtat Curtii codex MS. in Bibliotheca Colbertina qui DCCC annos ſuperat, cui addendus alius, ex Medicea Bibliotheca, DCC circiter annorum, de quo Cellarius evolvatur.

V. Sed nova nunc ab aliis expediuntur tela, quibus convellant apographorum auctoritatem. Aiunt

i) §. II.
k) *In Praef. ad Palaeographiam Graecam.*

Digitized by Google

Aiunt enim, omnis antiquitatis monimenta adeo ab librariis et criticis ineptis esse corrupta, ut vix elegantiae priscae effigies possit agnosci. Non quidem nego, viros eruditissimos iam prisca aetate de his depravationibus esse conquestos, quae, ab incogitantia et inscitia librariorum profectae, etiam agnitae non corrigebantur, ne liber commaculatus vilius venderetur. Cicero *l*) *de Latinis libris*, dicit, *nescire, quo se vertat, ita mendose scribi et venire.* Hieronymus Lucianum monet, ut, si *paragrammata repererit, vel minus liquido descripta, quae sensum legentis impediant, non sibi imputet, sed imperitiae notariorum, librariorumque incuriae, qui scribant, non quod inveniant, sed quod intelligant, et, dum alios errores emendare nitantur, ostendant suos.* Hic idem alio loco graviter in negligentiam librariorum invehitur, qui multa addant et mutent. Pestis bonarum literarum erant etiam audaces critici et interpretes, qui, tanquam arbitri omnis literaturae, in praestantissimis scriptoribus transferebant aliqua, abiiciebant et addebant, prouti perverso ipsorum ingenio viderentur. Ac tales διορθώσεις et τολμήματα passim apud Galenum, Quintilianum, Athenaeum, Gellium, conspiciuntur.

VI. Nunquam tamen defuerunt sapientiores, qui tantae audaciae obsisterent, et in praesidiis reconditae magis et elegantioris eruditionis innixi, subacto praeterea ingenio, bonaque

l) *Ep. V. ad Fratrem.*

Digitized by Google

fide, auctoribus priſtinam effigiem reſtituere allaborarent. De Sacro Codice hic non loquar, cuius integritatem non humana ſolum ope, ſed ipſius iuſtiſſimi Dei providentia *k*), curatam conſervatamque eſſe, ſcimus, quamque iam alii, tum veteres, tum recentiores, numero non pauci, aſſeruerunt. In aliorum vero librorum integritate retinenda quantum ſtudii poſuerint veteres, ſatis vel ipſa tot celeberrimorum nomina Grammaticorum evincere videntur, qui nobis a Suetonio, Gellio, Athenaeo, Galeno, aliis, tum etiam ab Henrico Stephano, Ionſio, enarrantur. Hi Grammatici omnem fere vitam in hoc ſtudiorum genere conſumebant, cumque probe viderent, quantum emendata lectio ad intelligendam plenius ſcriptoris mentem adiuvaret, nihil faciebant reliqui, ut codices, vel a rudi et negligenti librario, vel ſcioli ineptiis turbatos, expedirent, maculasque aſperſas eluerent. Illud vero praecipuum in hac diligentia tenebant, ut, ἀντιβολὰς ſive ἀντίγραφα ἀντιβάλλοντες *l*), hoc eſt, comparantes inter ſe antiquas membranas, hac ratione vel ulcera latentia detegerent, uel aperta vulnera ſanarent, vel denique eos, qui contra niti conarentur, antiquorum eiusmodi collatione codicum refutarent *m*). Neque facile a lectione, in membranis inventa, diſcedebant, etiamſi interdum corrupta videretur, ſed altius in literarum ingrediebantur ſacraria, videntes, an

k) *Matth. V, XVIII. Luc. XVI, XVII.*
l) *Strabo L. XVII.*
m) *Auguſtinus contra Fauſtum L. XXXII.*

Digitized by Google

an fortaſſis uſu aliorum iſta comprobaretur. Ita multum tribuit Gellius *n*) libro Orationum Ciceronis, Tironiana cura et diſciplina facto, eosque ignorantiae convincit, qui, non intellecta indefinitae coniugationis, ſive ἀπαρεμφάτου vi, verba, *rem praeſidio futurum* emendare non dubitent. Ibidem contra ſemidoctum vulgus oſtendit, Ciceronem ſine ſoloeciſmi ſuſpicione, *in poteſtatem eſſe* dicere. Pluris item ipſi *o*) eſt auctoritas libri ex domo et familia Ciceronis, quam iusiurandum Phavorini, quo minus credat, vocem *Amaror*, pro *Amaro*, in Georgicis *p*) reponendam eſſe, cum praeterea Lucretii accederet exemplum, ex quo Virgilius multa hauſit, ut alias Macrobius oſtendit. Hieronymo *q*) etiam libri Originis, manu Pamphili deſcripti, ingentis loco theſauri erant, cum tamen ipſa Origenis autographa, depoſita in Caeſareenſi bibliotheca *r*), inſpicere poſſet. Tanti veteribus erant apographa, ut facile appareat, nullam librarii incuriam adeo diſſolutam, neque critici tam audacem conatum, fuiſſe, quin, pro maiori ſaltem parte, ab eorum indefeſſa diligentia propulſata haec fuerint et ſublata, qui, re ſapientius penſitata, cum Quintiliano agnoſcebant, quam largiter ad incrementa literarum emendati codices proficerent. Neque hic omnem veterum induſtriam

n) *L. I, c. VII.*
o) *L. I, c. XXI.*
p) *L. II, u. CCXLVII.*
q) *de Vir. Ill. ſub. uoce* Pamphilus.
r) *Hier. Com. in Pſalm. II, et in cap. III. Ep. ad Tit.*

Digitized by Google

expoſuimus, quam uberius, praeter alios, perſequitur Woverus *s*).

VII. Nos vero ad recentiora pergimus tempora, in quibus Angeli Politiani, Pierii, Eraſmi, Alciati, Budaei, Cuiacii, Ferrarii, Turnebi, Scaligeri, Mureti, Gifanii, Paſſeratii, Torrentini, Robortelli, Stephani, Camerarii, Pontani, Leopardi, Guilielmi, Scioppii, Cunaei, Canteri, Vulcanii, Barthii, Schotti, Reineſii, Rutgerſii, Caſauboni, Lipſii, Dausquii, Salmaſii, Heinſii, Spanhemii, Meurſii, Gronovii, Graevii, Rittershuſii, Millii, Perizonii, Hudſonii, Burmanni, illi, quos praeterea Gruterus in ſuum Theſaurum retulit, tot alii, hi, inquam, ingenti, ut Petronius loquitur, flumine literarum inundati, et a natura quaſi ad inſtaurandam amplificandamque literarum dignitatem facti, antiquas membranas aſſiduis laboribus exeuſſerunt, nihilque fecerunt reliqui, ut poſteritati veterum monimenta auctorum, a barbarie et mendis repurgata, relinquerent.

VIII. Quid tamen hi viri interdum effecerint, intelligere poſſumus, quando, Scaligerum, audimus de ulceribus Manilii deſperatis conquerentem, quando Daumius vix decimum quemque verſum in Ovidio integrum reperit, Muretus ſcatere corruptelis Plautum indicat, Gifanius, neque Lambinum, neque ſe, Lucretio plenam opem tuliſſe, fatetur, Guilielmus ſpem ſanandi Ciceronis abiicit, Stephanus plane Pſeudo

s) *Polymathiae c. XVII, et XVIII.*

Digitized by Google

do Ciceronem ſcribit, Boeclerus de reſtituendo Ioſepho deſperat, alii, de aliorum ſalute laborant.

IX. Nempe, ab omni literarum ſcientia alienus ignauusque eſt, qui, poſt tot eruditorum labores, dubitat et negat, opus eſſe, ut in ſchedas, carie exeſas, blattisque dignas, ſic enim loquuntur, inquiramus. Multae profecto membranae, et in iisdem membranis lectiones, latuerunt viros eruditos, quas alii poſtea deprehendunt *s*). Immo ſunt multi, qui interdum ſe pro κριτοῖς gerunt, cum tamen non ſint κριτικοί, ſive, ut interpretatur Henricus Stephanus, naturae dotibus et eruditione ad emendandum inſtructi, atque adeo ſua inſcitia et coniecturis omnia perturbant. Maxime vero a bonis improbatur fraus adverſariorum, qui ſcripta, antiqua Patrum et Hiſtoricorum, in iis locis, a quorum veritate malae ſuae cauſae metuebant, mutilarunt *t*). Quis igitur ſapiens in tam multiplici periculo velit eſſe ſecurus, ut codices, manu exaratos, abiicere malit, quam horum hominum impudentiae occurrere. Praeſtat hic potius omnes undique membranas conficere, in quibus optimae fere ſunt, quae antiquiſſimae, aut ab erudito librario confectae, aut denique in publicos uſus deſcriptae ſunt. Sed neque vitioſiſſimae membranae hic abiiciendae prorſus, ut aliqua ſaltem parte proſint, etſi

s) *Morhoff. Polyh. L. I, VII, §. II, III.*

t) *vid. praeter Dallaeum, magni nominis Theologi, Caſp. Loeſcheri Diſſert. de Latrociniis in Script. Publicos praecipue Patres*

Digitized by Google

aliter hic sentiat Robortellus et Conringius. Immo consulendi libri impressi. Nec temere a fide codicum est abeundum, nisi aut librarii, aut nasutuli lapsus sole clarior sit. Opus vero hic simul est notitia antiquitatis, antiquae scripturae et ipsius sermonis, ne, his neglectis, totidem modis sententia auctoris depravetur. Quod si vero haec remedia non sufficiant, Criticus, naturaliter innata sagacitate instructus et eruditione, bona simul fide, ex materia de vera mente scriptoris coniicit, quod fit additione, ablatione, transpositione, extensione, contractione, distinctione, copulatione mutatione, quae, ut sapienter praecipiuntur a Robortello *u*) et exemplis explicantur, ita, nescio, quo merito Sigonus *x*) explodat.

X. Quod vero multi libri saepe ex uno sunt transcripti, tanto minus de pretio membranarum detrahit, quanto certius est, non omnes pari cura scribere, fere omnes in diversis locis labi, et quemque ita ex altero posse emendari. Neque hic obest ignorantia librariorum, quae saepe auctoribus saluti fuit, cum illi rem, non intellectam, non auderent quoque mutare. Neque etiam semper rudibus permissa est opera describendi, sed doctissimi viri, et in ipsa luce reipublicae constituti, hunc susceperunt laborem, aut saltem ab aliis descripta accurate correxerunt, quod ex dicendis luculentius patebit.

XI. Ha-

u) *L. de arte corrig. libr. antiqu.*
x) *L. I. Emendat. Tom. II. Grut.*

Digitized by Google

XI. Habemus scilicet adhuc in variis bibliothecis reverendae vetustatis codices, circiter aetatem Iustiniani, aut etiam ante eam adhuc exaratos, quos hodie merito authenticorum loco veneramur. Praetereo codices Ebraeos, post Hottingerum et alios, a Cl. Wolffio in Bibl. Ebraica iam recensitos. Exstat interpretatio Graeca Geneseos, de qua, ut Waltonus refert, Vsserius affirmabat, *codicem hunc, quantum coniicere posset, omnium totius orbis antiquissimum esse.* Memorandus quoque eiusdem versionis codex, ut vocatur, Alexandrinus, in Iacobea bibliotheca Londini hodie reperiendus, qui per Thomam Roe a Cyrillo Lucari Patriarcha Constantinop. dono missus fuit Carolo I. ut ipse Roe sua manu in fronte codicis hoc affirmat. Atque huius antiquitas multos adduxit, ut, eum Theclae virginis manu scriptum, censerent. Praeclare scribit Richardus Simon de membrana Claramontana Epistolarum Paulinarum, quae cum Dioscoridis *x*), Prudentii et aliis codicibus vetustissimis in bibliotheca Regia Parisiensi ostenditur. De Evangeliorum et Actuum Apostolicorum libro, qui in bibliotheca Cantabrigiensi est, praeter alios, Millius *y*) exquisite iudicat, qui idem ille est, ex quo Beza, suas lectiones instruxit. Inaestimabilis quoque thesauri loco esse potest codex epistolarum Diui Pauli, Venerabilis Bedae chirographo confectus, qui in bibliotheca Humfredi Wanleii est superstes *z*).

x) *Antiquior in Vindobonensi bibliotheca est.*

y) *Prol. ad N. T.*

z) *Hickesius Tom. II.*

Digitized by Google

In multis vero gentibus Itali fere, Romani maxime et Florentini, rei librariae, et antiquorum codicum laude, excellunt. Ita enim Vaticana suo Virgilio ornatur et Terentio, qui Caroli M. aetate a Hrodgario quodam est exaratus. Praeterea quoque Fulgentio Ruspensi, Hilario Pictavienſi, Cypriano, Verſione Graeca Seniorum, aliis, claret. Hanc tamen fere vincunt antiquitate codicum bibliothecae Florentinae, Laurentiana, Divi Marci, Palatina, Mediceae. Praeter enim antiquiſſimam τῶν ὁ Verſionem, Sidonium Appollinarem, Commentaria Tiberii, aliosque vetuſtiſſimos codices, illi Pandectae, ſupra accurarius conſiderati, ſervantur, et, qui primus erat nominandus, princeps tantum non omnium manuſcriptorum, Virgilius, circa Valentis aut Theodoſii tempora, ſi credimus Holſtenio, ſcriptus, quem olim Turcius Aſterius Apronianus, Vir Conſularis et Praefectus Vrbis, a Macario V. C. acceptum, ſua manu diſtinxit anno CCCCLXXXXIIII. ut ex ſubſcriptione patet. Atque hunc Virgilium Manutius in Orthographia nominat Carpenſem, eumque uberius Noriſius *a*) deſcripſit. In antiquiſſimis codicibus praeterea referendus Joſephus Ambroſianae Bibliothecae Mediolanenſis, codex Livii Chifletianus *b*), quem Victorianus V. C. Nicomachus Dexter V. C. Nicomachus Flavianus ad exemplar Clementinum emendarunt. Neque

a) *Cenot. Piſan. Differt. III.*

b) *de hoc vid. Godefr. Wendelinus in Notis ad leges Salicas p. CXVIII.*

Digitized by Google

Neque ommittendus hic Codex Renati Marchalli c), qui nunc est Iesuitarum Collegii Ludovici M. in quo habentur Prophetae cum lectionibus ueterum interpretum, literis quadratis scriptus, transsumptus ex Apollinarii exemplo, quod ipsum ex autographo Eusebii et Pamphili erat extractum. Denique, ut alios praeteream, afferendi quoque huc sunt Commentarii Iulii Caesaris, a Iulio Celso Constantino, V. C. aut possessi, aut descripti simul et emendati, quibus in sua editione usus est Ioannes Goduinus. Atque hic est fortassis ille Iulius Celsus, cuius nomine insignes multas membranas se vidisse accuratissimas et antiquas, Robortellus affirmat.

XII. Haec igitur et alia tam charae vetustatis monimenta, quae passim in MSS. catalogis, plurimam partem a Morhofio recensitis, enumerantur, merito observamus, tum in emendandis auctoribus, tum etiam in fundanda rectae scripturae ratione, si politum aureae aetatis iudicium defuerit, et in his ipsis manifesta labes, et consuetudo vitiosa illorum temporum ab vestigiis priscae orthographiae internoscantur. Omnis enim iam tum corruperat Gothorum barbaries, nec influxerat tacite, sed irruperat Attilae studio, et ipsis principibus se commendarat. Vnde etiam Diplomata non lingua solum, sed et scriptura, vulgari, hoc est, barbara ea, edebantur, ut egregie demonstrat Fontaninus

N 5

c) *vid. Montfauconius, et Curterius in Praef. ad Proph. Esaiam.*

taninus *d*). Ex quo non poterat non fieri, quin eruditi, vibrante ſemper in auribus et ſonante barbarie, laberentur interdum, aut ſaltem inconſtantes fierent. Ita Taurellus reperit in Pandectis Fl. *Compraehendere*, *Extare* et *Exſtare*, *Plebiſcitum* et *Plebiſcitum*. Henr. Brencmannus *e*) invenit in iisdem crebram literarum permutationem, ſcribique in iis affirmat *Verua*, *Berua*, *Berba*, pro *Verba*, *Vovis*, *Bovis*, *Bobis*, pro *Vobis*, *Tertylus* et *Tertulus*, *Orfilus* et *Orphilus*, *Triumfus* et *Triumphus*. Pierius *f*) crebram τῦ I et Evarietatem in ipſius voce Virgilii Vaticani deprehendit. Ipſe Codex Mediceus *Exſaturo* habet et *Exaturo*, *Exſpecto* et *Expecto*, *Glaeba* et *Gleba*, quod Noriſius *g*) annotavit. Tamen nihilo minus codicum horum ut dixi maxima in orthographia eſt auctoritas, etiam ſi interdum corrupti videantur, ſicut recte monet Gifanius *h*). Multa enim haud dubie in ipſis auctorum autographis perſcripta, et per deſcriptionem translata, habent, ex eleganti veteris aeui conſuetudine quod ſaepe vel uſu, vel dedita opera, ab origine vocum diſcedebat *i*) ut in priori Diſſertatione demonſtratum eſt. Hinc Manutius ſua fere omnia tribuit Virgilio Carpenſi, Cypriano Romano, et Pandectis

d) *in Vindic. Rei Dipl. L. I. c. VII. et X.*
e) *In Epiſtola ad Hadr. Reland, Faſtis Conſ. annexa p.* Ioccc *L. et ſequ.*
f) *L. IIII. Comment. in Geogr.*
g) *Cenotaph p. CCCCL.*
h) *In praef ad Lucretium.*
i) *Varro de L. L. Libr. I.*

Digitized by Google

Pandectis Florentinis, et Gifanius, rarae eruditionis vir, religiose codicum servat scripturaram, neque attinet, singulorum iudicia eruditorum hic cumulari, ubi coniunctis prope omnium sententiis rem deprehendimus confirmari.

XIII. Atque haec in praesentia dixisse, sufficiat. Quod vero in nostra Diss. recentiora autographa attigimus, de iis hic minus laborandum videbatur. Praecipua tamen laude quadam ferenda est industria celeberrimi Theologi et Summi Senatus Ecclesiastici Assessoris venerandi IO. ANDREAE GLEICHII, qui, sicut doctissime scriptis iam pridem nomen domi forisque celebravit, sic pro suo in omne rarioris doctrinae genus amore, ea quoque re de literis praeclare meretur, quod non Imperatorum modo et Principum, sed Pontificum etiam, aliorumque, in primis eruditorum idiographa tanto conquisivit studio, ut apparaverit thesaurum, alibi frustra quaerendum. Servet Deus Virum, meritis insignem, quo propositum edendi huius thesauri possit perficere, felicior Peirescio, cuius obitu κειμήλια, simili labore instructa, periisse, cum Aegidio Menagio *k*.) eruditi dolent. Eandem felicitatem precamur illustri GENTILOTTO a quo codicem Rudolphinarum Epistolarum aliasque Imperatorum divinas manus, simul cum reliquis scripturis nondum editis, ex Augustissimo Vindobonensi tabulario edendas, orbis eruditus cupide expectat. His enim authenticis non parum historia patria adiuva-

k) *Menagiana Tom. I. p. CCLIX.*

Digitized by Google

adiuvabitur, perinde, atque olim Appianus l) ex Υπομνήμασιν Augusti αὐτογράφοις suam historiam locupletavit, atque ita nobis specimina Eloquentiae Augustae reliquit m). Similiter Famianus Strada ex autographo Caroli V, ut ipse fatetur, profecit. Patrii quoque sermonis originem et vim haud paullo felicius cognosceremus, si Regum Anglos Saxonicorum autographa, quorum Hickesius n) meminit, excuterentur.

l) *L. IIII. p. DCLIII. et alias.*
m) *vid. de hoc Diss. excellentissimi* BERGERI.
n) *Hickes. T. II.*

X.

DE TRIBVS REGNI SVECIAE CORONIS

DAN. GVIL. MOLLER
HIST. ET METAPH. PROF. PVBL. ORD. IN ACAD. ALTDORF. 1696.

V*Ndeunde nonnulli* originem Coronarum *arcessere laborent, infitias profecto hanc facile quispiam iverit, usum earum antiquissimo a tempore frequentissimum non minus quam splendidissimum fuisse. Vt enim taceam, Gentilem in sacris operationibus et sacrificantes et hostias et idola coronari consvevisse, eccui quaeso ignotum esse poterit, in certaminibus etiam, in ludis,*

Digitized by Google

dis, in victoriis, triumphis, nuptiis, funeribus, cippis, columnis, conviviis, et aliis pluribus actionibus rebusque mundanis, locum Coronas haud sane postremum obtinuisse: quae ipsa forsan Plinius *secum perpendens in* Hist. Nat. l. 21. c. 3. *verba protulit seqq.* Et iam tum Coronae Deorum honos erant, et larium publicorum, et privatorum, et sepulchrorum, et manium, summaque auctoritas pactili Coronae, sutiles Saliorum coenis et sacris solennes invenimus. *Maxime autem in Regum Principumve inaugurationibus Coronae adhiberi solent, tum ad maiestatem et singulare eorum decus, tum ad vicariatum, quem his in terris Dei summi obtinent, quadantenus adumbrandum: quin etiam in Scuta et Insignia eorum Coronas concessisse, quotidiana testatur Experientia. Non igitur abs re me facturum censeo, si ex voluntate Nobilis Dn. Respondentis, pauca quaepiam de* Tribus *illis* Coronis, quae in Regum Sveciae Insignibus *conspiciuntur, ex amplissimis historiarum viretis delibavero. DEVS porro incepta secundet!*

CAPVT I.

De Insignibus Regno Sveciae propriis.

§. I.

REgni Svecici *Insignia tres esse aureas Coronas*, omnes uno testabuntur ore, quotquot vel praesens aetas rerum Svecicarum nobis exhibuit Autores. Ita natione Svecus *Ioh. Wexionius in descript. Svec. lib. 6. cap. 6. Patet*, ait, *Reges*

ges Sveciae, ante multa secula, pro Insigni genuino et proprio, tres Coronas habuisse. Et idem ibid. lib. 1. cap. 3. *Sveciam propria a multis retro seculis Insignia, tres Coronas habuisse, antiquae monetae, diplomata, monumenta saxis incisa, aliaque documenta evincunt.* Ioh. Messenius pariter Svecus in Speculae suae cap. 12. *Insignia Regum Vbsalienſium seu Svecicorum ab antiquissimo mundi tempore in hodiernum usque diem extiterunt semper terna auri diademata.* Sic etiam is ipse in Theatr. Nobilitat. Svec. cap. 3. *Sveones a Regni sui primordio, tribus perpetuo pro Insignibus Coronis sive Diadematibus usi sunt.* Neque alia mens fuit *Ioh. Buraeo*, itidem Sveco, qui in *Adulruna MS.* (uti quidem *Ioh. Schefferus* in libro singulari de antiquis veriſque Regni Sveciae Insignibus p. 74. perhibuit) Tre Cronor hafwa fordom aff ålder warit Upsala och Swea Rijkes Konungs eenskylte Wapen och Skiöldemärkie, h. e. *Tres Coronae a priscis inde temporibus Vpsalienſis et Sveciae Regni Regum propria fuerunt insignia.* Olaus Magnus lib. 2. cap. 25. *Svecorum Principes tribus aureis Coronis in campo coeleſtini coloris utuntur.* Et frater ipsius Ioh. Magnus lib. 8. c. 41. *Tres Coronas, Svetici Regni Insignia habebat in Scuto.* Denique in Anonymi cuiusdam Chronico Rhythmico de An. MCDL. edition. Hadorphian. pag. 412. legere licet rhythmos istos:

Ok hwat i Baneren malad åre,
Tree Cronor skulle jo mäder wäre.

h. e.

Digitized by Google

h. e. *Quidquid vero esset pictam in Vexillis*, (Regum Sveciae) *ei semper adiunctae erant tres Coronae.*

§. II. In diversum quidem abire videtur *Olaus Magnus*, qui *in respectu ad vetustiora tempora*, Svecos *duabus virginibus mutuo se amplexantibus in sylva* usos fuisse pro Insignibus, tradidit: ita enim is *lib. 2. cap. 25. Rerum Septentr. Svecis autem sive Sveonibus antiquitus erant arma, videlicet duae virgines coronatae, aureo vestitu, sese mutuo in virenti sylva amplexantes, tanquam Dearum Nympharum excellentiam in regione ostendentes.* Sed praeterquam quod haec assertio nulla idonea nititur ratione, profecto ne minimum etiam in hunc usque diem proferri potuit documentum, quo stabilimentum aliquod eidem accederet. Recte igitur *Messenius in cit. Specul. cap. 12. Perperam*, ait, *quidam perhibent, Sveonum quondam Insignia duas extitisse virgines coronatas, aureo vestitu, se se mutuo in virenti silva amplexantes, cum problema illud foederis duntaxat, Sveones Gothosque inter sanciti, fuerit antiquitus argumentum.* Enimvero loqui videtur *Messenius*, tanquam de pluribus Autoribus, qui id ipsum statuerint, cum tamen ante *Olaum Magnum* neminem alium, quin hunc eundem primum solumque fuisse, qui istud prodiderit, *Schefferus d. loc. pag. 76.* asseruerit: Per figuram igitur et modestiae forte caussa, de pluribus loquendo, Olaum nominare noluit, vel ad eos,

Digitized by Google

eos, qui Olaum in opinione ista secuti sunt, respexit.

§. III. *Leonem* qui pro antiquis Regni Sveciae Insignibus venditant, Numos quosdam aiunt cusos reperiri, a quorum uno latere *Leo tria flumina transsiliens*, ab altero, *tres coronae* conspiciantur, atque ex geminis hisce figuris, *Leonem* quidem Insignium, *Coronas* autem ornamenti duntaxat locum obtinere. At vero quemadmodum contra consvetudinem gentibus receptam, et adversus negotii naturam indolemque ageretur, si duorum Regnorum, Sveciae nempe Gothiaeque unicum duntaxat Insigne, Leo scil. fluvios transsiliens, constitueretur, ita, cur Coronis potius quam Leoni, in commemoratis numis, Sveciae nomen adiectum sit, ratio vix credo alia dabitur, nisi quod Insignia Regni Svecici iisdem adumbrata fuerint. *Ecquid igitur facient*, inquit *Scheffe-rus loc. cit. pag.* 83. de tribus illorum numorum coronis? *An ornamentum nudum dicent? cur autem in hoc ornamentum tanto studio consenserunt Reges, et tanto tempore? Adde, quod ab ea parte, quae tres exhibet coronas, nomen suum extare voluerint et non ab altera, quod convenientius fuisset, si Coronae tres ornatus caussa tantum fuissent formatae. Debebant sane primo intuitu monstrare, cuius Regni essent Reges. Nunc quia Sveciae Regnum Gothiae praepositum, merito insignibus illius nomen suum adiecere. Tres Coronae igitur ad Sveciae Regnum pertinent.*

§. IIII.

§. IIII. *Obiiciunt* aliqui, dicuntque, *tres illas coronas in numis quibusdam Magni Regis, Birgeri F.* extra circaque Gothorum insigne, et quidem ad tria illius latera comparere, ordine fere isto, ut una corona Gothici insignis, h. e. Leonis fluvios transsidientis caput, altera eiusdem dextrum protensum pedem, tertia caudam e regione posita exornet, adeoque non tam distinctum tres Coronas insigne, quam accessoriam quandam, fortuito et sine consilio assumtam esse exornationem: non aliter ac nostra etiam aetate in uncialibus quibusdam numis quatuor Coronarum initialibus nominis literis superne appositarum expressas videre licet figuras. Quemadmodum vero similia non tam probare quam illustrare notissimum est: ita easdem in Svecicarum ac aliarum Coronarum delineatione militare rationes, ecquis amabo asseruerit? Profecto si solius splendoris ergo tres coronae in Svecicis illis numis fuissent expressae, quarta sine dubio etiam ad pedis sinistri extremitatem adiici debuisset. Ceterum huc ea quam maxime referenda erunt, quae *Iohannes III. Rex Svec.* in peculiari quodam ad Conventum Stetinensem An. MDLXX. exarato Scripto, huic eidem obiectioni occursurus, proposuit verborum serie seq. *Quamvis tres illae Coronae ea tempestate non fuerint ordine positu-que collocatae quo hodie, verum extra Gothorum insigne: non tamen efficit iste positus, quo minus distinctum constituant et perfectum insigne, nequaquam vero accessorium quoddam ornamentum, quandoquidem intra titulum seu epigraphen*

positae conspiciuntur, haud minus ac Leo iam dictus. (h. e. Gothicum insigne,) *Nam insignia sunt insignia, licet non semper figura certum in modum clypeo, proprie ac stricte dicto, includantur; dummodo intra circumferentiam inscriptionis compareant, quemadmodum saepius nunc fieri videmus. Alioquin Romani Imperii Insigne, Aquila diducta et divisa, non foret insigne habenda, cum non sit clypei orbe aut circumferentia quapiam concluſa, verum in medio Aquilae, haereditaria Imperatoriae domus insignia extent, et tamen extra istum clypeum aquilamque Imperatorius titulus in imo orbe undique legatur. Idem memorato Regi Magno Birgeri F. licuit, quum ita ipsi videretur; Leonem scil. cum tribus fluviis in ipsa clypei area, in medio tres Coronas, extra haec omnia epigraphen in orbe ponere, quum nemo dubitaret, vera Svetici Regni Insignia esse tres Coronas.*

§. V. Quamobrem ex his et aliis pluribus in adducto Iohanneo Scripto prolatis rationibus planissimum evadit, tres Coronas esse Regni Sveciae Insignia nativa et propria, atque a longissimo tempore omnibus in hunc usque diem Sveciae Regibus gestata, adhibita et usurpata.

CAPVT II.

De Origine harum Coronarum.

§. I.

Antiquissimas et tantum non ipsis Sveciae Regni primordiis aequales tres has esse Coronas, haud paucos asserentes invenire licet Autores

Digitized by Google

tores. Ita enim praeter alios *Ioh. Messenius* Theatr. Nobil. Svec. cap. 3, p. 110. *Sveones a primordio Regni sui, pro Insignibus, tribus perpetuo usi diadematibus.* Et *Ioh. Loccenius* Antiquitat. Sveo-Goth. lib. 2. cap. 9. pag. 58. de priscis Regni Sveonum Insignibus verba faciens; *Tres*, ait, *Coronas esse vetus Insigne regni et Regum Sveciae, ex antiquo saxo Morastien, cui incisae sunt, ex antiquis numis et sigillis diversorum Sveciae Regum, e Tabula ad S. Erici sepulchrum suspensa, aliisque monumentis evidenter liquet.*

§. II. Equidem negari licet haud posse existimem, Insigne hoc trium coronarum oppido esse antiquum, attamen in primordia statim Regni id incidisse, perdifficile fuerit probatu. Vt enim taceam, nonnullos a Magogo Iapheti filio eadem deducere laborasse, certe antiquo eiusmodi et vetusto tempori Insignium quoque usum adiudicatum velle, vix quispiam Heraldicae peritus admiserit.

§. III. Hinc in illorum etiam Scriptorum sententiam haud libenter iverim, qui *Svibdagero* (al. *Svigdagero*, vel *Sibdagero*, vel *Svibdragero*) circa A. M. 2940. Regia Sveciae sceptra tenenti, *originem harum coronarum*, eam praecipue ob caussam adscribere annituntur, quod primus tria Arctoa Regna coniunxerit, indeque occasione sumta tres Coronas pro conservanda tam insignis rei gestae memoria, Insignium loco usurpare inceperit. Sed enim uti

coniecturam iſtam non firmo adeo talo inniti ultro fatendum eſt, ita in monumentorum eam ſtatuminantium defectu, quis ſoli locum illi tribuerit? Vt taceam, Coronarum aut Inſignium eiusmodi uſum tam antiquum fuiſſe vix aliquem demonſtraturum.

§. IIII. Qui *Ericum I.* Sveciae Regem, circa tempora recens nati Chriſti, autorem trium Coronarum conſtituere ſatagunt, praeter Regna Gothiae et Finnmarckiae Svecico iuncta, haud ſcio aliis an rationibus utantur: quae vero tantum abeſt, ut originem trium aſſumtarum probare queant coronarum, ut potius ex *Biarmiae*, ſive *Permiae* quoque regno acquiſito, quatuor coronarum inſignia emergere debuiſſent. Quid quod etiam nihil prorſus de origine tali in Annalibus Sveticis expreſſum licet invenire. *Ille*, (ſcil. Ericus I.) ait, *Loccenius d. l. lib. I. pag. 1. cives volentes et obſequentes aequo iure, prudenti et pacato imperio rexit, patriamque ad illum felicitatis gradum extulit, ut, quantum humana cura provideri, induſtriaque effici poterat, ſtatus Patriae ab offenſionibus minoribus liber et ſalvus conſervaretur. Eundem Scaniam et Cimbricas Inſulas Gothis colonis impleviſſe, a nonnullis traditur: de quo tamen ſunt qui dubitant. Ipſe vero in tranquilla ſenectute placidum vitae finem adeptus eſt. Nec plura de eo in Annalibus Sveticis, niſi quod iſtius ſeculi mere, priſci eius laudes patrio carmine decantarunt, poſterisque tradiderunt: ut vel hoc modo grati cives Principis ſui memoriam, quantum*

in

in ipsis erat, ab oblivione et interitu vindicarent.

§. V, Nonnulli originem memoratarum Coronarum ab *Alberto*, ex Ducum Megapolitanorum stirpe seculo post C. N. XIVto ad Regiam Sveciae dignitatem evecto, arcessere laborarunt, frustraneo prorsus, quantum mihi quidem videtur, conatu. Sane insigne illud *duodecimo iam seculo* ab *Erico* Sveciae Rege, *Sancti* cognomine insignito, usurpatum fuisse, *Io. Loccenius Hist. Svecan. lib. 3. pag. 78.* verbis tradidit hisce: *Memoriae eximii Regis* (Erici IX.) *etiam hic honor a posteris habitus est, ut in Sanctorum ordinem olim referretur; ut eius imagine, tres praeferente coronas, vetere Regni Svetici Insigni, monetam publicam et sigillum regium exprimi, diu in usu esset; ut insigne civitatis Holmiae, Erici caput corona cinctum, esset.* Quapropter vere non minus ac sincere idem *Loccenius cit. loc. lib. 4. pag. 111.* sententiam illam refutaturus ait: *Ex hac occasione Albertum* (scil. ob bellum, quod in Margaretham Daniae et Norwegiae Reginam Regio suo fastigio imminentem paraverat,) *praeter Sveciam, quam imperio iam tenebat, etiam Daniam et Norwegiam armis subigendi animo, tribus coronis pro Insigni Regni Sveciae primum usum esse, quidam Scriptores perperam opinantur: quum illud dicti Regni Insigne vetus sit, post alios Reges,* iam ab Erico Sancti cognomine et Magno Birgeri, *dudum ante Alberti aetatem, usurpatum, uti claris documentis, quae adhuc*

Digitized by Google

exſtant, *probare datur.* Ecquis denique ex ſolo eo, quod animo tantum conceperit Albertus duo adhuc regna ſubigere, Inſignia orti fuiſſe facile crediderit? Sane ſi Rex Albertus Danis aegre facere hoc modo voluiſſet, Danica haud dubie vel Norvegica adhibuiſſet Inſignia, non Svecica illa, tres ſcil. coronas, quorum ius illi per Regiam dignitatem iam antea competebat.

§. VI. Ceterum *Tres Coronas* (verbis uti fas fuerit *Loccenii Antiqq. Sveo-Goth. l. 2. c. 9. p. 58.*) *eſſe vetus Inſigne Regni et Regum Sveciae*, *ex antiquo Saxo* Moraſteen, cui inciſae ſunt, *ex antiquis Numis et Sigillis diverſorum Sveciae Regum*, *e Tabula ad S. Erici ſepulchrum ſuſpenſa*, *aliisque monumentis evidenter liquet.* Vti autem libenter largiar, trium harum coronarum uſum in Regno Sveciae fuiſſe perantiquum, ita optandum eſſet, ut et numi, et ſigilla, et alia monumenta, ad quae *Loccenius* h. l. provocavit, vel aeri inciſa, vel ſpecialius deſcripta conſpici daretur: quae tamen hodie aeri inciſa in XVI. paginis exhibet *Scheffe-rus de Antiquis Regni Sveciae Inſignibus*, ad calcem libri.

§. VII. De antiquo interim Saxo *Moraſteen* notandum eſſe cenſeo, per eum nihil aliud, quam *lapidem in loco herba erica abundante poſitum* intelligi: *Mora* enim ſecundum quosdam Autores, Scoticum vocabulum, idem eſt ac Erica, herba vel fruticulus humilis, quae in ericeto

Digitized by Google

riceto incensa, et brevi reviviscens, teneris gnis pascendis alimentum praebere solet: Et Steen lapidem vel saxum designat. *Germani* ultiores dicerent, ein Stein, so auf einem Heidenfeld steht oder gesetzt ist. Nimirum in ampo erica referto non procul ab Vpsalia Sveiae urbe, praegrande et eminens aliquod muco obductum Saxum conspicitur, *Morasteen* vulgo appellatum, circumpositis XII. lapidibus t minoribus et depressioribus, tot Provincias Regni extantiores, notantibus spectabile. In iac planitie olim Regem electuri Senatores conveniebant, electumque Saxo illi eminentiori npositum praesenti populo conspiciendum exibebant, indeque in templum Vpsaliense deuctum Corona Regia redimiebant.

§. VIII. Quae mens *Scheffero* fuerit circa *pidis huius investigationem et coronarum origiationem*, non aliunde melius, quam ex libro ius *de antiq. Regni Svec. Insign.* constare post, ibi enim *pag.* 96 *et* 97. verba protulit qq. Lapidem vetustum prorsus esse, nulla uidem docet inscriptio, qua est destitutus nni, ipsa tamen operis ruditas et sculpturae ecies ostendit. Quo autem fine ibi collocas ipse fuerit, dicat mihi quispiam, nisi eo, per ipsum appareret, cuius Regni eligendus x esset, aut qui electus fuerit, Rex foret urus. Porro nullius alterius regni Rex apud n lapidem eligebatur, nisi Svetici, neque ius credebatur esse, nisi ad eum lapidem ctus. *Ericus Olai*: Constituta est sedes et

 solium

solium apud Vpsalam cum decreto perpetuo sic manendi, ut non sit habendus pro Rege, qui non fuerit apud Vpsalam sublimatus, unde et Morasteen locus est ab antiquo delectus. Per Morasteen eum lapidem intelligit, de quo loquimur: significat enim ea vox *Lapidem Moreum*, ut sic dicam, i. e. *illum, qui sit collocatus in prato* Mora *dicto*. Quia igitur Reges Sveciae ad Morasteen seu lapidem praedictum eligi debebant, idcirco ei sunt insculptae tres coronae, tanquam Insigne Regni, quod essent accepturi. Deinde *pag.* 179. legas licet haecce: Lapis ab hominibus nequam ante annos non ita multos fractus est, qui prius fuit integer, sed tamen ita fractus, ut coronae tres, et earum dispositio manifestissime apparent. Coniicio hoc autem ex eo lapide, quoniam non dubito, quin sit eo loco positus, cum primum constituta est electio solennis Regum apud Morasteen. Eccur enim eligi ad Morasteen diceretur, nisi lapis ille ibi fuisset collocatus. Locus autem ille dictus ita a Lapide, ut ipsum ostendit vocabulum: nam Steen lapidem significat, qui quia positus est in virenti lateque patenti prato, passim tamen uliginoso, quod ex eo Mora est vocatum, inde nomen totum impositum lapidi, ac Morasteen est dictus, quasi qui in dicto prato habeat suum locum. Ceterum *electionis illius initia coepisse temporibus Stenkilli Regis*, qui proxime vixit post *Haquinum Rufum circa A. Chr. MLIX.* coniecturas secutus minime contemnendas dixi olim *Vpsaliae meae cap.* 17. neque nunc ab ea sententia discedo.

Digitized by Google

ſcedo. *Vnde patet*, *ſculpta* Moraſteen *Inſignia non ita longe*, *poſt quam in Svecia coepta uſurpari*. Speciem autem huius lapidis, quam is hodierna adhuc die habet, *Schefferus* manu ſua delineatam, in fine *cit. loc. figura XLIII.* aeri inciſam exhibuit.

§. VIIII. *Aliorum iuxta Autorum conjecturas* dicendum foret, per Moraſteen Lapidem eſſe intelligendum in meditullio, ſive centro Regni Sveciae ſitum: quippe quod non tantum Vpſaliam in centro Sveciae ſitam urbem eſſe plurimorum Geographorum ſententia eſt, ſed etiam haud inconveniens fuiſſe videtur, Regem in meditullio Regni eligi. Sane *Ioh. Loccen. hiſt. Svecan. lib.* 1. *p.* 30. Ad dignitatem, atque uſum Regni (Sveeici) pertinere exiſtimabant, Rex (Ingo I.) et cives, ibi (Vpſaliae) caput Regni reſidere, ubi tunc praecipuum Religionis (etſi paganae) hoſpitium et domus erat: ubi eius curam in propinquo haberet, et ſua praeſentia Orbi Arctoo venerabiliorem atque conſpectiorem faceret urbem, et *ut in medio Regni Sedes Regia eſſet*, ubi melius et commodius conventus de Regni negotiis haberi poſſent.

§. X. Nonnulli originem harum coronarum ad A. M. 3340. ſive 600. circiter annos ante Chriſtum natum referentes, *Ingonem*, inquiunt, primum huius nominis Sveciae Regem, ſub dio, in prati Moradng lapide Moraſteen creatum eſſe. Sed uti nullo prorſus haec ipſa aſſertio munita eſt documento, ita inſignia trium co-

Digitized by Google

ronarum eidem insculpta aetatem talem sustinere posse, haud credo quispiam persuaderi sibi patietur.

§. XI. Antiquitate igitur insigni Insignia haec gaudere licet nemo facile negatum iverit, in tot tamen retro annos eam coniiciendam esse, rationem videre hactenus nondum potui ullam: ut taceam, seculum aliquod certo definiri non posse, a quo initium tres coronas in Sveciae Insignibus adhibendi derivaretur. Interea tamen notari queunt, quae *Schefferus dict. loc. in dedicat. ad Reg.* de aetate harum coronarum memoriae prodidit: *Maiores Tui iam inde a sex seculis et amplius usurpatas* (tres coronas) *ad Te transmiserunt integras.* Alias vero eodem *Scheffero de Svec. Insignib.* teste *pag.* 127 *et* 139. *neque mirum, nihil certi hac de re nos posse prodere, cum nullus sit ex cunctis ceteris Europae populis, qui hoc queat. Non Galli, non Angli, ac ne ipsi quidem Imperatores Germanici certo possunt docere, quando et a quo Insignia ipsorum primum fuerint usurpata. Verum itaque auctorem, a quo primum usurpari coeptae* (tres coronae) *ac in publicos Regni usus traditae fuerint, non nos magis possumus ostendere, quam gens ulla alia ex Europaeis, si non somnia et nugas, sed certa sequi velit atque fide digna monumenta. Imo hoc ipsum est argumentum rei sat antiquae, quoniam illius auctor dici nequit a nobis. Nam quae pauca ante secula sunt instituta, eorum aliquam tamen factam mentionem deprehendimus, si non ab uno scriptore, saltem ab altero.*

At

Digitized by Google

At quae plane sunt vetusta, et paganicis praesertim gesta temporibus, ea ignorantur pleraque partim ob incuriam illorum seculorum, partim ob scribendi insciti am.

CAPVT III.

De Significatione earundem Coronarum.

§. I.

Quam ob causſam tres istae coronae assumtae fuerint, et quam eaedem significationem olim obtinuerint, dictu tanto difficilius est, quanto magis primi illarum inventoris nomen est occultatum. Equidem varias variorum Autorum hoc ipsum circa argumentum versantium sententias reperiri nemo negaverit, in quam autem praecipue eundum sit, ecquis certo affirmaverit? Sufficiat ergo ea heic protulisse, quae hac de re Scriptoribus quibusdam visa sunt quam maxime probabilia.

§. II. *Olaus Magnus in histor. gentium Septentrional. lib. 2. c. 25.* Svecorum, ait, Principes tribus aureis coronis in campo coelestini coloris utuntur, ob inscrutabilem dominiorum amplitudinem, magnifica bellorum gesta, et inexhaustam minerarum ubertatem. Quam causſarum trigam *Becmanus notic. Dignit. Illustr. diss. 6. cap. 3. §. 9.* verbis paulo mutatis, ex eodem Olao produxit h. m. *Causam et sensum Olaus M. dominiorum amplitudinem, egregia militiae* (domi) *forisque gesta, et metallorum ubertatem esse statuit, lib. 2. Rer. Septentrion.* At vero qua ratione vel autoritate pro-

Digitized by Google

probari poteſt, coronarum figuras unquam uſurpatas fuiſſe ad dominiorum, bellorum et minerarum faciendam adumbrationem, aut declarationem? Sane *in explicatione iſta*, verba ſunt *Scheſferi cit. loc. pag.* 141. neſcio qui ſatis commode diſtinguantur duo prima membra, quoniam fere amplitudo dominiorum eſt ex bellis, et ubi bello res geruntur praeclare, ibi fere eſt dominiorum quoque amplitudo: ſaltem apud veteres rem aliter ſe habuiſſe vix reperias. Deinde ut Coronae poſſint explicari de Dominiorum amplitudine, quaſi plura indicent regna, item rebus geſtis, quaſi ornamenta ſignificent aliis erepta, quomodo et Spelmannum vidimus dixiſſe de Arthuro, quod tribuerint ei *Clypeum, ſubactorum Regum Coronis (ut in perpetuum triumphum ducerentur) praefulgentem*; tamen quomodo ad ubertatem minerarum referantur, fateor me non diſpicere. Coronas ſignificare metallum, mihi quidem hactenus apud neminem eſt obſervatum, omnium vero minime, ferri atque aeris, quibus potiſſimum Svecia abundat.

§. III. *Ioh. Meſſenius in Speculo Sveonum cap.* 12. Inſignia, inquit, Regum Vpſalium ſeu Svecicorum ab antiquiſſimo mundi tempore in hodiernum usque diem extiterunt ſemper terna auri diademata, idque hac potiſſimum de cauſa, quod Vpſaliae primarius Deorum adminiſtraretur cultus, praecipuum Maieſtatis Regiae diverſorium, et ſupremum Iudicii forum frequentaretur. *Idem in Theatro Nobilitat. Sveo. paraphr. cap.* 3. *pag.* 110. Sveones a primordio

Digitized by Google

dio Regni ſui, pro inſignibus, tribus perpetuo uſi diadematibus, Moderatores ſuos, non Sveciae, ſed Vpſaliae Reges compellantes: idque hac potiſſimum de cauſſa, quod cum Rex Vpſaliensis primarius foret Regum omnium Borealium, reliquis ab illo ſuas ditiones ſub feudo poſſidentibus, Vpſaliaeque ſummus Deorum cultus, ſummum iuſtitiae adminiſtrandae forum, et ſummum Regnorum Aquilonarium faſtigium regale, ab omnibus frequentarentur et colerentur, hanc triplicem prae reliquis praerogativam, maieſtatemque triplici diademate Sveones demonſtrare nitebantur. Tantum autem abeſt, ut praeter ſolium Regium, quod coronae ſpecie haud raro exprimitur, cultus quoque divinus et iudicii forum diſtinctis coronis ſignificetur, ut potius dicendum ſit, unicam Coronam pro iis omnibus, quae a Maieſtate fluunt Regia, ſuffeciſſe.

§. IIII. *Iohannes Buraeus in MS.* quodam, cuius titulus eſt *Adulruna Rediviva*, Suetico ſermone propoſita, exiſtimavit, illum, qui primus coloniam duxit in Sueciam, aut ſaltem illum, qui ab eo fuit proximus, totam ſuam multitudinem in tres diviſiſſe partes, ſingulisque iis Coronam dediſſe, et poſtremo tres iſtas Coronas in Regni Inſignibus iunxiſſe, ut conſtaret omni tempore, ex tribus hiſce partibus totam Sueciam eſſe cultam atque occupatam. Verba *Buraei*, prout ea *Schefferus ſaepe cit. loc. pag.* 147. ex Suetica lingua in Latinam convertit, ſe habent h. m. *Rex illorum temporum*,

rum, aut paulo post secutorum, quam primum in has terras cum populo suo venisset, non solum Regnum suum in tres divisit partes (quarum prima Tiundia *decem centuriarum, ex decem centuriis, quas nunc vocamus* Hereden, *et mille familiis seu domibus circa Vpsaliam quod nunc* Rumbaland *vocatur ab iis, qui vicinas incolunt sylvas.* Secunda Attundia *octo centuriarum, orientem versus ad mare, quae et* Rodslager *dicitur, ab* Ro *et* Röda, *quod sit tanquam limes versus meridiem et Sudermanniam, lacumque Melerum, habebatque olim legem peculiarem, quae* Roderätt *appellabatur.* Tertia erat Fiedrundia, *centuriarum* 4, *occidentem versus ab* Oerfundzbro *usque ad* Ostensbro, *deinde ad* Kolebäck *fluvium*) *sed et quamlibet partem, consilia suorum civium, honoravit corona sua, ita ut totius Suidiodae aut Sueciae Insignia essent in perpetuum tres Coronae.* Belle quidem se haec habent inventa, sed unde ea transsumta, vel qua veritate prolata sint, non satis est in propatulo. Vnde enim constat de Coronis illis singulis, singulis tributis partibus? quis eas pro Insignibus ullas esse Coronis dixit unquam vel cogitavit? cur Regis illorum temporum nomen est omissum? Sane speciosas quidem Bureanas has esse coniecturas negare non possum, id tamen quod debebant, eas etiam conficere, quis quaeso probatum dederit?

§. V. *Iohannes Schefferus in libro multoties iam commemorato, de antiquis Regni Sveciae Insignibus pag.* 156. in ea versatur opinione, tres

tres haſce coronas a tribus Diis Vpſaliae cultis originem ſuam traxiſſe, quam etiam ſuam opinionem fuſius expoſuit verbis ſeqq. Ipſe (ſcil. *Rex Sueciae Freius*) curabat aedificare templum ingens Deorum Vpſaliae, eique dedicabat omnes opes ſuas, cum praediis et bonis mobilibus, atque ita primum orta ſunt bona Vpſalienſia. Iam templum illud Deorum tria numero continebat Numina, per Septentrionem totum maxime celebrata, *Thorum*, *Odinum et Friggam*, ad quae proinde proprietas et dominium dictorum bonorum ſpectabat. Quae quoniam numero erant tria, inde credo factum, ut a primo Regni Inſignium conditore, tres in clypeo collocarentur Coronae. Nimirum hae Coronae tres, ſignificare debebant tria iſta Numina, a quorum Bonis Reges Vpſalienſes titulum nomenque ſuum habebant. Vt ſic Reges Vpſalienſes eſſent Reges quaſi trium Deorum, quia Reges illorum Bonorum, quorum proprietas ſpectabat ad tres iſtos Deos, uſusfructus vero ad Reges. Equidem et hanc Coronarum ſignificationem ſatis accommodate excogitatam eſſe libens largior; an vero Rex eam excogitaverit, haud facile credo probabitur: quid quod Deorum quidem templum aliquod Vpſaliae aedificatum credi poteſt, tribus autem et non pluribus id fuiſſe dedicatum, quis aſſeruerit? quin etiam, ut alia nunc brevitatis cauſa taceam, ſi in memoriam vel honorem trium Numinum Svecica Inſignia eſſent excogitata, non tam ſimplices Coronae, quam vel capita coronis redimita vel integrae Deorum effigies in iisdem conſpicerentur.

§. VI.

Digitized by Google

§. VI. Qui regna Svecicum, Gothicum et Finnonicum, vel nonnunquam etiam loco Finnonici Vandalicum tribus Coronis significari contendunt, ii plerumque ad S. Ericum Sveciae Regem confugientes, dicere solent, eum post trium istorum regnorum possessionem, tres coronas, ceu notas trium regnorum, Insignium loco adhibere incepisse. Sed cum temporibus ante dictum illum S. Ericum iam tres coronae Sveciae Regibus in usu pro Insigni fuisse ex numis Ragvaldi Regis elucet, qui S. Ericus earum auctor constituetur? Praeterea tribus eiusmodi regnis figura aliqua exprimendis, quis Coronas, omissis propriis regnorum Insignibus, Reges usurpare voluisse, crediderit? Et posito etiam Coronarum eum ob finem usu: sane praeter tres Coronas plures aliae in Insignia recipi debuissent, tanquam indices, Regnorum, licet minorum, a Regibus Sveciae possessorum: notissimum enim est, non sola maiora, sed minora quoque Regna coronis designari.

§. VII. Nonnulli Autores hanc in Insignibus Svedicis Coronarum tridem ita interpretantur: Constare scilicet ex Sacra Historia tres Reges triplicia munera, nempe aurum, thus et myrrham recens nato Iesu obtuliisse, in memoriam igitur horum Regum, Iesum muneribus suis colentium, Reges Sveciae ad fidem Iesu conversos, reverentiam et pietatem suam erga Iesum testari voluisse. Praeterquam vero quod nondum liquido probatum est, Magos illos munera Christo offerentes et tres et Reges fuisse,

Digitized by Google

fuisse, profecto longe etiam ante Evangelium Christi in Svecia praedicatum Coronarum usum in Sveciae Insignibus viguisse, haud paucorum est opinio. Vt iam nihil dicam de ratione adducta, quippe quae Coronas Maiestatis notas in reverentiae et pietatis signa convertit.

§. VIII. Interea pro Capitis huius complemento non abs re fuerit ea heic afferre, quae *Schefferus d. l.* sequenti verborum nexu proposuit: *Quod modo a me dictum est de origine Coronarum trium, idem vereor, ne et dicendum sit de significatione earundem*, esse illam incertam plane atque dubiam. *Equidem si Sueci alios sunt imitati, quomodo paulo ante Danos feciſſe ostendimus, fortasse non ab illis sed ab istis interpretatio petenda. Quamquam cum et ipsi causas habuerint haud dubie, cur Coronas potius, quam Lilia et Leones, vel quid aliud ab aliis acciperent, apud Suecos quoque certam et peculiarem aliquam habuerint significationem. Quae tamen ignoratur hodie, non aliam ob causam magis, quam quia primus ignoratur Autor, qui eam mente sua est complexus, ac fortassis nunquam publicavit.*

CAPVT IV.

De Ordine, Situ, Posituque Coronarum.

§. I.

Tres Sueciae Coronas, non unum eundemque in Insignibus situm, a prima statim sua origine, in hunc usque diem perpetuo obtinuisse,

ex Sigillorum, Numorum, Saxorum, Picturarum, et aliarum rerum Coronas haſce exhibentium inſpectione ſatis ſuperque manifeſtum evadit. Atque ut de iſta ſitus varietate nonnihil amplius conſtare queat, unius ſaltem alteriusque Coronarum poſitus heic lubet meminiſſe.

§. 11. Primus omnium earum poſitus videtur ſimpliciter cum ipſa rei natura conveniſſe: Clypeus enim cum tres quaſi habeat angulos, cuilibet Coronam apponi, neque indecens fuerit, neque incongruum aut inconcinnum. Duae igitur Coronae in ſuperiori clypei parte, una in inferiori collocabantur, eo prorſus modo, quo hac etiam aetate easdem videre licet collocatas; Nimirum *communiſſimo modo* (iudice Nicol. Vptono de Militari Officio lib. 4. p. 253.) *talia tria ſigna* (ſcil. Coronae) *portantur in Armis, videlicet in angulis ſcutorum. Et tunc non oportet dicere, quod ipſa tria ſigna portantur in Angulis ſcutorum, quia eſt modus portandi tria ſigna communiſſimus et famoſus. Dicendum eſt igitur, quod talis dominus* portat de Azorio et tres Coronas aureas, *non exprimendo loca.* Et gallice ſic, *Il port d' aſore et trois corones d' or.* Adſtipulatur *Iohannes de Bado Aureo in Tractat. de Armis fol.* 43. *Nota*, inquiens, *quod ſi ipſae tres coronae ponantur triangulatim in ſcuto, ut heic,* (ſcil. in campo argenteo tres coronae rubrae, duae ſupra, una infra in margine folii delineatae) *non eſt dubium, quin ſufficiat iſto modo dicere gallice,* Il port d' argent trois corones de goulis. Proinde, ubicunque triangularis eiusmodi coronarum ſitus in ſcuto conſpicitur, tres tantum

tantum nominentur coronae; nulla prorsus vel anguli, vel modi, quo eae collocatae sint; facta mentione; quippe quod simplex trium coronarum in scuto positus nominatus; iam inferat triangularem talem figuram:

§. III. Et quidem iste coronarum situs hodie adhuc in lapide Mortasteen observatur; qui uti non longe post, quam in Suecia trium coronarum Insignia usurpari coepta sunt, creditur fuisse erectus, ita prima etiam Regni Sueciae Insignia tali coronarum positu adumbrata inde petenda esse, nonnulli Autores haud abs re arbitrantur:

§. IIII. Diversam ab ista coronarum collocationem cernere datur in Chronico, (ut alia nunc taceam loca,) *Episcoporum Lincopensium Olai Laurentii*, in cuius libri calce tres Coronae, una quidem in superiore, reliquae duae in inferiore clypei parte; cum subscriptione: *Arma Regni Suetie*; aeri sunt incisae. Quae vero non diu eundem situm retinuerunt, et privato magis quam publico nomine videtur esse introductus. Sunt tamen, qui publico etiam nomine hunc situm obtinuisse velint, dicentes; Coronam in summo positam Sueciae Regnum; duas vero inferius collocatas Vpsalense atque Gothicum, repraesentasse; ut nempe tali situ ostenderetur; Sueciae Regnum summo esse loco, sibique duo adhuc regna coniuncta et subiecta habere:

§. V. In numis quibusdam rotundis, iisque antiquioribus, tres hasce Coronas triquetri forma videas delineatas, extremitatibus earum trianguli aequilateri speciem positu suo exhibentibus, et mutuo se quasi subtendentibus. Quae ipsa ordinatio plurimum a priori duplici situ differt: primo enim coronae erant positae, duae in superiore scuti parte aliquo spatio in recta linea ab invicem distantes, et una in parte inferiore, summitate sua versus spatium illud interlineare triangularem figuram conficiente, ita quidem, ut duae coronae in recta linea ab invicem dissitae vicem sustineant baseos, unica autem duabus subiecta trianguli absolvat culmen: deinde in superiore clypei parte unica erat corona expressa, summitate sua ad summitatem clypei directa, ceteris duabus in recta linea ab invicem distantibus ei subiectis, et summitate sua in unicam illam porrectis, basin quasi absolventibus trianguli.

§. VI. Praeter istos coronarum positus, *tres* etiam *coronas palatas* S. Erico Sueciae Regi tributas reperio, sic quidem dispositas, ut una incumbat alteri, et per medium scutum perpendiculariter, a summo ad imum descendant. Quia, *inquiente Nic. Vptono loc. cit. pag.* 252. aliquando illa tria signa (scil. coronae) ponuntur in scuto ad modum pali, et tunc vocantur signa palata, ut hic. (scil. aeri incisa trium coronarum figura in margine appositа.) Et qui habet ista Arma, *portat tres cororas de auro palatas in campo asorio.* Et gallice sic, *Il port d' asor*

Digitized by Google

aſor et trois corones d' or paleiz. Quapropter vox (*palatus*) in exprimendo hoc coronarum ſitu, omitti nequit: quid enim, ait *Io. de Bado aureo loc. cit. pag.* 43. ſi ponantur coronae palatim, nunquid ſufficit dicere, quod talis portat tres coronas de auro in campo rubeo? dic quod non; nam ex hoc pictor vel aliquis audiens non reportabit ſufficientem eruditionem. Sed ſic eſt dicendum, videlicet quod talis portat tres coronas ad modum pali.

§. VII. *Barratas* Reges Sueciae in ſcutis portaſſe *coronas*, licet ex aliquo forte monumento probari poſſit, tamen Artificis potius aberratio, quam genuina expreſſio cenſenda erit Alias vero de armis illis, in quibus ponuntur tres coronae in diametrali linea, dicitur, ea tria ſigna habere barrata. *Is enim*, *Vptoni* iterum *l. c.* teſtimonio, *qui iſta arma poſſidet, portat tres coronas aureas barratas in campo aſorio.* Gallice: *Il port d' aſor et trois corones barres d' or.* *Conf. Iob. de Bado aureo d. l.*

§. VIII. Seculo poſt C. N. *decimo quarto*, Albertus Sueciae Rex, duas quidem ſuperne coronas in clypeo ſuo, et unam inferne more antiquitus recepto, collocari feciſſe legitur, numos tamen etiam eo ipſo regnante cuſos fuiſſe ſcribitur, in quibus non modo coronas ſuperiores duas collocari fecit inclinatas ad latera, ſed et unam inferiorem tantam eſſe voluit, ut duas alteras aequaret, ac velut comprehenderet.

Digitized by Google

§. VIIII. Secuta Albertum eſt *Margareta cum Erico Pomerano*: qui et ipſi Coronas ſuperiores duas non erectas, verum inclinatas verſus clypei angulos, inferiorem autem non maiorem eis, ſed aequalem pingi curarunt. Quam ob cauſam id factum fuerit, vix aliquis coniectura aſſequetur: quod enim, iuxta quorundam opinionem, ob Margaretae victorias ab Alberto reportatas, et iisdem aditu ſibi ad Regnum Sueciae parato, talis coronarum ſeries emerſerit, ratione videtur carere firmiore. Haudquaquam tamen diu ſervatas fuiſſe inclinatas coronas, vel ſolum Regni Sueciae ſigillum, aetate Erici Pomerani uſurpari coeptum, docuerit, in quo S. Ericus caelatus conſpicitur, clypeum tenens cum tribus antiqua ratione poſitis coronis.

§. X. Situs trium coronarum, qui in quibusdam Magni Regis, Birgeri F. numis, circa Leonem fluvios transſilientem deprehenditur, non differt aliter ab eo coronarum ordine, qui paulo ante *in §. 4.* propoſitus eſt, quam ſolius Leonis in pedes erecti ſigno, intra ſpatium trium coronarum collocato: Coronis nempe inferne duabus, ſuperne unica deſcriptis.

§. XI. Cum eodem ſitu convenire quis dixerit illum, quem *Ingo IV.* Sueciae Rex dicitur obſervaſſe, is enim ſcutulo medio ſeu gentili tres Coronas ita appoſuit, ut una ſcutulo immineret, duae autem a latere illud ſtiparent.

§. XII. *Ver-*

Digitized by Google

§. XII. *Virgilius Solis in libello, cui titulus est* Wappenbuch, *Norimbergae A.* 1555. edito, inter plura aeri incisa Insignia, Regni etiam Sueciae exhibuit, hoc quidem schemate, vt in scuto Leo rubeus fluvios transsiliens, anteriore suo pede parmulam teneat tribus coronis hodierno situ, sed dextram versus oblique positis insignem, superne vero Galeae coronatae navis imposita sit, malo ex medio surgente coronata, cuius appensum volans velum tres itidem, sed sinistram versus oblique positas continet coronas.

§. XIII. *Hodiernum Regni Sueciae Scutum* quadripertitum est, cuius area prima et quarta caeruleis ternas coronas aureas; secunda et tertia aureis (quas tamen terni fluvii caerulei ex sinistra parte dextrorsum fluentes distinguunt,) Leones singulos rubeos coronatos refert. *Brianvill. jeu d' arm. p.* 125. Leonem auro, Coronam minio tingit.) Alicubi partitio ea scuti facta est mediante cruce plana: an vero ista singulare quippiam notetur, vel an sculptoris phantasiae illa adscribenda sit, non facile dixerim. Certe crucem hanc *non tam significativum, quam distinctivum quid esse*, *Olaus Wexionius*, *Smolandia Suedus*, per literas *A.* 1635. *Theodoro Hoepingio* communicavit, quarum partem ad uberiorem quaestionis huius illustrationem facientem, cum in eiusdem *Tractat. de Iure Insignium, cap. 6. num.* 526. *et* 527. legere liceat, non inconveniens erit, inde excerptam heic quoque exhibere: Qui idem (scil.

Digitized by Google

Wexionius) ea, quae de Cruce in Clypei Danici medio existente, huc (scil. ad Insignia Suecica) ut trahantur, non admittit, et propterea ita pergit: *Ad quaestionem porro de Insignibus Regum Sueco-Gothicorum quod attinet, Crucem inprimis non esse huc, meo iudicio, significativum quid, sed saltem distinctivum, quod reliqua ab invicem separet et dividat signa, ut luculentius ex Insignibus Holmiae impressis apparere potest, autumo.*

§. XIIII. Qui post *Christinam* solium conscendit *Carolus Gustavus*, Rex Glorioſiſſimus, eiusque Filius, qui nunc sceptrum gerit, *Carolus XI.* Scuti illius quadripertiti medio Palatinam insuper Peltam imposuerunt quadripertitam, ex Bavarico, Iuliacensi, Clivio et Montensi symbolis constantem, cuius quadraturae media iterum incumbit Palatino Leone insignis parmula.

§. XV. Errorem illos committere Artifices putarim, qui in Sueciae Insignibus quocunque modo delineandis, *non tam trigam, quam bigam coronarum*, in prima aeque ac in quarta simul scuti area, vel saltem alterutra adumbrare solent, tertia corona seu in prima area sub dextro, seu in quarta sub sinistro Peltae Palatinae latere abscondita et delitescente, vel tantum quoad aliquam, nunc mediam, nunc minorem etiam sui partem, prominente. Nae uti gentiles tesseras Regni inserere Insignibus, aequum semper fuit et glorioſum, ita iisdem signa Regni Insignium

signium essentialia obscurare vel prorsus obliterare, iniquum et animadversione dignum.

§. XVI. Denique nil vero similius, uti *Shefferus l. c.* arbitratur, quam Reges Sueciae, quoties proponi vellent tres coronas, sive in numis, sive in sigillis, sive alibi, in eis collocandis illam obseruasse rationem, quam *Olaus* Skauta Konung, *al.* Skaut Konung, *al.* Skotkonung instituit, et *Magnus* Ladulås, *al.* Ladulåås deinde retinuit. Nisi quod *Olai* duae coronae positae ad latera essent inclinatae, *Magni* vero rectae sursumque spectantes omnes. *Albertus* autem Rex circa *annum* 1363. veterem reduxit consuetudinem, et *in clypeo suo Coronas duas superne, inferne vero unam collocari fecit:* quam etiam consuetudinem in hunc usque diem durare videmus.

CAPVT V.

De usu trium Coronarum apud alias gentes.

§. I.

Praeter peculiarem usum, quo tres coronae in Regni Sueciae Insignibus funguntur, alibi etiam locorum gentiumque tres coronas fuisse usurpatas, nemo credo tam hospes in Historia erit, qui negare prorsus audeat. Tantum tamen abest, ut eo ipso usu Regni Sueciae iuribus quidpiam derogatum sit, ut potius iis salvis manentibus, vel certa limitationum formula, eum ipsum restrinxerit, vel evidens commenti vanitas exploserit, vel diuturnior temporis vetustas prorsus consumserit.

§. II. *Belinus* Britonum Rex, Dunwallonis Britonum Regis filius, *tres coronas* in ſuis portavit inſignibus, duabus quidem *coronis aureis ſuperne, et una inferne in ſcuto caeruleo* collocatis. Qua de re iuvabit audire *Vptonum de militari officio lib. 4. pag. 127.* diſſerentem h. m. *Belinus poſtquam conquiſivit totum regnum* Franciae, Almaniam, totam Italiam, et civitatem Romanam, tunc Conſulibus ibidem Sabino et Porcenna. *Qui Belinus poſtea, ut dicunt Chronicae*, totam Graeciam occupavit: *veniensque in Angliam nova Arma ſibi aſſumſit, et portavit* tres coronas aureas in campo azorio, *quia ipſe fuerat trina vice, et in diverſis Regnis ter coronatus: quae quidem Arma ipſe et ſucceſſores ſui portaverunt usque ad tempora*, Vterpendragon, *qui ipſa arma non dimittens, nova aſſumſit, et portavit.*

§. III. *Galliae Regum Inſignia*, qui *tres coronas* dicto triangulari modo diſpoſitas habuiſſe contendunt, *Lud. Morer.* verbis in *Grand Dictionair. Hiſtor. Tom. 2. fol. 546. col. 1.* extantibus repelli queunt hiſce: *L' opinion qui donne a la France trois Crapaux, ou trois Couronnes pour Armes, eſt fabuleuſe, et n' a point d' autorité.* Quamobrem *Steph. Pasquierus Recherch. de la France*, verbis ex Galliço in Latinum verſis; *Non poſſumus*, ait, *coniicere, unde haec opinionum diverſitas* (circa Galliae Inſignia) *invaluerit, niſi quod Autores, qui ante nos, media aetate, Regum noſtrorum res ſcripſerunt, poſtquam inveniſſent horum nonnullos pro Inſignibus*

bus habuisse, crescentis Lunae tres figuras, alios tres bufones, quod particulare fuerat, generale omnium, totiusque nationis fuisse crediderint, et cum, eorundem Autorum tempore, Insignia facta essent perpetua, ex illis alii putaverint, Gallorum Insignia fuisse tres Coronas alii tres Lunas, alii tres Leones, alii tres Bufones.

§. IIII. In *Daniae* Regio scuto medium occupat novum scutum regium transverse sectum, cuius superior pars bipertita, *Danicum et Norvegicum* exhibet δείγμα, inferior pars *tres coronas*, unionis regnorum signa comprehendit. De tribus hisce coronis in campo caeruleo, Suecos inter et Danos controversia est agitata per annos sexaginta quinque: *origine* eius existente Rege *Christierno III.* qui A. 1548. primus tres coronas inter Daniae, Norvegiae, Provinciarumque ceterarum Insignia usurpare coepit, post cuius mortem *Fridericus II.* filius trium coronarum retinuit usurpationem, sub praetextu, tres coronas Insignia esse tribus Regnis Sueciae, Daniae, Norvegiaeque communia: Sed a Rege Sueciae *Gustavo* interpellati sunt, et per Legatos admoniti, ne Insignia Regni Sueciae propria vellent attingere. Cum autem controversiae istae ob coronas motae in aperta bella erupissent, et ante illarum compositionem vix pax aliqua speranda esset, tandem Rex Sueciae *Gustaphus Adolphus A.* 1613. *d.* 18. *Ianuar.* animum declaravit suum, literis in Bäckered scriptis; ut significaret satis, aegerrime se ferre quod pars adversa propter unicam eam de usu

trium

Digitized by Google

trium coronarum controverſiam, pacem, de qua quoad cetera conventum ſit, inire detrectet. Aegrius adhuc eo ſe venire, ut earum coronarum uſum in Inſignibus cuiquam alii concedat, cum ad ſe unicum ſolumque vero certoque iure, pertineat. Nolle tamen, cum utrinque ſat effuſum ſanguinis ſit humani, ipſeque ut Princeps Chriſtianus, a caedibus abhorreat, unicam hanc rem impedimento eſſe, quo minus concordia revocetur, conſulaturque paci, utrique parti neceſſariae grataeque futurae. Dare igitur ſe veniam Legatis ſuis, ut cum Danis hac de re paciſcantur, qua ratione poſſint optime: hac tamen expreſſa lege, ne quicquid conventum conceſſumve fuerit de trium coronarum uſu, id ullo, quocunque denique modo vergat in detrimentum aliquod ſibi, Regno Sueciae, eius territoriis, ullisve eius iuribus deroget. Atque hoc eſt illud ultimum, quo tandem lis de uſu trium coronarum in Inſignibus inter Reges Sueciae Daniaeque agitata, perducta eſt ad finem. Vid. *Scheffer. de Regni Suec. Inſignib. cap.* 16. *pag.* 237. *ſeqq.* Nimirum *Spenero in Oper. Herald. part. ſpecial. lib.* 2. *cap.* 95. §. 5. inquiente, *In pacificatione* 1613. *utrique Regi ſervatus trium coronarum uſus, ſed ut ob eas Dano praetenſio in Regnum Sueciae nulla eſſet. Vnde easdem coronas videmus adhuc in Danico ſcuto.*

§. V. *Alſatiae* a quibusdam Autoribus antiqua tributa eſſe vidi Inſignia, quae itidem *trigam coronarum aurearum* in ſcuto rubeo diagonali

Digitized by Google

nali baltheo a dextro ad ſiniſtrum, diviſo complectebatur, ita quidem, ut tres coronae ſupra baltheum, et tres ex adverſo, infra eundem, continerentur, ex galea coronata ſcuto impoſita prodibat crux plana aurea, in cuius ſummitate corona pariter aurea, ad quatuor vero crucis angulos totidem coronae, ſimiliter aureae, conſpiciebantur. *Alia adhuc Inſignium Alſaticorum ſpecies* oculis meis obiecta eſt, a priori illa nonnihil differens: Scilicet, ſcutum rubeum tramite aureo dextrorſus oblique diviſum, trigam continebat coronarum aurearum duplicem, unius trigae corona una ſuperne, duabus inferne, Iſoſcelis inſtar, in uno ſpatio per tramitem facto poſitis, alterius trigae coronis in alterio ſcuti ſpatio, eodem ordine collocatis: Galeae coronatae ſcuto incumbenti tabula impoſita erat rubea heptangula, ſingulis angulis pavoninis oculatis pennis ſuperbientibus, et a tertio ad ſeptimum angulum trames aureus dextrorſum oblique exaratus, tabula in duas partes ſecabatur, quarum quaelibet trigam coronarum, eodem, quo in ſcuto ordine diſpoſitam, complectebatur.

§. VI. *Coloniae*, ampliſſimae ad Rhenum urbis, et a *P. Bertio Germaniae Roma* dictae, Inſignia quod attinet, ea in transverſe ſecto ſcuto, inferiorem partem habent argenteam, in ſuperiore autem triadem coronarum aurearum barratim diſpoſitarum, media altius paulo exſurgente, oſtentant, in memoriam quidem, ceu dici ſolet, trium coronatorum Regum Chri-

Christum recens natum adorantium, quorum corpora ibidem in cathedrali S. Petro dicato templo recondita peregrinatoribus solent ostendi mihique etiam triginta circiter ante annos, dono datis quibusdam papyro impressis Regiis figuris et precatiunculis multis malis averruncandis inservientibus; fuere ostensa. Videsis *Disp. meam de Historia trium Magorum Christum adorantium.*

§. VII. Neque heic loci praetereundi erunt *Insignia Regni Babylonici*; quippe quae Scuto constabant caeruleo, in quo tres Coronae aureae delineatae erant, situ cum Coronis in Sueciae Regni Insignibus hodie exprimi solitis prorsus conveniente; immisso singulis iis Elephante aureo quatuor pedibus insistente: *supremam* Scuti partem, non tam Galea; quam Corona quaedam grandior aurea occupabat, radiorum similitudinem, ex veteri instituto; referens, atque ambitu suo gemmas atque uniones continens, *Figuram eiusmodi Insignium Babylonicorum* exhibet *Virgilius Solis* in Wappenbuch, sub tit. die ausländische Königreiche: ubi tamen Corona scuto imposita non sub radiorum, sed pampinorum forma est proposita. *Alias vero Babylonici Columbam*, quod Semiramidis Insigne fuerat, vexillis suis appingebant. Conf. *Vlyss. Aldrovand. Tom. 2. Ornitholog. lib. 15. cap. 1. pag. 459. de Columbis in genere, tit. Ieones*

§. VIII. In *Murcia*, Regno illo, quin Horto Hispaniae amoenissimo, Insignium vicem obtinet,

Digitized by Google

obtinet, Clypeus rubeus, cui duae aurearum coronarum trigae sunt insertae, quarum prima barratim collocata, altera primae statim triangulatim subiecta, moreque hodierno Svecico ordinata; sex coronarum numerum efficit: superiorem Clypei partem, loco Galeae, Corona aurea regia gemmis distincta exornat. *Figuram* videsis apud *Virgil. Solis d. l.* Murciae Regnum, ait, *Theodor. Hoeping. de Iure Insig. cap.* 6. *n.* 487. aeque ac Granatae, a principe civitate Murcia nomen trahens, septem, vel ut ipsa clypei sculpta imago exhibet, sex coronas, quod Alphonsum Regum omnium decus susceperint, Insigne meruit. *Atlas novus Rub.* Granaten.

§. IX. *Coronis aureis tribus* in area rubra iam olim etiam *Norvegiae Reges*, ut et *Arthurum Britanniae Ducem*, (licet quandoque multo pluribus, in campo azureo seminatis seu respersis) *Chassan. in Catalog. glor. mund. l.* 1. *cons.* 38. *concl.* 17 *et* 28. ac *Arioviſtum*, Germanorum in universum Regem, *Aventin. in Chronic. ab initio edit. german.* usos fuisse scribunt. Et quidem Aventinum quod attinet, non tam apertis verbis id innuit, quam potius effigiei, Arioviſti figuram referentis, insculptae sunt tres Coronae, situ tali triangulari, quali hodie in Insignibus Regni Sveciae comparent. Nimirum Arioviſtus galeatus umbilicotenus depictus, dextra nudum ensem; sinistra clypeum gerit, cui *tres illas coronas*, dicto situ insculptas videre licet: Huic effigiei rhythmi subiecti sunt germanici, Arioviſtianum vitae curri-

curriculum exprimentes, quorum initium duntaxat, ut de reliquorum simplicitate candoreque eo melius iudicari queat, heic legendum esse censui:

Arioviſtus der Ehrenveſt,
War ſeiner Zeit der allerbeſt,
Mit groſſen Ehren trug die Kron
Uber gantz teuſche *Nation*, *etc.*

§. X. *Tres* Germanorum Imperatorum communi omnium conſenſu fuiſſe *Coronas*, *Ferream*, *Argenteam et Auream*, *Hoepingius dict. Tractat. cap.* 2. *n.* 771. pluribus adductis Autoribus probatum dare ſategit. *Coronatio* enim Imperatorum *Io. Palatio lib.* 1. *Aquil. inter Lilia cap.* 5. *n.* 30 *et* 31. perhibente, olim *triplex* erat, *Germanica*, quae Aquisgrani ab Archiepiſcopo Colonienſi, et dicitur *Ferrea*: *Lombardica*, quae Mediolani ab Archipraeſule Mediolanenſi, et eſt *Argentea*: *Aurea*, Romana eſt, quae ab ipſo Papa Romae fieri conſuevit. Sed iam a longo tempore duas ultimas coronationes Imperatores neglexerunt. Rudolphus I. Maximilianus I. Ferdinandus I. Maximilianus II. Rudolphus II. Matthias, Ferdinandus II. Ferdinandus III. Leopoldus I. hodiernus ac glorioſiſſimus Imperator, Anteceſſorum inhaerendo veſtigiis, ſine controverſia, Auguſto titulo adminiſtrat Imperium, nec unquam Italiam inviſere. Sola Germanica coronatio in uſu eſt. *Cauſa triplicis huius coronationis* olim reddi ſolebat *quadruplex*: 1) quod ad ſimilitudinem

Digitized by Google

dinem Reipubl. Roman. quae triplici lustro, primo scil. auro, secundo argento, et tertio aere honorabatur, Romani quoque Imperatores triplici ex triplici distincta materia constante corona debuerint honorari, 2) quod Imperatores trium partium mundi h. e. Europae, Asiae et Africae Domini, tribus debuerint insigniri coronis, 3) quod ad similitudinem Coronationis Christi, *corona ferrea* sub imagine Zedechiae *Reg. lib. argentea* Zachar. 6, 11. *aurea* Apocal. 14, 14. redimiti, Imperatores gestare debuerint tres coronas, 4) quod iuxta *Pontificale tit. de Coronis*, Aquisgranensis Corona Regni Germanici, Modoecensis Longobardici seu Italici, et Romana Romani Imperii signum fuerit. Quid tamen de his rationibus sentiendum sit, videsis apud *Hoeping. d. l.* Etsi vero trinis in locis Imperatores fuerint coronati, nullibi tamen reperietur, eos, ob triplicem talem coronationem, trigam coronarum in Insignibus gestasse uti quidem de *Belino* Angliae Rege paulo ante §. 2. commemoratum est.

§. XI. Pontificis Romani Diadema *ternis* distinctum est *Coronis*, parteque summa in rotunditatem clausa, gemmis undique fulget lucidissimis, vid. *Thulden. ad A. MDCLV.* Hac turrita Tiara, triplici corona cincta, et *Regnum Mundi* vocata, *Vrbanus V. Pont. Rom.* primum usus fuit, ut tres coronas Imperatoris una eademque imitaretur, atque potestatem suam in Ecclesiam Vniversalem, tam Militantem, quam Tolerantem et Triumphan-

tem adumbraret, Taceo rationes alias, quae videri queunt tum apud *Corn. a Lap. in Zach.* 6. tum apud *Paschal. de Coron. l.* 9. *c.* 14. Atque trigam hanc coronarum Pontifices Romani scuto suo gentilitio plerumque solent imponere.

§. XII. Sed diutius ut argumento huic immorer, neque nunc vacat, neque praefixus philyrarum quaternio permittit. Quamobrem plura *de tribus Sveciae coronis* nosse cupienti, satisfacient, ceu spero, 1) *Ioh. Schefferus Argentoratensis*, qui de antiquis verisque Regni Sveciae Insignibus, Librum singularem edidit Holmiae, excus. An. 1678. in 4. 2) *Ioh. Messenius*, qui peculiari tractatu tria ista Regni Sveciae diademata descripsit, teste *Spener. Oper. Herald. part. special. lib.* 2. *cap.* 95. *pag.* 541. §. 5. 3) *Laurent. Petri*, qui dissertationem de tribus Sveciae coronis concinnavit, quae tamen an typis exscripta sit, ignoro. 4) *Ioh. Bureus*, cuius Adulruna rediviva MS. Svetico sermone proposita saepius a *Scheffero d. l.* in testimonium est vocata. 5) *Ioh. Wexionius* in descript. Svec. 6) *Ioh. Magnus* in histor. Sveciae. 7) *Olaus Magnus* frater Ioh. Magni in hist. gentium Septentr.

XI. DE

XI.

DE MATHILDE ABBATISSA QVEDLINBVRGENSI ALIQVANDO VICARIA IMPERII

CHRIST. GOTTL. SCHWARZIVS
IN ACAD. ALTORF. PROF. PVBL. ORD.

1736.

PROOEMIVM.

VIrginum Deo sacrarum, earumque a nostro aevo remotissimarum, vitas exponere velle, magis ingenii otiosi, quam hominis studiosi historiarum, institutum esse videatur. Nihilo minus de *Mathilde* nunc agendum censuimus, quae quidem, quod ad Patrem attinet, ex *Augusta Saxonum Gente* prognata; quod ad Matrem, ex *Burgundicis Regibus Guelphicae propaginis* orta, non solum Quedlinburgensi ordini Virginum religiosarum olim praefuit; sed aliquando etiam, quod mirum est, in gubernando Germaniae regno, vices Imperatoris magna cum laude sustinuit. Quod exemplum eo dignius consideratione nobis visum est; quo alienior alioqui forma Imperii Romano-Germanici a γυναικοκρατείᾳ esse solet. Praeterea credidimus, illustrata illa genealogia, non pauca posse loca historiae eorum temporum magis illustrari.

Digitized by Google

II. *Mathildis* illa, que rexit Coenobium Quedlinburgenſe, recens fere tunc conditum, non fuit filia *Henrici*, *Aucupis*, Regis Germaniae; qui aliquot recentiorum ſcriptorum fuit error; ac nominatim ipſe *Baronius*; in notis *ad Martyrologium Romanum*, ad d. 14. Martii, *Trithemii* teſtimonio, in *Chron. Hirſchaug.* deceptus, putavit, *Mathildem*, *Abbatiſſam Quedlinburgenſem*, fuiſſe filiam Henrici Aucupis. Quem memoriae lapſum iam notavit *Antonius Pagi*, in *Critic. Baron.* ad An. 997, *n.* 11; eandemque opinionem ſtrenue refellit *Gundlingius*, de *Henrico Aucupe*, *pag.* 47. Ex nullo enim ſcriptore coaevo adhuc conſtat, huic *Henrico* fuiſſe filiam, nomine *Mechtildem*. Sicſane, in literis *fundationis Groeningenſis*, quas *Meibomius*, *T. I Scriptor. rer. Germ. pag.* 759, in lucem protulit, ubi *Folckmarus*, Abbas novae Corbeiae, commemorat, *Sigfridum*, Comitem Saxonicum, poſſeſſiones quasdam in dioeceſi Halberſtadienſi ſitas, *pro Rege glorioſiſſimo*, *videlicet Henrico*, *cum ſerena Mathilda*, (Coniuge,) *et Regia prole*, *Oddone*, *Henrico*, *Brun*, *Gerberg*, *Hathuuin*, *nec non et pro ſe ipſo*, *una cum coniuge*, *Guthie*, *ad monaſterium conſtruendum*, *donaſſe*: nulla ibi mentio fit filiae alicuius *Mathildis*. Similiter *Albericus*, *Monachus trium fontium*, in Leibnitii *Acceſſionibus hiſtoricis*, ad annum 937: *Henricus*, inquit ex *Mathilde*, *habuit filios tres*, *Ottonem*, *Henricum*, *et Brunonem*; *et filias duas*, *Gerbergam et Hawidem*, *quae factae ſunt in gentem magnam*. Conf. *Wittekindus*, *Libr. I. Annal.* apud

Digitized by Google

apud *Meibomium*, *l. c. T. 1*, *pag.* 638. et *Monachus Hamerslebienſis*, apud *Leibnitium*, *T. I. rer. Brunſuic. pag.* 707. Omnibus iſtis locis omnes liberi *Henrici* ex *Mathilde*, Wittekindeae propaginis principe, prognati, commemorantur, omiſſo unico *Tancmaro*, qui pro illegitimo habebatur, tanquam ex *Hatheburga*, vidua velata *Eruini*, ac mox repudiata, procreatus.

III. Neptis adeo quidem *Henrici Aucupis*, at filia *Ottonis Magni*, haec, de qua loquimur, fuit *Mathildis*, anno 955. in lucem edita. Id teſtatur auctor *Chronici Quedlinburgenſis*, *T. II. Leibnitii Scriptor. rer. Brunſuic. p.* 284, ad An. 999: *Inſigniſſima*, inquit, *Imperatoriae prolis gemma*, *Mechtild*, *Magni Ottonis Auguſti filia*, *quae*, *ut ſaepe memoravimus*, *ſceptrigeris edita parentibus*. Et auctor *vitae Mathildis Reginae*, apud *Leibnitium*, *T. I. Scriptor. rer. Brunſuic. pag.* 207, ubi de illa ipſa *Mathilde Regina*, uxore *Henrici Aucupis*, et matre *Ottonis Magni*, iamiam moribunda, agit: *Tunc*, inquit, *ad ſe vocavit ſuam neptulam*, *Abbatiſſam Mathildam*, *Filiam Ottonis Imperatoris*, *ſalutaria illi dans monita*. Et quod ad tempus nativitatis attinet, auctor modo excitatus *Chronici Quedlinburgenſis*, ad annum 955: *Mechtild*, inquit, *gemma praelucida e medio coronae imperialis*, *decori ſuis et gaudio cunctis*, *naſcendo enituit*.

IIII. Sed et in *matre Mathildis* deſignanda nonnulli recentiores hallucinati ſunt: e. g.

Alfordus, *T. III. Annalium Eccleſ. Angl. ad* An. 913, pag. 224; *Reusnerus*, in *opere Genealog. pag.* 264, et *Hubnerus*, *Tabul. geneal. T.* 26, aliique, qui ſibi perſuaſum habuere, *Mathildis* quidem patrem *Ottonem Magnum*, ſed matrem, *Ethidam*, *Britannam*, fuiſſe. Nimirum *Otto Magnus* duas duxerat uxores: primum quidem filiam *Eduardi*, ſororem *Adelſtani*, Regum Angliae, *Edgidam*; cuius quidem nomen in antiquis libris monimentisque varie ſcribitur: *Edith*; *Edgid*, *Aedid*, *Otgit*, *Egitta*, *Eddithe*, *Edittis*, *Egditha*, *Eadgiva*, et ſi quae aliae ſunt nominis ſcribendi varietates. Id quod, praeter tot alios, clare teſtatur *Hroswitha*, *in Carmine Panegyrico de laudibus Ottonis*, *pag.* 181:

Ipſe (Henricus Aucceps) *ſuo primogenito, Regique futuro,*
Odoni dignam iam deſponſarat amicam,
Quae propriae proli digne poſſet ſociari.
Hanc non in proprio voluit conquirere regno;
Trans mare legatos ſed transmiſit bene cautos,
Gentis ad Anglorum terram ſat delicioſam:
Demandans, ut continuo, tardamine miſſo,
Edwardi Regis natam peterent Eadithan,
Quae, patre defuncto, iam tum reſidebat in aula,
Fratre ſuo regni ſceptrum geſtante paterni.

Laudare hic poſſum rerum Anglicarum ſcriptores veteres: e. g. *Ethelredum*, *Abbatem Rievalem*,

Digitized by Google

valem, *de Genealogia Regum Angliae*; *Guilielmum Malmesburienſem*, *de Geſtis Regum Anglorum*, et alios, qui nomen patris fratrisque *Edithae* certius deſignant, quam e Germanicis ſcriptoribus, *Ditmarus*, *Witikindus*, et *Chronographus Saxo*. Hi enim patrem *Edithae* vocant *Ethmundum*; cum tamen *Ethelredus*, in *Tuaysdeni* et *Seldeni* Collectione *Scriptorum hiſtoriae Anglicanae*, *pag.* 356, dicat; *Aeduuardus ex Regina Aedgiva quatuor filias ſuſcepit: quarum prima Edburga in Dei ſponſam eligitur et conſecratur*; *altera ab Ottone*, *Romanorum Imperatore*, *in matrimonium ſumitur*. Et *Malmesburienſis*, *pag.* 40: *Mortuo Ludovico IV*, inquit, *Cunradus quidem*, *Rex Teutonicorum*, *imperavit*. *Huic ſucceſſit filius Henricus*, *qui miſit ad Aethelstanum*, *Regem Anglorum*, *pro duabus ſororibus ſuis*, *Alditha*, *et Editha*; *quarum poſteriorem filio ſuo*, *Othoni*, *collocavit*; *alteram cuidam Duci iuxta Alpes nuptum dedit. etc.* Nuptias has retulit *Continuator Reginonis ad annum* 930: *Otto*, inquit, *filius Regis Henrici*, *Edgid*, *filiam Regis Anglorum*, *duxit uxorem*. Ex hac vero *Editha* *Otto M.* non ſuſceperat, niſi duos liberos, nempe *Ludolphum*, natum An. 930, Ducem Sueviae; et *Ludgardam*, nuptam *Conrado*, Duci Lotharingiae. Quod locuples teſtis docet, erudita Virgo, *Hroswitha*, *pag.* 191, in *Carmine ſupra laudato*:

Haec igitur (Editha) *puerum ſupra paucis memoratum*
Acriter orbatum dimittebat Luidolfum;

Feminei dulcem ſexus unam quoque Prolem,
Nomine Liutgardam, ſimili cauſa venerandam,
Vnica feminei quae ſpes ſexus fuit illi,
Gratiola parili coluit, provexit, amavit.
Hanc quoque Conrado vinclis ſociavit amoris,
Egregio ſtrenuoque Duci.

Huic accedit *Monachus Hamerslebienſis*, apud *Leibnitium T. I. rer. Brunſuic. pag.* 708 : *Otto duxit uxorem Edidam, filiam Regis Anglorum, feminam religioſam, cum qua decem annis vixit; et genuit ei Ludolphum, omni virtute conſpicuum, ac Luitgardim, quae nupſit Conrado, Duci. Edith obiit 7. Kal. Febr. anno Domini* 947, *ſepulta in Magdeborch : Saxoniam inhabitaverat ipſa annis* 19.

Similia narrant, *Witikindus*, *Libr. II. Annal. pag.* 650., et *Ditmarus Reſtitutus*, *pag.* 331, ſeqq. aliique.

V. Poſtquam adeo *Editha*, teſte auctore *Annalium Hildesheimenſium*, diem ſupremum obierat 7. Kal. Februar. anno 947, *Otto M.* votis ſecundis ſibi iungebat *Adelheidam*, Burgundam, viduamque *Lotharii*, Italiae Regis. Haec uti *Ottoni* peperit tres filios, *Henricum*, *Brunonem*, et *Ottonem II*, Imperatorem; ita, praeter *Adelheidam*, *Abbatiſſam Eſſendienſem*, eidem vel primo loco enixa eſt *Mathildem*, quae nobis iam differendi materiam praebet. Quod poſterius diſerte enarrat *auctor vitae Mathildis*, *Reginae*, Aviae nimirum *Mathildis noſtrae*,

Digitized by Google

noſtrae, pag. 200 et 201, apud Leibnitium, *T. I. rer. Brunſuic. Contigit*, inquit, *piam Edith, Reginam, perpetuo victuram, praeſentem amittere vitam. Rex autem Otto iam provectae aetatis, iam dum multis comprobarat caſtitatem viduitatis, iudicavit ſibi animum eſſe a coniugali conſortio poſtmodum abſtinere. Interim vero obiit Lotharius, Latinorum princeps egregius, cui Regina Adelheit in matrimonium copulata fuerat, excellens morum probitate. Sors victoriae in Italia contigit Regi Ottoni; qui praefatam Dominam Adelheidam gaudens ſecum duxit per civitates Latinorum. Videns autem, quod mirae eſſet prudentiae et probabilis vitae, ſuum animum illius amori indulſit, et in coniugium ſibi copulavit. Aliquantum temporis in Italia commorabantur, et non multo poſt in regionem Saxonum proficiſcebantur. Illi autem per longum tempus regni ſolium poſſidentes, gratia Dei fecundabantur ſobole regali, primo procreabant puellam, inclytae Reginae Mathildis vocabulo dictam,* (ita ſcilicet tunc plerumque liberis Avorum Aviarumque nomina imponi ſolebant, *quam Rex Otto coniunxit Quitilingehurc contubernio ſanctimonialium; iuxta matris votum.* Superſedeo nunc aliorum teſtimonia cumulare. Satis eſt, adhuc excitare auctorem *Chronici Quedlinburgenſis, pag.* 285: qui, ubi ad annum 999 de obitu *Mathildis* noſtrae egerat, haec ſubiicit: *Medici intervalli ſpatio, Adelheida, praefatae Mechtildis genitrix, inclita Romanorum Imperatrix Auguſta, quae ſtatum imperii terra marique ſibi ſubacti, una*

Digitized by Google

cum suo consorte, Augusto scilicet, Magno et Pacifico Ottone, non minus meritis moribusque insignierat egregiis, quam ille viribus et triumphis consolidasset eximiis; - - tandem emeritae admodum aetatis ad eum, quem medulletenus sitiverat, 17. Cal. Ian. laborum suorum centuplicatam receptura mercedem, gloriosa migravit, atque in Basilica Salisensi, quam ipsa in honore S. Petri Principis Apostolorum pie labore construxerat, honorifice tumulatur. Haec adeo pia Imperatrix, *Adelheidis*, Mater *Mathildis*, etiam secundum narrationem *Odilonis*, Cluniacensis Abbatis, in *vita S. Adelheidis, Libr. I, Cap. XII*; item *Lamberti Schafnaburgensiis*, *Chronographi Saxonis, et Necrologii Fuldensis* utrumque, 17. Kal. Ian. sive 16. Mensis Decembris, anno 999, ex hac vita excessit; quam quam *Baronius S. Adelheidis* Imperatricis mortem ad annum 998, num. 11, et annum 1000, num. 11, recitarit; ex memoriae lapsu opinatus, aliam esse *Adelheidem*, coniugem Ottonis I, aliam *Adelheidem*, esse aviam *Ottonis III*, Imperatoris; cum revera, *Adelheidis*, uxor *Ottonis Magni*, non alia sit, quam avia *Ottonis III.*

VI. De stemmate paterno *Mathildis* operose inquirendo, non est, cur admodum sollicitisimus. Quo id enim illustrius notius est, et quo diligentius iam plures viri eruditi in eo recensendo operam posuere; hoc [illegible] opus esse opinamur, ut illud iam repetamus. Solam particulam huius *Augustae Saxonum Genealogiae*

nealogiae Tab. I. exhibemus, nullis quidem iam adductis probationibus; utpote quas desideraturis, pro singulari accuratione sua, prae ceteris, satisfaciet celeberrimus Dom. Prof. *Koelerus*, in *Stemmatographia Augusta Saxonica.*

VII. At enimvero, non nullum operae pretium facturi nobis videbamur, si studium nostrum in exponendo stemmate *Mathildis* materno, idque Burgundico, collocaremus. Fatemur enim, haud exiguas ibi deprehendi difficultates; quae non paucis scriptoribus labendi occasionem attulere; quam nec superavit incredibilis industria *Pfeffingeri*, in *Vitriario illustrato*, *T. I*, *pag.* 241. Equidem in hoc ipso *Burgundico Stemmate* exponendo etiam occupatus fuit *Gundlingius*, vir quondam de omni genere bonarum literarum bene meritus, in *Gundlingianis*, *Parte VII*, *Sect.* I, *pag.* III, et 116; sed nos operam dedimus, ut hoc ipsum stemma multo plenius, pluribusque testimoniis instructius, proderemus: neque tamen praestamus immunitatem ab omni lapsu. Interim dici non potest quantum huius stemmatis notitia faciat ad historiam Germaniae illustrandam. Quis enim nescit, res Burgundiae per tot saecula cum regno Germaniae coniunctas fuisse? Neque in historia imperiali Germaniae res trium *Ottonum*, Imperatorum, itemque *Henrici S.*, *Conradi Salici*, et *Henrici III*, satis luculenter explicari possunt, nisi hanc ipsam *Genealogiam* cognoverimus. Agedum ergo, hanc in rem *Tabulam II*, *III et IIII*, exhibeamus, atque

Digitized by Google

atque nunc ex probatis ſcriptoribus hiſtoricis diplomatibusque adiiciamus

Probationes Stemmatis Materni Mathildis ad Tabulam II.

1) *Monachus Weingartenſis, in Hiſtoria de Guelphis Principibus*, apud Leibnitium, T. I. *Script. rer. Brunſuic. pag.* 781 : *Nullum nominatim ante Guelfonem Comitem, qui tempore Caroli Magni fuerat, invenire poteramus.* Idem, pag. 782 : *Welfo genuit filium, Etichonem nomine, et filiam, Iudith.*

Theganus, de Geſtis Ludevici, Imp. apud Pithoeum, *pag.* 308 : *Sequenti vero anno* 819. (Ludovicus Pius, poſt mortem Irmingardis, coniugis prioris,) *accepit filiam Welfi, Ducis, qui erat de nobiliſſima ſtirpe Bavarorum. etc.*

2) Auctor Translationis *S. Bathildis, cap. I, T. II.* menſis Ianuarii Actorum SS. Antuerp. pag. 747 : *Anno viceſimo imperante cum magna felicitate Hludovico, Sereniſſimo Auguſto, in regno Francorum, venit Kala monaſterium, ubi venerabilis Abbatiſſa, Hegelwich, genetrix Iudith, Imperatricis, magno gregi Sanctimonialium praeerat.*

Theganus, l. c. Ludovicus Pius - - *accepit filiam Welfi, Ducis, qui erat de nobiliſſima ſtirpe Bavarorum; erat nomen virginis Iudith, quae erat ex parte matris nobiliſſimi generis Saxonici, eamque reginam conſtituit.*

Eckhartus

Digitized by Google

Eckartus, *in Genealog. Saxon. p.* 469, et in notis ad *vitam Hathumodae*, *pag.* 32, probabiliter coniecit, hanc *Hegelvuicham* fuisse filiam *Brunonis*, Anchariae Ducis, et sororem *Giselae Witichindeae*, atque *Echerti*, Ducis.

3) *Monachus Weingart. pag.* 782: *Welfo genuit filium, Etichonem nomine et filiam Iuditb - - Eticho, huius Iuditbae frater, patre defuncto pius haeres successit.*

4) et 5) Idem, pag. 782: *Welfo genuit filium, Etichonem nomine, et filiam, Iudith quam Iudith Ludewicus, Imperator, cognomento Pius, Caroli M. filius, defuncta uxore sua, Irosligardi*, (Irmengarde) *ex qua tres filios, Lotharium, Pipinum, et Ludewicum, progenuit, duxit uxorem; quae genuit Carolum, qui in divisione imperii regnum Francorum obtinuit, et* 45. *annis strenuissime rexit, fratribus suis, Lothario et Ludowico, in Italia et Alamannia regnantibus.*

Auctor vitae *Ludoviti Pii*, *ad An.* 819, apud *Pithoeum*, *p.* 373: *Tandem* (Ludovicus Pius) *voluntati suorum satisfaciens, et undequaque adductas procerum filias inspiciens, Iudith, filiam Welfonis, nobilissimi Comitis, in matrimonium iunxit.*

Annales Francorum incerti auctoris, apud Pithoeum, ad A. 819, pag. 26: *Imperator Ludovicus, inspectis plerisque nobilium filiabus, Iudith, filiam Huelpi, Comitis, duxit uxorem.*

Annales

Digitized by Google

Annales Metenſes, ad A. 829: *Dominus Imperator, Ludovicus, habebat quandam Reginam, pulchram nimis, nomine Iudith, et ſapientiae floribus optime inſtructam, ſociatam ſibi coniugio: quae etiam Imperatrix coronata, Auguſta ab omnibus eſt adclamata. Ipſa enim Imperatori filium valde elegantem, nomine Karolum, iam peperit.*

Chronicon Engoliſmenſe, T. I. Biblioth. MSS. Labbei, ad A. 843, pag. 324: *Iudith, Imperatricis, anima egreditur.*

Chronicon Aquitanicum, ad A. 843, pag. 291: *Iudith, Imperatrix, Karoli Calvi Mater, obiit, apud beatum ſepulta Martinum Turonis.*

Ademarus, in Chronico, apud Labbeum, T. II. Biblioth. MSS, ad A. 843, pag. 161: *Poſt duos annos proelii memorati Iudith, Imperatrix, mater Caroli Calvi, Turonis obiit, ſepulta apud S. Martinum.*

6) *Aſtronomus*, in vita *Ludovici Pii*, ad A. 823: *Quo etiam anno, menſe Iunio, natus Imperatori*, (Ludovico Pio,) *filius ex Iudith Regina, quem tempore baptiſmi Carolum vocitare placuit.*

Theganus, de geſtis Ludovici Pii, Imp. pag. 310: *Alio anno* (825) *venit Imperator Wormatiam, ubi et Carolo, filio ſuo, qui ei ex Iudith Auguſta natus, terram Alamannicam, et Rhaeticam, et partem aliquam Burgundiae, tradidit.*

Radulf.

Digitized by Google

Radulfus de Diceto, in Abbreviat. Chroni-
rum ad A. 824: *Mortua Trmigardi, Ludo*
cus, Iudith, filiam Welfi, Ducis, Baioa-
ae, duxit; ex qua genuit Karolum Calvum.
udovicus Imperator Karolo Calvo, filio suo,
ranciam, partemque Burgundiae, dedit.

Ademarus, in Chronico, apud Labbeum,
. II. Bibliothecae MSS. pag. 160: *Remanserunt*
es filii eius, (Ludovici Pii) *Lotharius, Im-*
rator Italiae; Ludovicus, Rex Germaniae,
rdus Calvus, *Rex Franciae et Burgundiae.*

Annales Bertiniani, ad A. 876: *Carolus*
Calvus) *in die nativitatis Domini B. Petro*
et pretiosa munera offerens, in Imperato-
unctus, et coronatus, atque Romanorum
erator appellatus est. Ad A. 877: *Caro-*
febre correptus, pulverem bibit, quem
nimium dilectus ac credulus medicus suus,
Sedechias, transmisit, - - et undecimo
post venenum haustum in vilissimo tugurio
rtuus est, 2. *Nonas Octobris.*

7) *Nithardus*, Lib. III, apud Pithoeum,
469: *Nunciatum est Karolo, quod soror*
Hildegardis, Adelgarium quendam ex suis
m haberet. - - Hora fere diei tertia inspe-
subito sorori et civibus cum infinita multitu-
nunciatur Karolus adesse. - - Crastina die
gardis ad fidem suam, sicut spoponderat;
; - - Sororem suam Karolus benigne ex-
, et omnia, quae hactenus erga illum de-
erat, illi donavit; multisque verbis blande
allocutus, omnem benignitatem, quam fra-
sorori debet, - - ei perhumane promisit.

8) *Agnel-*

8) *Agnellus*, Parte II. Libri Pontificialis
Vitis Pontificum Ravennatum, in vita Georgii
cap. 1, apud Muratorium, T. II. Scriptor
Italic. pag. 185: *Mortuus est Ludovicus* (Pius
et, *antequam moreretur*, *divisit imperium* su
inter Reges, filios suos. - - *Lothario Augu*
cessit maxima pars; *Pipino*, *Aquitaniae re*
num; *Ludovico*, *Bavariae. Hi Ermengar*
filii. Ad Carolum vero Calvum plus fertilem
opimam largivit partem; *et Giselam*, *filiam su*
tradidit marito, *Euerardo nomine.* - - *Hu*
(Carolum Calvum,) *et hanc*, (Giselam,) *h*
ditio Augusta parturit.

Ipse *Carolus*, in Diplomate, quo A.
instauravit Monasterium Dononiense, in A
Miraei Lib. II. Diplom. Belgic. cap. XI: *C*
rolus, *misericordia Dei Imperator Augustus*
per carissimae Sororis nostrae, *Gislae* (scilicet)
mine, *crebrâ admonitionem*, - *Abbatis*
Dei Genetricis Mariae, - *litam in pra*
quod nuncupatur Dononium, *ad pristinum*
tamus restituere statum. - - *Actum est hoc*
incarn. Dom. 877, *Idibus Augusti*, *In*
X, *anno XXXVIII. regni Karoli*, *R*
Francia, *et Imperii eius II.*

9) ipse *Everardus*, Comes, in tes
to, anno 863. condito; in *A. Miraei*
Donationum piarum, Cap. XV: *Ego E*
dus, *Comes*, *cum coniuge mea*, *Gis*
decrevi, *qualiter nostri infantes*, *qu*
post obitum nostrum, *praedium nostr*
se, - - *deinceps obtinere debeant.* - -

Digitized by Google

dus filius noſter, Berengarius, volumus, ut habeat cortem in Anaſpis, etc. - - Ego in Dei nomine Euerardus Comes, cum coniuge Gisla, huius teſtamentum diviſionis fieri inter infantes noſtros inſtitui, quorum haec ſunt nomina: Vnroch, Berengarius, Adalardus, Rodulphus, Engeltrud, Iudith, Heilwich. - Actum in Comitatu Tarviſano, in corte noſtra Muſieſtro, imperante Domino, Ludovico Auguſto, anno regni eius, Chriſto propitio, viceſimo quarto.

Annales Metenſes, ad A. 888: *Carolus Imp. III, - - obiit. Igitur quaedam pars Italici populi Berengarium, filium Everhardi, qui ducatum Foroiulianorum tenebat, Regem ſibi ſtatuunt.*

Annales Fuldenſes, ad A. 888: *Berengarius, filius Eberhardi, in Italia ſe Regem fecit.*

10) *Theganus*, l. c. pag. 310: *Supra dicti impii, obiicientes ei*, (Carolo Calvo) *multa contraria dixerunt: Iudith Reginam violatam eſſe a quodam Duce, Bernhardo, qui erat de ſtirpe regali, et Domini Imperatoris ex ſacro fonte baptiſmatis filius; mentientes omnia, ſuſcipientes Reginam Iudith, eamque vi velantes, et in monaſterium mittentes, et fratres eius, Conradum et Rudolfum, tondentes, et in monaſterium mittentes.*

Auctor Vitae *Ludovici Pii*, apud Pithoeum, pag. 395: *Karolus*, Imp. *miſit in Aquitaniam, Coniugemque revocavit, Fratresque illius, Conradem et Rodulfum, iamdudum attonſos.*

Annales Bertiniani, ad A. 862: - *Vt consilio praecipue Ludovicus et Lotharius Chuonradi, sui Consiliarii, Caroli (Calvi) autem Avunculi.*

Carolomannus, in praecepto, quo A. 884. confirmavit omnia privilegia S. Germani Autisiodorensis, apud *Mabillonium*, de re Diplom. Libr. VI. pag. 550; *Conradum* hunc vocat *praecellentissimum et venerabilem Comitem, propinquum suum.*

Hericus, Libro II. de Miraculis S. Germani, in *Labbei* Biblioth. MSS. T. I, pag. 556: *Erat Conradus*, (qui Basilicam S. Germani Autisiodori instauraverat,) *Princeps famosissimus, Collega Regum, et inter Primates audicos apprime inclytus. etc.*

Martyrologium monasterii Autisiodorensis: *Anno* 872, 15. *Kal. Martii, obiit Comes, Chonradus, maior illius Ecclesiae restaurator, in qua sepultus est.*

11) *Hericus*, loco citato, pag. 556: *Huic* (Conrado, fratri *Iuditthae*, Imperatricis,) *coniux erat, Adelheidis nomine, primorum et ipsa natalium perinde titulis gloriosa: quippe quae avita antiquorum procerum oriunda propagine splendorem generis augustissimae aequiparabat stemmate dignitatis.*

Annales Bertiniani, ad A. 864: *Episcopatum a Gunthario Lotharius tulit, et, suo tantum consilio, Hugoni, Conradi, Caroli Regis avunculi, et Materterae suae, filio, tonsura Clerico, - - donavit.*

Chifletius,

Digitized by Google

Chifletius, in *Vindiciis Hiſpanicis*, *pag.* 12, hanc *Adelheidam* habet pro filia *Hugonis I.* Abbatis et Ducis Burgundiae, filii nothi *Caroli M.* ex concubina, *Regina*, ſecundum *Annales Fuldenſes* A. 844. nati. Sed *Eckhartus*, *T. II. Comment. de rebus Franc. Orient. pag.* 465, tradidit, hanc ipſam *Adelheidam* fuiſſe filiam *Ludovici Pii*, Imp. Quae etiam ſententia fuit *Gundlingii*, *Gundlingianorum Parte VII*, *ſect. I*, *pag.* 108. Quia vero auctor *Annalium Bertinianorum* obſcure loquitur, neque alia manifeſta praeſto ſunt documenta, nos adhuc ſuſpenſas huius rei habemus rationes. Quod ſi vero ille Bertinianus ſcriptor proprie locutus fuiſſet matertera *Lotharii* Iunioris, Regis Lotharingiae, fuiſſet ſoror matris eius, *Irmengardis*, filiae *Hugonis*, Comitis. Etenim *Eginhartus*, in *Annal.* ad A. 822: *Lotharius*, inquit, (nempe pater *Lotharii* Iunioris,) *primogenitus Imp. Ludovici*, (Pii,) *Irmingardam*, *Hugonis Comitis filiam*, *ſolenni more duxit uxorem.* Ceterum, eandem *Adelheidam* votis ſecundis nupſiſſe *Roberto* Forti, Duci et Marchioni Franciae, idem docet *Eckhartus*, *pag.* 333.

12) Vide locum ex *Thegano*, ſupra *num.* 10, excitatum.

Chronicon Floriacenſe, apud *Du Chesne*, T. III. Hiſtor. Franc. pag. 355; et apud *Baluzium*, T. II. Miſcellan. pag. 304, ad A. 866: *Regnante Karolo*, *Ludovici filio*, *duo filii illius moriuntur*, *Hlotharius*, *Abbas*, *et Karolus*, *Rex Aquitanorum.* *Avunculus quoque eius*,

Rhodulfus, consiliarius primasque palatii hominem exuit.

Praeceptum *Caroli* Calvi, Monasterio Centulensi datum, in *Chronico Centulensi*, Libr. IV, Cap. 9, apud *D' Achery*, T. II. Spicileg. pag. 316: - *Carolus, gratia Dei Rex.* - - *voluntate et licentia dilecti Avunculi nostri, Hrudolfi, Rectoris Centulensis sacri Coenobii. etc. Dat. 2. Kal. Martii, Indict. III, anno 16. Regni Karoli, glorioſiſſimi Regis.*

Praeceptum *Caroli*, Regis, quo partitionem bonorum confirmavit, quam *honorabilis vir et avunculus Regis, Ruodolfus, Gemeticensis Monasterii Rector, cum Monachis suis constituerat.* - - *Dat. 7. Kal. Martii, Indict. 12, anno 9. Karoli, glorioſiſſimi Regis. Actum in Carisiaco Palatio Regio.* Ex *Mabillonii* Annalibus Benedictinis attulit *Eckhartus*, T. II. rerum Franciae orientalis, pag. 400.

Annales Bertiniani, ad A. 866: *Rodulfus, Caroli Regis avunculus, passione colica moritur.*

13) Iidem, *Annales*, ad A. 864: *Episcopatum* (Colonienſem) *a Guntharío Lotharius tulit, et, suo tantum consilio, Hugoni, Conradi, Caroli Regis Avunculi, et materterae suae, filio, tonsura Clerico, et ordinatione tantummodo Subdiacono, moribus autem et vita a fideli laico discrepanti, donavit.*

Iidem *Annales*, ad A. 866: *Carolus* (Calvus) *Hugoni Clerico, avunculi sui, Chonradi, filio, comitatum Andegavensem, cum Abbatia S. Martini,*

Digitized by Google

ni, et cum aliis etiam Abbatiis, donat, eumque in Neuſtriam, loco Roberti, dirigit.

Regino, ad A. 867: *Hugo*, Abbas, *in locum Ruberti*, (Ducis) *ſubſtitutus eſt, vir ſtrenuus, humilis, iuſtus - - ſiquidem Vdo et Rubertus, filii Ruberti*, (a Normannis occiſi,) *adhuc parvuli erant, quando pater extinctus eſt: idcirco non eſt illis Ducatus commiſſus.*

Annales Lambeciani, ad A. 886: *Hugo, et Gozelinus, Abbates et Duces praecipui Galliae regionis, in quibus omnis ſpes Gallorum contra Nordmannos poſita erat, defuncti ſunt.*

Annales Bertiniani, et Metenſes, ad A. 887: *Eodem tempore, Hugo, Abbas, magnae poteſtatis vir, et magnae prudentiae, Aurelianis moritur, et apud S. Germanum Autiſſiodoro tumulatur. Ducatus autem, quem tenuerat, et ſtrenue rexerat, Odoni, filio Rotberti, ab Imperatore traditur, qui ea tempeſtate Pariſiorum Comes erat.* Conf. *Regino*, ad h. A.

Albericus, Monachus Trium Fontium, ad A. 887: *Hugo, Dux et Abbas mirae poteſtatis et prudentiae, moritur, cuius conſilio per ſeptem annos regnum Francorum, ex quo Ludovicus Balbus obierat, fuerat commiſſum.* Conf. *Sigeb. Gemblacenſis*, ad A. 887.

13. b.) Idem *Albericus*, ad A. 890: *Rex occidentalis Franciae, Odo, et Robertus, fratres, filii Roberti, Ducis Andegavenſis, fuerunt fratres ex matre Abbatis Hugonis ſupra*

memorabi, (nempe, postquam *Adelheidis*, *mater Hugonis* Abbatis, post obitum *Conradi* majoris, Comitis Parisiensis, votis secundis nupserat *Roberto*, Comiti et Duci Andegavensi.)

Idem *Albericus*, ad A. 988: *Roberti*, *Regis*, et eius fratris, *Odonis*, (*qui cum Carolus Simplex adhuc puer esset*, *tanquam tutor regnum Franciae gubernavit*,) *Pater dictus est Robertus Fortis*, *Marchio de genere Saxonum extractus*, *cui Carolus Calvus Comitatum Andegavensem dederat in beneficium*, etc.

14) Auctor *Chronici Senonensis*, in *Martene* Thesauro anecdot. T. III, ubi commemoverat, reliquias sanctas in *Basilicam S. Columbae* A. 881. delatas esse: *Erat autem*, inquit, *Abbas ipsius monasterii Welpho*, *ex prosapia regali*, *qui*, *eodem anno transiens e mundo*, *in Basilica S. Columbae humatus est*. *Cui successit Conradus*, *christianissimus Comes*, *germanus eius*, *qui ipso anno diem claudens extremum cum moerore et gemitu totius regni*, *eo praecipiente et admodum obsecrante*, *in sublicidio S. Columbae ad pedes S. Lupi Confessoris honorifice est sepultus*. *Cui successit Hugo*, *frater eius*, *qui monarchiam clericatus in palatio obtinens*, *Ducatum etiam regni post Regem nobiliter administrabat*. Conf. *Chronicon Centulense*, Lib. III, cap. 13, seqq. in *D'Achery* Spicilegio, T. II.

15) *Annales Bertiniani*, ad A. 879: *Carlomus denique Abbas*, - - *coepit cogitare*, *qualiter talionem suis contrariis redderet*, *et Chounradum*,

radum, *Parisiaci Comitem*, *spe falsa de praecellenti potestate deludens - sibi coniunxit.*

16) *Chronicon Centulense*, Libr. III, Cap. XI, ad A. 864: - - *Habuimus Abbatem et vere Patrem, virum Regali genere procreatum, nomine Guelfonem.* - - *Hic ob expertam in se prudentiam et religiositatis devotionem S. Martyris et Virginis Columbae apud Senones sitae, sicut et noster Abbas permansit.*

17) *Annales Metenses*, *et Regino*, ad A. 888: *Per idem tempus*, (quo *Odo* Rex Galliae declaratus erat,) *Rudolfus*, *filius Conradi*, *nepos Hugonis Abbatis*, (i. e. nepos ex fratre, seu filius *Conradi*, fratris *Hugonis*,) *de quo supra meminimus*, *provinciam inter Iuram et Alpes Penninas occupat*, *et apud S. Mauricium*, *accitis secum quibusdam primoribus*, *et non nullis sacerdotibus*, *coronam sibi imposuit*, *Regemque se appellari iussit.* Conf. *Annalista Saxo*, ad A. 888.

Annales Fuldenses, ad A. 888: *Arnolfo Rege morante*, *multi Reguli in Europa*, *et regno Karoli*, *sui patruelis*, *excrevere.* - - *Rudolfus*, *filius Chuonradi*, *superiorem Burgundiam apud se statuit legaliter retinere.*

Vrstisius, pag. 311, ad A. 912: *Rudolphus*, *Rex Burgundiae*, *obiit*; *pro quo Rudolphus filius regnavit annis XV.*

18) *Diploma*, quo *Alaydis* monasterium Romanum in Waldensi pago situm A. 928. possiden-

fidendum dedit Odoni, Abbati Cluniacensi apud *Guillimannum*, Lib. III. Habsburg. Cap. *Hanc igitur donationem, pro dei amore et S. Apostolorum facio; deinde pro anima germani dulcissimi mei, Domini Rudolfi, Regis* (Burgundiae,) *harum videlicet rerum largitoris tum vero pro requie Domini mei* (i. e. mariti) *piae memoriae Principis, Richardi; ac Willa, Reginae,* (uxore Rudolfi I;) *pro me, et Domino Rudolfo, Rege* (Francorum,) *filio meo;* et item *Rudolfo* (II,) (Burgundiae) *nepote meo* (ex fratre, Rudolfo I;) *pro aliis quoque filiis meis* (privignis) *Hugone, Bosone, et Ludovico nepote,* (filio;) *Sed et pro ceteris consanguineis, atque his, qui nostro servitio adhaerent, pro Genitore etiam* (Conrado Iuniore,) *Genitrice mea, et Domino Hugone, insigni Abbate;* (Patris fratre,) *ceu ceteris utriusque sexus propinquis etc. Data 2. Kal. Iulii, V regnante Rudolpho, glorioſissimo Rege dict. II.*

19) *Chronic. S. Benigni Divionensis*, D'Achery, *pag.* 379: *Dedit et Ricardus pra memoratus Dux* (Burgundiae) *ad S. Antonii in Ficiato sitam, quae est in Benigni, mansum unum. - - - Et hoc fecerunt, Adela, uxor eius, et Rodulfus filius ipsius.*

Albericus, ad A. 906: *Vxor Richardi Ducis Burgundiae, dicta est Alaydis, Rudolphi, Regis* (Franciae.)

Frodoardus, ad A. 921: *Ricardus, Marchio de Burgundia, obiit.*

20) *Albericus*, ad A. 890: *Notandum, quod in Collectaneo S. Benigni Divionensis legitur, quod Dux Burgundiae, Richardus, tres habuit filios, Regem Rodulphum, et Hugonem, inferioris Burgundiae Ducem, Capito cognominatum, et Bosonem, Vitriaci Comitem.*

Hugo, Abbas Flaviniac. in Chronico Virdunensi, apud *Labbeum* T. I. Bibl. MSS. pag. 124, ad A. 899: *Eo anno Burgundia vastata est a Normannis, quibus occurrens Richardus, Dux iustitiarius, bello eos fudit. - - - Habuit tres filios: Rodulfum, qui fuit Rex Francorum; Bosonem, qui Galliae superioris, quae Comata dicitur, accepit regnum; tertium, Hugonem Capito, qui fuit Dux inferieris Burgundiae.*

Idem, pag. 125, ad A. 923: *Illi pro Rodulfo, Richardi Iustitiarii filio, in Burgundiam transmiserunt, qui occyus cum multa suorum manu illis occurrit, et, Carolo trans Mosam fugiente, ipse Rex apud urbem Suessionicam constitutus est, et Boso, frater eius, Rex Galliae superioris, quae Comata dicitur, constitutus est, i. e. Burgundiae superioris, et Hugo* Capito, *Dux Burgundiae inferioris.*

21) *Frodoardus*, ad A. 923: *Rodulfus, filius Richardi, Rex, apud urbem Suessionicam, in monasterio S. Medardi, constituitur.*

Odorannus, apud *Pithoeum*, pag. 215: *Karolus* (Simplex) *Rex anno* 923. *Rodulfum, nobilem filium Richardi, Principis Burgundionum, una cum consilio Hugonis, magni Francorum Ducis, et Procerum Francorum, in regnum sublimavit.*

Frodoardus, ad A. 936: *Sub iisdem diebus Rex Rodulfus defungitur, sepelituque Senonis ad S. Columbam.* Conf. *Fragmentum Histor. Franc.* inter eiusdem *Pithoei XII.* Scriptores, pag. 514.

22) *Frodoardus*, ad A. 923: *Lotharienses illi* (Rodulpho, Regi Franciae occid.) *obviam iuxta Mosomum veniunt, et uxor ipsius, nomine Emma, Regis Roberti filia, Remis interim ab Seulfo Archipraesule consecratur Regina.* Conf. *Hugonis* Flavin. Chronicon Virdunense, ad A. 923.

Ipse *Rodulphus*, Rex Francorum, in Diplomate pro Coenobio S. Martini Aeduensi, apud *Mabillonium*, de re diplom. pag. 564: - - - *Rodulfus, Dei omnipotentis gratia et misericordia Rex* - - *ob amorem Dei, sanctique Martini, et remedium genitoris genitricisque nostrae, et nostrum, dilectaeque nobis Coniugis, Emmae, per cuius deprecationem egimus hoc praeceptum nostrae celsitudinis fieri. etc.* - - *Data 7. Idus Aprii. Indict. 12, anno I. regnante Rodulfo, Rege glorioso. Actum Cabillono in civitate etc.*

23) *Frodoardus*, ad A. 936: *Hugo, filius Roberti,*

Roberti, cum Hugone, filio Richardi, disperta inter se Burgundia, pacem facit.

Idem, ad A. 946: *Hugo, dux Francorum, ascito secum Hugone Nigro, filio Richardi, ceterisque regni primatibus, Ludovicum Regem, qui fere per annum in custodia detinebatur, apud Teibaldum Comitem in regnum restituit.*

24) Vita *Io. Gorziae*, Abbatis, apud *Labbeum* T. I. Biblioth. MSS. pag. 768: *Boso, quidam filius dudum principis Burgundionum, Richardi, partem aliquam regni sibi evindicans, castrisque se continens munitissimis, dominatum cuiusquam prorsus respuerat, Victoriacum Campaniae castrum obtineus etc.*

Frodoardus, ad A. 935: *Boso, frater Rodulfi, Regis, in expeditione obsidionis castri S. Quintini moritur, et delatus ad S. Remigium sepelitur.*

26) *Luitprandus*, Libr. II, cap. 18: *Dederat Rudulfus, Rex,* (Burgundiae, deinde et Italiae,) *Waldradam, sororem suam, tam forma, quam sapientia, quae nunc usque superest, honestam matronam, Conjugem Bonifacio, Comiti potentissimo, qui nostro tempore Camerinorum ac Spoletinorum extitit Marchio.*

27) *Luitbprandus*, Libr. IV. Histor. Cap. IV: *Cui* (Berengario II.) *Rex Hugo neptem suam, nomine Willam, quam ex Willa, uxore sua, Boso, Thusciae provinciae Marchio, Regis*

Regis frater (uterinus,) *genuerat, coniugem dedit.*

Idem, Libro IV, Cap. V: *Regis Hugonis frater, Boso, Willa, uxore sua cupidissima stimulante, adversus Regem nova quaedam et perversa molitus est agere. - - Quum Boso caperetur, Rex* (Hugo) *sumptis divitiis, uxorem eius quasi profanam, et sceleris totius auctricem, turpiter de regno Italicae praecepit expelli, atque in Burgundiam, de qua oriunda fuerat, duci.*

Conf. *Guichenon, Hist. de Savoye, pag.*

28) Idem *Luitbprandus*, Libr. IV, C. *Haec Willa*, (uxor Bosonis) *quum prolem virilem non haberet, quatuor habuerat natas, Willam, Bertham, Gislam, Richildam etc.*

PROBATIONES
ad Tabulam III.

29) *Hermannus Contractus*, ad A. 9 *Rudolfus, Rex Burgundiae, obiit; et Ru fus, filius eius, regni illius iura disposuit.*

Vrstisius, ad A. 912: *Ruodolphus, Burgundiae, obiit; pro quo Ruodolphus, fi regnavit annis 25.*

Frodoardus, ad A. 922: *Berengario, gobardorum Imperatore, regno ab optim fuis deturbato, Rodulfus, Cisalpinae Galliae ab ipsis in regnum admittitur.*

Idem,

Digitized by Google

Idem, ad A. 926: *Hugo, filius Bertae, Rex Romae, super Italiam constituitur, expulso Rodulpho, Cisalpinae Galliae Rege, qui regnum illud pervaserat.*

Chronicon Fartense, inter *Muratorii* scriptores rer. Ital. T. II, P. II, pag. 417: *Italienses autem Rodulphum, genere Burgundionum, ut e regno expelleret Berengarium, accersierunt. A quo victus est, et e regno Berengarius expulsus, regnumque sibi potentissime subiugavit Rodulphus. Qui cum sibi quidam Italienses exisierent rebelles, Burchardum, quendam Ducem, suumque socerum, associavit in auxilium. - - - Hic Hipporegiae lanceis confossus vitam finivit. Quod ut Rex Rodulphus audivit, Italiam reliquit.*

Sigebertus Gemblacensis, ad A. 924: *Rodulphus, Rex Burgundionum, ab Italiensibus ad regnandum contra Berengarium invitatus, conserta cum Berengario pugna, eoque victo et expulso, regnum tribus annis tenuit.*

Diploma Rudolphi, Regis Ital. et Burgund. Episcopo Bergomensi datum, exhibet *Ferd. Vghellus*, T. IV. Italiae sacrae, pag. 430, cuius haec est subscriptio: *Data 3. Non. Decembr. anno incarnationis Dominicae 922, Domini vero Rodulfi, piissimi Regis in Italia 1, in Burgundia XI. Indict. XI. Actum Papiae, in Dei nomine feliciter. Amen.*

Frodoardus, ad A. 936: *Rodulfus, Rex Franciae, Suessionis placitum cum regni primatibus*

bus habuit. Deinde locutus cum missis Henrici (Aucupis) ad eius properat colloquium; ubi etiam Rodulfus, Rex Iurensis, interfuit etc.

Witikindus, Libr. III. Annalium, ad A. 937: *Ipso hoc anno, Rudolphus, Rex Burgundiae, et Arnoldus, Dux Noricorum, obierunt.*

Hermannus Contractus, ad A. 937: *Ipso hoc anno, Rudolfus, Burgundiae Rex, defunctus, Agauni apud S. Mauricium sepultus. Filius eius, Conradus, regnum prò eo [illegible]*

Hic notandum est, duos eiusdem [illegible] fuisse in Gallia Reges, *Rudolphos*: quidem *Regem Franciae*, eumque [illegible] *chardi Iustitiarii*, Ducis Burgundiae [illegible] qui Rex Franciae A. 936. obiit, sepultus [illegible] ad S. Colombam; alterum, *Regem Iurensem Galliae Cisalpinae*, et per tres annos *Regem Italiae*, qui A. 937. vita functus, et Agauni S. Mauricium sepultus est. Ille A. 923. unctus, loco *Caroli Regis*; hic Patri *Rudolphi* A. 912, in regno successerat. Vtrique cognati, prout in *Tabula II.* indicamus. eorum nominum confusio non solum [illegible] oribus, sed et antiquioribus quibusdam ptoribus, occasionem labendi attulit, [illegible] tidem utriusque huius Regis res gestas, nealogiam, inter se commiscuerint.

30) et 31) *Albericus*, ad A. 92[illegible] *dulpho in augmentum potentiae hoc accessit potentissimi Suevorum Ducis, Burchardi*

nomine Bertham, sibi coniugio copularat: habuerat antea uxorem aliam, Emmam nomine, de qua tulit filium, Ludovicum, qui vivente patre decessit.

32) Conferatur *num.* 30, proxime praecedens; item *num.* 33, proxime sequens.

Frodoardus, ad A. 926: *Hugo, filius Bertae, Rex Romae super Italiam constituitur, expulso Rodulfo, Cisalpinae Galliae Rege; qui regnum illud pervaserat, et alteri feminae, vivente uxore sua, se copulaverat, occiso quoque a filiis Bertae,* (uxoris *Adelberti*, Marchionis Thuscorum,) *Burchardo, Alemannorum principe, ipsius Rodulfi socero, qui Alpes cum ipso transmearat, Italiam regni gratia recuperandi causa.*

Continuator *Reginonis*, ad A. 953: *Rex* (Otto M.) *natalem Domini Francofurdiae celebravit; indeque Alsatiam progrediens, Sorori suae, Bertae, matri scilicet Dominae Adelheid, Reginae, Abbatiam Merenstein dedit.*

33) Ipsa *Bertha*, Regina Burgundiae et Italiae, in *Diplomate* fundationis Paterniaci Monasterii, ex *Guichenoni* Bibliotheca Sebusiana, num. 1. Centur. I. pag. 27: - - *Ego Bertha, gratia Dei Regina, primum pro amore Dei, pro anima Domini mei,* (Mariti,) *beati Rodulphi, Regis, et pro anima filii mei, Burchardi, Episcopi, et eorum, quorum debitores sumus, et Othonis, gloriosissimi Regis, nec non pro anima filiae meae, Reginae, Adelheidae, et filiarum meorum,*

meorum, Conradi, ſereniſſimi Regis, et Rodulphi, Ducis, et pro me ipſa. etc. -- Data in die Martis Kal. Aprilis, anno XXIV. regnante Conrado, Rege. Actum vero Lauſona civitate. i. e. *anno* 966. Conferantur notae ad hoc diploma in Bibliotheca Sebuſiana.

Monachus Hamerslebienſis, apud *Leibnitium*, T. 1. rer. Brunſuic. pag. 708: *Otto, pergens Romam, duxit uxorem Adelheidam, relictam a Lothario, filio Hugonis, anno Domini* 952. *Papiae. Haec fuit filia Rodulphi, Regis Burgundionum, qui etiam in Italia regnavit, et Bertae, Reginae, Burcardi, Alemannorum Ducis, filiae; quam, defuncto Rodulpho, Rex Hugo duxit. etc.*

Hugo Flavin. in Chronico Virdunenſi, pag. 186: *Circa annum milleſimum Dominicae incarnationis diſſenſio maxima, poſt mortem Burchardi, Lugdunenſis Archiepiſcopi, qui hoc ſolum fecit nobile, quod periit, pro epiſcopatu ipſo, quem multi ſuperbe appetebant. Et primus omnium praedicti Burchardi nepos* (ex fratre, Conrado, Rege Burgundiae,) *Auguſtanus Epiſcopus, relicta propria ſede, procaciter Lugdunenſem arripuit, et poſt multas perpetratas nequitias captus a militibus Imperatoris, perpetuo condemnatus eſt exilio.*

Ex hoc loco intelligimus, quod etiam iam *Guichenonus*, in *Bibliotheca Sebuſiana*, *ad Centur.* I, *n. XIII*, *pag.* 49, animadvertit, duos Burchardos Burgundicae propaginis fuiſſe Archie-

Digitized by Google

Archiepiſcopos, Lugdunenſes: quorum primus, *Rodulphi II*, Burgundiae Regis, et *Berthae*, Reginae, filius fuit; ut ex fundatione Monaſterii Paterniaci patet: alter vero *Conradi Pacifici* filius, et *Rodulphi III*, Regis Burgundiae, frater, de quo *Hugo* Flavin. in Chronico Virdun. pag. 157: *In Lugdunenſi*, inquit, *Eccleſia promotus erat ad Epiſcopatum Burchardus, Rodulfi Regis frater, Conradi ex concubina filius:* (quamquam Hugo in notando tempore ibi fallat.) Horum iunior primum fuit Epiſcopus Auguſtanus; deinde Archiepiſcopus Lugdunenſis.

34) *Odilo*, in *vita Adelhaidis*, Coniugis Ottonis I, Imp. apud *Leibnitium* T. I. Script. rer. Brunſuic. pag. 264: *Adelhaidis, in Patris, Rudolphi uidelicet, nobiliſſimi Regis, et Domini Chuonradi, fratris, regni loco, videlicet Paterniaco, ubi matrem Reginam, vocabulo Bertham, Deo in omni humilitate devotam, ſepulturae tradidit, in honorem Dei Genitricis monaſterium condidit; et ſanctiſſimo patri, Maiolo, ſuisque ſucceſſoribus, ſua manificentia, et fratris ſui, Chuonradi Regis, praecepto, ordinandum perpetuo commiſit.*

35) Idem *Odilo*, pag. 262: *Haec Adelhaydis*, (Imperatrix) *regio ac religioſo ſtemmate orta, cum adhuc iuvencula eſſet, et ſextum* (lege, ex antiqua Canisii editione, *decimum ſextum*) *aetatis ſuae ageret annum, Deo donante adepta regale matrimonium, iuncta ſcili-*

cet Regi Lothario, Hugonis, ditissimi Regis Italici, filio.

Liuthprandus, Libr. IV, cap. 6: *Burgundionum Rex, Rodulfus, mortem obiit; cuius viduam, nomine Bertam, Rex Hugo, Alda, Lotharii Regis, filii sui, matre defuncta, maritali sibi coniugio sociarat. Sed et filio suo Regi, Lothario, Rodulfi et ipsius Berthae natam, nomine Adelheidam, tum forma honestissimam, tum morum probitate gratiosam, coniugem tulit. Quod Graecis omnibus non videtur idoneum etc.*

Conferatur *Albericus*, ad A. 936; item *Hroswitha*, in panegyrico Ottonis M. apud *Meibomium*, T. I. rer. Germ. pag. 720.

36) et 37) *Odilo*, in vita S. Adelheidis, Imperatricis, pag. 262: Haec *Adelhaydis, iuncta Regi Lothario, Hugonis, ditissimi Regis Italici, filio, ex cuius contubernio Filiam habuit, ex qua Lotharius, Rex Francorum, Ludowigum, Regem, genuit, qui, sine liberis mortuus, regio more Compendio dignoscitur fuisse sepultus.*

Auctor vitae *Mathildis*, Regina, apud *Leibnitium* T. I, pag. 203: *Tunc et venerabilis Regina, Adelheit, sic ait: - Nos natam habemus parvulam, nomine Hemmam, etc.*

Frodoardus, ad A. 966: *Lotharius, Rex* (Francorum) *uxorem accepit Emmam, filiam Regis quondam Italici.*

Diploma

Diploma *Lotharii*, Regis Francorum, quo is, petente *Emma*, coniuge sua, Mareolensi monasterio, prope Atrebatum sito, restituit certa praedia; apud *Miraeum*, Libr. I. diplom. Belgicorum, Cap. 22: - - *Divina praeordinante gratia Francorum Rex, Lotharius, - - quoniam nostrae dignitatis praesentiam dilecta coniux nostra, Emma, adiens, nobis retulit. - - Datum Lauduni Clavati, anno 977.*

38) et 39) *Hugo Flaviniacensis*, in Chronico Virdunensi, P. I, post A. 981; apud *Labbeum*, Biblioth. MSS. T. I. pag. 157: *Lotharius, Rex Francorum, habuit uxorem, Emmam, Lotharii, Regis Italiae, et Adelheidis, post Imperatricis, filiam; ex qua suscepit filium, Ludovicum, qui adhuc puer Blanciam duxit uxorem. - - Mortuo Lothario, Ludovicus filius, succedit, et in primano flore iuventutis obiit, in quo defecit generatio Regum ex familia Caroli M. et succedit ex alia familia Hugo Rex.*

Odorannus, apud *du Chesne*, T. II. Hist. Franc. pag. 638: *Anno 986, obiit Lotharius, Rex, commisso filio suo, Ludovico, iuvene, Hugoni Duci, una cum regno. - - A. 987. obiit Ludovicus, Rex, iuvenis, qui nihil fecit.*

Wilh. Nangius, in Chronico, inter *Pithoei XII.* scriptores, pag. 210, ad A. 986: *Lotharius, Rex Franciae, plenus dierum obiit, et Remis in Ecclesia S. Remigii sepultus est, Hugoni Capet cognato suo commendans filium, Ludovicum iuvenem, qui post eum regnavit.*

Digitized by Google

Idem *Nangius*, ad A. 987: *Ludovicus, Rex Francorum, ſine herede moritur, et apud Compendium in Eccleſia SS. Martyrum, Cornelii et Cypriani, ſepelitur.*

Conferatur *Albericus*, ad A. 986, et 987.

40) Vide locum ex *Monacho Hamerslebienſi*, ſupra, num. 33, citatum.

Continuator *Reginonis*, ad A. 951: *Rex Otto* (Magnus) *in Italiam ire volens, multo ſe ad hoc iter apparatu praeſtruxit, quomodo Adelhaidam, viduam Lotharii, Regis Italici, filiam Rudolphi Regis, a vinculis et cuſtodia, qua a Berengario tenebatur, liberare, ſibique eam in matrimonium aſſumere, regnumque cum ea ſimul Italicum adquirere poſſet, deliberavit. -- Mox ſubſequenter Rex regnum Italicum ingreditur, Deoque ſibi aſſiſtente, totius Italiae poſſeſſor efficitur. Sed et Domina Adelheid, Deo amabilis Regina, ſua ipſius prudentia a cuſtodia eſt liberata, et Ottoni, Regi, felici, Deo auſpicante, copula coniuncta.*

Frodoardus, ad A. 951: *Otthо Rex Italiam adiit. - - Vxorem quoque Lotharii, Regis defuncti, filii Hugonis, ſororem Chonradi, Regis Iurenſis, ſibi coniugem ducit.* Conferantur *Annales Hildesheimenſes*, ad A. 951:

Ditmarus Reſtitutus, pag. 333: *Debinc* (*Otto M.*) *Romam armato petens milite, eiusdem cives ſibi reſiſtentes bis vicit, urbemque glorioſus intravit; inſuper benedictionem a Domino Apoſto-*

Digitized by Google

Apostolico, Iohanne, cuius rogatione huc venit, cum sua Coniuge, anno regni eius XXIX. promeruit imperialem.

41) Auctor vitae *B. Mathildis*, Reginae, apud *Leibnitium*, pag. 201: *Praefatam vero Dominam Adelheidam gaudens secum duxit (Otto M.) per civitates Latinorum. - - Illi autem, per longum tempus regni solium possidentes, gratia Dei fecundabantur Sobole regali: primo procreabant puellam, inclytae Reginae Mathildis vocabulo dictam, quam Rex Otto coniunxit Quitilingeburc, contubernio Sactimonialium, iuxta Matris votum.*

Alia scriptorum loca ad *Mathildem* pertinentia passim in hac dissertatione excitata invenire licet.

42) *Witikindus*, Libr. III. Annal. pag. 652: *Nati sunt autem Regi filii ex serenissima Regina: primogenitus, Henricus; secundus, Bruno; tertius Otto, paterni nominis maiestate designatus, quem iam, post patrem, Dominum ac Imperatorem universus sperat orbis*; Filiam *quoque, sanctae Matris eius* (Mathildis) *vocabulo insignitam.*

Monachus Hamerslebiensis, apud *Leibnitium*, T. I, pag. 708: - - *Adelheidis Imperatrix filios genuit Ottoni: primus fuit Henricus; secundus Bruno; tertius, Otto, quem populus iam tunc sperabat Dominum; filiamque, nomine Adelheidam.* (Mathildem.)

Necrologium Fuldense, in *Schannati* Codice Probat. Histor. Fuld. pag. 473 : A. 957. *Brun, parvus filius Regis*, 6. *Id. Septembr.*

43) *Albericus*, ad A. 955 : *Eodem anno natus Imperatori, Ottoni, secundus Otto, ex supradicta Regina, Adelheida, Regis Burgundiae, Rodulphi, filia.*

Continuator *Reginonis*, ad A. 961 : *Rex in Italiam ire disponens, maximam suorum fidelium multitudinem Wormatiae coadunavit; ubi consensu et unanimitate regni procerumque totiusque populi, filius eius, Otto, eligitur. Indeque progrediens convenientia quoque et electione omnium Lothariensium Aquis Rex ordinatur.*

Otto I. Imp. in Epistola ad Hermannum et Thiadericum, Duces, in *Witichindi* Libr. III, pag. 661 : *Filius noster* A. 967 *in nativitate Domini coronam a beato Apostolico in Imperii dignitatem suscepit.*

Necrologium Fuldense, pag. 475 : A. 983 *Otto Imperator Augustus, VII. Id. Decemb.*

44) Diploma *Ottonis II*, Imp. in quo is A. 972 uxori *Theophaniae* constituit dotem; in *Leuckfeldii* Antiquitatibus Poeldensibus, pag. 207 : - - *Vnde et ego Otto, superno Numine Imperator Augustus, - - consultu magni et sanctissimi Genitoris nostri, Ottonis, piissimi Imperatoris Augusti; denique et Sanctae Ecclesiae, Imperii quoque nostri fidelium. Theophanu, Iohannis, Constantinopolitani Imperatoris, neptem clarissi-*

Digitized by Google

clariſſiman, in maxima Romulea urbe, ſancto ſummoque eccleſiarum principe, B. Petro Apoſtolo, votis noſtris favente, Dominique Iohannis, ſanctiſſimi et univerſalis Papae tertii decimi, benedictione proſequente, in copulam legitimi matrimonii, conſortiumque Imperii, deſpondere, ac fauſto et felici auſpicio, Chriſto propitiante, Coniugem decrevit aſſumere. - - Data XVIII. Kal. Maii, anno Dom. incarn. DCCCCLXXII. etc.

Conferatur *Albericus*, ad A. 972.

Ditmarus Reſtitutus, pag. 350: *Anno Dom. incarn.* 990, *Sol defecit, Kal. Novembr. - - Inſequenti anno, conſummato in bonis vitae ſuimet curſu, in Numagen, Theophanu infirmatur Imperatrix, atque ab hac uita XVII. Kal. Iulii diſcedit.* etc.

45) Solet etiam *Adelheidis*, Abbatiſſa Eſſendienſis, liberis *Ottonis M.* adſcribi; ſed teſtimonia, quae hanc in rem adferuntur, nobis minus idonea videntur. *Probationes* Sobolis *Ottonis II*, Imp. remittimus ad *Stemmatographiam Auguſtam Saxoniae*, ſupra laudatam.

46) Vide Diploma *Berthae*, Reginae Burgundicae, ſupra, *num.* 33, pag. 26. citatum, ubi ipſa inter ſuos et *Rudolphi* Regis liberos connumerat, *Conradum*, *Regem Sereniſſimum*, utpote iam tum anno XXIV. regnantem, *h. e.* A. C. 966; et *Rudolphum*, Ducem.

Cetera loca, huc pertinentia, uide paullo poſt ad *Tabulam IV.*

 47) Do-

Digitized by Google

47) Donatio *Conradi*, Regis Burgundiae Transiuranae, Monasterio Paterniaci facta, in *Guicheroni* Bibliotheca Sebusiana, Centur. I, num. LXXXII: *Chuenradus, divina Numinis largitione Rex. - - Nos, una cum matre nostra, Bertha, ac fratre nostro, Rodulfo, inspirante pietate divina, et pro remedio animarum nostrarum, ac Parentum nostrorum, donavimus Ecclesiae S. Mariae Paterniaci, nostrum Alodem, et carras. - - Haec omnia cum ceteris dotalitiis, quae circumquoque adiacent, per interventum praelibatae nostrae matris, ac fratris nostri, Rodulfi, et sororis, Aleidis auctoritatem nostri praecepti paginam, corroboravi. - - Data VI. Idus Aprilis, anno incarnat. Dominii nostri Iesu Christi DCCCCXXXII, regnante Domino nostro Conrado Rege XXII, Lausanna civitate feliciter. Amen.*

Berthae, Reginae Burgundiae, *chartā fundationis Monasterii Paterniaci*, in *Guich.* Bibliotheca Sebusiana, *Centur.* I, num. I: *Ego Bertha, dono Dei Regina. - - consentibus filiis meis, Conrado, gloriosissimo Rege, nec non et Rudolpho Duce, de propria donatione, ipsum opidum Paterniacum,* (Payerne) *cum omnibus rebus ad ipsum pertinentibus. Signum Dominae Berthae, quae hanc traditionem cum manibus filiorum suorum Conr. Regis, Rodolphi Ducis, subtus confirmavit. - - Conradi, filii Regis. - - - Data in dictis, Kal. April. anno 24. regnante Conrado Rege etc.*

PRO

PROBATIONES
ad Tabulam IIII.

48) *Frodoardus*, ad A. 937 : *Rodulfus, Iurensis ac Cisalpinae Galliae Rex obiit : cui filius parvus, Conradus, in regno succedit.*

Hermannus Contractus, ad A. 937 : *Ipso hoc anno Rudolfus, Burgundiae Rex, defunctus Agauni apud S. Mauricium, sepultus est; filius eius, Conradus, regnum pro eo suscepit.*

Idem, ad A. 993 : *Conrado, Rege Burgundiae, mortuo, et apud S. Mauricium sepulto, Rudolfus, filius, licet Ignavus, regium ibi nomen per annos circiter 38. occupavit.*

49) *Hugo*, Abbas Flavin. in Chronico Virdunensi, pag. 185 : *Conradus, Burgundiae Rex, accepit uxorem, Mathildem, sororem Lotharii Iunioris, Regis Francorum; et data est ei a Lothario in dotem Lugdunum, Civitas Galliarum nobilissima. Ex illa Mathilde genitus est Rudolfus (III) Rex, qui praefuit Burgundiae, post patrem etc.*

Idem *Hugo*, pag. 134 : *Ludovicus, Rex Francorum, eodem anno (954) moriens, duos dimisit liberos, Lotharium et Carolum, quos genuit ei Gerberga, soror Ottonis, Imperatoris. - - - Lotharius Mathildem, sororem suam, despondit Conrado, Regi Burgundiae, et in dotem ei dedit Lugdunum, quae sita est in termino regni Burgundiae, et erat tunc temporis iuris*

Digitized by Google

regni Francorum. De hac Mathilde genitus est Rodolfus, Rex Burgundiae, qui post patrem suum, Conradum, suscepit Burgundiae regnum. etc.

Albericus, ad A. 986: *Regnat in Burgundia quidam Rex, nomine Conradus, nepos ex filio superioris Regis, Rudolphi (I) Huic ergo Conrado Rex Francorum, Lotharius, dederat sororem suam, Mathildem*, et *cum ea civitatem Lugdunensem, in matrimonium; de qua Mathilde Conradus iste genuit Rudolphum secundum* (tertium,) *et sororem suam, Gepam, matrem imperatricis, Gisilae.*

Genealogia B. Arnulfi, inter *Pithoei XII.* Scriptores, pag. 223: *Girberga, soror Hadewidis superioris, genuit Lotharium, Regem Franciae, et Karolum Ducem, Mathildam, et Altradam, fratres et sorores.*

50) *Albericus*, ad A. 986. loco paullo ante sub *num.* 49) annotato: - - - *de qua Mathilde Conradus iste* (Rex Burgundiae) *genuit Rudolphum secundum* (III,) *et sororem suam Gepam, matrem Imperatricis, Giselae.*

Diploma Donationis, Monasterio Agaunensi a *Rodulpho*, Burgundiae Rege, A. 993. factae, in *Guichenoni* Bibliotheca Sebusiana, Centur. I, num. III: *Rodulphus Rex - - quoniam venerabilis Archiepiscopus Lugdunensis, qui est Agaunensis Abbatiae Praepositus, nostrum adiens prospectum, rogavit suppliciter, ut pro anima serenissimi Patris nostri, Conradi, sicut idem distribuerat,*

Digitized by Google

buerat, Pulliacum, villam, in eadem Abbatia Deo famulantibus per praeceptum concederemus. etc. - - - Dat. anno incarnationis Domini 993, *regni vero Domini Regis I. Acta in Siaco, pridie Kal. Aprilis.*

Albericus, ad A. 1020: *Rodulphus, Rex Burgundiae, insolentiis Burgundionum irritatus, regnum Burgundiae Henrico (II,) Imperatori, tractat dare; sed eum ab hac intentione revocat simulata Burgundionum satisfactio etc.*

Hermannus Contractus, ad A. 1032: *Rudolfus Ignavus, Burgundiae Regulus, obiit; et diadema eius, regnique insignia, Conrado, Imperatori, per Seligerum allata sunt.*

Sigebertus Gemblacensis, ad A. 1034: *Burgundionibus non desistentibus a consueta contra Regem suum insolentia, Rex Rodulphus regnum Burgundiae Conrado Imperatori tradidit, quod a tempore Arnulphi Imperatoris per annos plusquam centum et triginta gentis suae Reges tenuerant; sicque Burgundia iterum redacta est in provinciam.*

51) Diploma *Rudolphi*, Regis Burgundiae Transiuranae, quo A. 994, confirmavit ea, quae *Conradus*, Pater eius donaverat Monasterio S. Andreae Viennensis: apud *D'Achery*, *T. III. Spicilegii*, *pag.* 380: - - *Rudulfus Rex. - - Venerabilis Abbas, Haimonius, de monasterio S. Andreae Apostoli, in civitate Vienna siti, - - ante praesentiam nostram praeceptum patris*

patris noſtri deferens poſtulavit, ut res, quae in ipſo ad praefatum monaſterium a ſe iamdudum reſtauratum delegatae erant, pro animae Matris noſtrae, Mathildis, Reginae, remedio, ac ſuae, noſtrae auctoritatis praecepto, - corroborare dignaremur. - - Nos vero non ſolum in hoc ei aſſenſum praebentes, ſed inſuper per conſilium dilectae Coniugis noſtrae, Agildrudis, ac Fratris noſtri, Burchardi, Lugdunenſis Archiepiſcopi, quandam villam Criſinciatus nominatam, -, - S. Andreae, ſanctoque Maximo, reddimus, et concedimus. - - Data 2 Idus Ianuarii, anno incarnationis Domini 994, Indict. 5, anno vero Domni Rodulfi Regis primo. Actum Vigennae etc.

Diploma Fundationis Abbatiae S. Victoris Genevenſis, in *Guichenoni* Bibliotheca Sebuſiana, Centur. 1, num. XIII: - - *In feſtivitate ipſius Martyris, Seniore noſtro, Rodulpho, Domna quoque Regina, Egildrude, maximo etiam conventu Epiſcoporum, Comitum, et aliorum Religioſorum, et nobilium Virorum congregato communi conſilio, ſtatuimus etc. - - memorandum Clunienſis coenobii Abbatem, Odilonem, ad hoc peragendum evocavi, et permiſſione Rodulphi, Regis, conſenſu etiam fratris eius, Burchardi, Lugdunenſis Archiepiſcopi, - - - praedictum locum S. Martyris Victoris, eius ordinationi commiſi.*

52) *Diploma Rodulphi*, Regis Burgundiae, de Talueriis; in *Guichenoni* Bibliotheca Sebuſiana. Cent. 1, num. XLIV: *Rodulphus, divina*

Digitized by Google

divina favente gratia Rex. - - notum sit omnibus, Dei, Ecclesiae, et nostris fidelibus, natis et nascituris, qualiter ob animae nostrae remedium, et petitione Irmingardis, Reginae, coniugis nostrae dilectae, et Burchardi, Archiepiscopi, fratris nostri, et Burchardi, Viennensis Archiepiscopi, ceterorumque nostrorum fidelium, damus in pago Albanensi Taluerias villam cum appendiciis suis, - - - ita, [redacted] in nostra tuitione, et Irmingardis Reginae, et successorum nostrorum Regum, permaneat.

Albericus, ad A. 1020: - - *Eiusdem Rodulfi, Regis Burgundiae, uxor Regina Ermengardis dicta est.*

Diploma, quo *Rudolphus*, Rex Burgundiae, approbat et auget, quae Parentes eius dederant monasterio S. Andreae; apud *D'Achery*, T. III. Spicileg. pag. 386: *Ruodulfus, divina providentia serenus Rex - - petente Irmingarde, Regina, coniuge nostra carissima, nec non Burchardo, Archiepiscopo, fratre dilectissimo, - - reddimus monasterio S. Andreae in civitate Viennensi constructo, - Ecclesiam, - - ut, sicut pater noster memoriae bonae, Chuonradus, Rex, et mater nostra, Matbildis, pro anima sua illud dederunt, ita nos, pro anima nostra, illuc reddamus. - - - Data pridie Idus Aprilis, anno incarn. Dom.* MXV. *regnante Domino Ruodolfo, Rege, anno vicesimo. Actum Aquis.*

53) *Genealogia B Arnulphi*, Metensis Episcopi,

copi, inter *Pithoei* XII scriptores, *pag.* 224: *Mathildis, soror Lotharii, Regis Franciae, et Karoli, Ducis, genuit Rodulphum, Regem Burgundiae, Bertam, Guepam, et Mathildam. Horum Berta genuit Othonem, Comitem Campanensem. Hic Otho genuit Theobaldum, Comitem. Theobaldus genuit Stephanum, Othonem, Hugonem, fratres Comites. Guepa, soror Berthae et Mathildis, genuit Giselam, uxorem Regis, Conradi. Haec habuit ex Conrado Henricum, Imperatorem tertium. Hic Henricus genuit Henricum quartum Imperatorem, Caesarem Augustum, ex Agnete. Mathildis soror Guepae et Berthae, genuit Arnulphum, Comitem Flandrienſem, Godefridum Ducem, Gozelonem, Ducem, fratres. Horum Arnulphus genuit Balduinum. etc.*

54) *Hugo Flaviniacensis*, *P. I* Chron. Virdunensis, pag. 134: *Bertam, Conradi*, Regis Burg. (filiam) *accepit Odo, Thetbaldi Carnotensis*, (Comitis) *filius; ex qua genuit Odonem, qui apud Barrum obiit. Tetbaldus enim Carnotensis, cuius cognomen fuit Tricator, qui Wilhelmum Normannorum dolo interfecit, ex sorore Heriberti, Trecorum Comitis, genuit hunc Odonem, qui Bertam accepit, ex qua natus est Odo, qui apud Barrum obiit.*

55) Idem *Hugo*, *pag.* 185: *Lacrymabile bellum apud Bar castrum habitum, anno incarn. Dom* 1037: *in quo cecidit Odo, filius Odonis, filii Tetbaldi, Carnotensis, cuius cognomen fuit Tricator. - - Conradus, Burgundiae Rex, accepit uxorem Mathildem, sororem Lotharii iunio-*

Digitized by Google

iunioris, Regis Francorum. - - Ex illa Mathilde genitus est Rodulfus Rex, qui praefuit Burgundiae post patrem; - - et Berta etiam, quam accepit Odo Carnotensis, ex qua genuit hunc Odonem. - - Rodulpho defuncto, et Conrado regno potito, Odo, quia erat ex sorore Rodulfi, sumta tyrannide, ad regnum coepit adspirare etc.

Hermannus Contractus, ad A. 1032: *Imperatore ipsis diebus contra Misiconem Sclavorum, qui Boloni vocantur, Regem, exercitum ductante, Odo, Sororis Rudolfi filius, princeps Gallicae Campaniae, regnum Burgundiae invasit.*

Hepidannus, ad A. 1032: *Rege Ruodolfo defuncto, Vto, filius sororis suae, regnum Burgundionum, tanquam hereditatem patrum suorum, valida manu affectavit, et aliqua municipia capta custodiis suis munivit, Imperatore per idem tempus Pulanis Slavis bello insistente.*

Wippo, de vita Chunradi Salici, inter *Pistorii VI.* Scriptores, pag. 438: *A. Dom.* 1032, *Rudolphus Rex Burgundiae, avunculus Giselae, Imperatricis, obiit in pace; cuius regnum Comes Odo, Francigena, filius sororis suae, invasit. - - Neque se Regem ausus est facere; nec tamen regnum voluit dimittere. Referebat quidam, illum dixisse saepe, quod nunquam Rex fieri, sed tamen semper magister esse Regis vellet etc.*

56) *Albericus*, ad A. 1005: *Facta est hoc anno Turonis maioris Monasterii restauratio per Odonem,*

Odonem, Campanienſem Comitem, et uxorem eius, Comitiſſam Turonenſem, Ermengardem.

57) *Wippo* de vita Conradi Salici inter *Piſtorii* ſex ſcriptores, pag. 428: *Regis Conradi coniux, Giſela, prudentia et conſilio viguit; cui pater erat Herimannus, Dux Alemanniae; Mater eius, Kerbirga, filia Conradi, Regis de Burgundia fuit, cuius parentes de Caroli Magni ſtirpe proceſſerant; unde quidam de noſtris - - duos verſus hoc edidit modo:*

Quando poſt decimam numeratur linea quarta,
De Carolo Magno procedit Giſela prudens.

Genealogia B. Arnulphi, pag. 224: - - Guepa, ſoror Berthae et Mathildis, genuit Giſelam, uxorem Regis Conradi. Confer ſupra, num. 53)

58) *Hermannus Contractus*, ad A. 997: *Conradus, Alemannorum Dux, obiit, et pro eo Herimannus (H) Ducatum accepit; qui et ipſe filiam Conradi, Regis Burgondiae, Gerbirgam, in matrimonio habuit; ex qua filium aequivocum,* (Hermannum III.) *tresque filias, reliquit.*

Odilo, in vita Adelheidis, Auguſtae, pag. 269: *Eo tempore, quo beata Adelheidis migravit a ſaeculo, Herimannus, Dux Sueviae, qui fratris illius, Chuonradi, filiam in coniugium acceperat, hereditario iure res ancillae Dei ad monaſterium pertinentes occupare volebat.*

Chronica

Digitized by Google

Chronica Auſtralis, apud *Freherum*, T. I. rer. Germ. ad A. 1004: *Herimannus Dux obiit; pro quo filius eius, Hermannus, ſucceſſit in Suevia.*

Conferatur *Adelboldus*, in *vita Henrici S.* Cap. 42, ad A. 1004.

59) *Hermannus Contractus*, ad A. 1004: *Herimannus (II,) Dux Alemanniae, obiit, eique filius eius, Herimannus (III,) puer omni populo acceptabilis in Ducatu ſucceſſit.*

Idem, ad A. 1012: *Herimannus (III,) Alemanniae Dux defunctus, Ernuſtum, ſororis ſuae, Giſelae maritum, ſucceſſorem accepit.*

Chronicon Quedlinburgenſe, T. II. Script. rer. Brunſuic. ad A. 1012: *Obiit Hermannus, puer et dux, Regis conſobrinus.*

60) *Genealogia B. Arnulfi*, pag. 644: *Guepa, ſoror Berthae, et Mathildis, genuit Giſelam, uxorem Regis Conradi.* Conferatur ſupra *num.* 53)

Wippo, l. c. pag. 428: *Super omnes, dilecta Regis coniux, Giſela, prudentia et conſilio viguit; cui pater erat Herimannus, Dux Alemanniae; mater eius Kerbirga, filia Conradi, Regis de Burgundia, fuit.*

Necrologium Fuldenſe, pag. 768: 1043. *Gisla, Imperatrix Auguſta*, 16. *Kal. Martii.*

Digitized by Google

Hermannus Contractus, ad A. 1043: *Giſela, Imperatrix, mater Henrici Regis, - - 16. Cal. Martias, deceſſit, et Nemeti iuxta maritum Imperatorem ſepulta eſt.*

61) *Herm. Contract.* ad A. 1012: *Herimannus, Alemanniae Dux, defunctus, Ernuſtum, ſororis ſuae, Giſelae, Maritum, ſucceſſorem accepit.*

Idem, ad Annum 1015: *Ernuſt, Dux Alemanniae, in venatu ab Adalberone Comite feram appetente, ſagitta vulneratus interit, et Ducatum eius filius aequivocus - - - accepit.*

Ditmarus Reſtitutus, pag. 403: *In his diebus feſtivis, Erneſtus, inclytus Alemaniae Dux, pueri ſucceſſor Herimanni, cum in ſilva quadam venaretur, - - vulneratur - - mox de luce hac 2. Cal. Iunii diſceſſit, ſepultus Wirceburg, iuxta patrem ſuum, Marchionem Luipoldum.*

62) *Otto Friſingenſis*, Libr. VI, Chron. cap. 28, pag. 132: *Haec* (Giſela) *primum Ernuſto, Duci Suevorum, fratri Alberti, ſuperioris Pannoniae Marchionis, nupta fuit, geminosque ex eo filios, Ernuſtum et Hermannum, ſuſcepit; quo mortuo, Conradam hunt, de quo agimus, accepit.* Confer. *Albericus*, ad A. 1024.

Idem *Hermannus Contr.* ad A. 1030: *Ernuſt, Dux, cum exilio relaxatus Ducatum ſuum recepiſſet, privatorum conſilio uſus, et denuo Impera-*

Digitized by Google

Imperatori refragatur, Ducatu privatur, et frater eius iunior, Herimannus, Dux Suevorum efficitur. - - Interim in Alamannia cum Ernuſt, pridem Dux, eiusque complices, - - praedis circa ſilvam Martianam populares infeſtarent, - - 16. Kal. Septembr. conſerto proelio, victi ſunt. - Et Ernuſt Conſtantiae, Manegoldus vero Augiae, ſepulti ſunt.

Wippo, ad A. 1038, pag. 442: *Filius Imperatricis*, (Giſelae,) *Hermannus, Dux Alemannorum, iuvenis bonae indolis, et in rebus bellicis ſtrenuus, eadem peſte gravatus, inter manus peritiſſimorum medicorum, 5. Calend. Auguſti, non ſine magno imperii detrimento, obiit.*

63) *Hermannus Contractus*, ad A. 1015: *Ernuſt, Dux Alemanniae, in venatu - - vulneratus interiit: et Ducatum eius filius aequivocus; viduam vero, Giſelam, Conradus, filius Henrici, filii Ottonis Ducis, futurus poſtea Imperator, accepit.*

Conferatur locus *Ottonis Friſingenſis*, paullo ante, *num.* 62, annotatus.

Herm. Contractus ad A. 1024: *Cum Conradus ſenior, filius Heinrici et Adelheidae, et patruelis eius, Conradus, filius Conradi Ducis ex Mathilde, ad regnum praecipue adniterentur; habito apud villam Kambam Principum conventu, ſenior Conradus Rex promotus, et ab Aribone, Archiepiſcopo Moguntiaco, unctus eſt 6. Id. Septembr. Nec multo poſt uxor*

eius, Giſela, a Piligrino, Archiepiſcopo, Coloniae, Regina nihilo minus benedicta 2. Calend. Octobr.

Wippo, pag. 433: *Rex Chuonradus, Romam ingreſſus, anno* 1027, *Indictione X, a Papa Iohanne, et univerſis Romanis, regio honore mirifice receptus eſt; et in die S. Paſchae, qui eo anno 7. Cal. April. terminabatur, a Romanis ad Imperatorem electus, imperialem benedictionem a Papa Juſcepit. - - Quin etiam Regina, Giſela, Imperatricis conſecrationem et nomen ibidem accepit.*

Albericus, ad A. 1039: *Pridie Nonas Junii Imperator Conradus obiit etc.*

64) Idem *Albericus*, ad A. 1040: *Henricus, Imperatricis Giſelae filius, qui patre vivente regnare coeperat, ipſo mortuo ſolus regnavit.*

Charta Friſingenſis, in *Hundii* Metropoli Salisburgenſi, T. I. pag. 142: *Chunradus, divina favente clementia Romanorum Imperator Auguſtus - - nec non dilectae conteſtalis noſtrae Giſelae, Imperatricis Aug. et charae ſobolis noſtrae, Regis videlicet Hainrici, Imperatoris. - - Data 5. Id. Martii, Indict. XII, anno Dom. incarn. 1029, anno Domini Chunradi II, regni vero V, Imperii vero II. actum Friſingen.*

Diploma Monaſterio Goslarienſi A. 1050. datum, apud *Leuckfeldium*, in Appendice Antiquitatum Poeldenſium, pag. 277 - - *Hainricus, divina favente clementia Rex. - - Qua-*

liter

Digitized by Google

liter nos ob aeternam Noſtri, noſtrique thori ac regni conſortis, ſcilicet Agnetis, Imperatricis Auguſtae, commemorationem; nec non pro ſalvatione beatarum animarum, fel. memor. Conradi, Imperatoris, noſtri quidem Anteceſſoris, et Patris, atque Matris noſtrae, Giſelae etc.

Monachus Hamerslebienſis, de geſtis Imperatorum, apud *Leibnitium*, T. I. Script. rer. Brunſuic. pag. 709. *Henricus III, Conradi filius, ſucceſſit Patri, iamdudum Rex ab eodem conſtitutus, annis* 17.

Continuator Hermanni Contr. ad. A. 1056: *Henricus, Imp. - - morbo ingraveſcente infirmatus, obiit, anno aetatis ſuae* 39, *regni vero* 18, *Imperii* 15, *Indict.* 10. *etc.*

65) *Diploma*, quo *Conradus* Salicus pagum Veteraviae Eccleſiae Vormatienſi tradidit; apud *Guillimannum*, in Commentar. de Epiſcopis Argentinenſibus, pag. 16: - - *Cunradus, divina favente clementia Romanorum Imperator Auguſtus. - - Qualiter nos per Dei amorem, et ſempiternam memoriam noſtri, et dilectae Coniugis noſtrae, Giſelae, Imperatricis, et filii noſtri Heinrici, Regis, filiae quoque noſtrae, Beatricis; imo etiam pro remedio parentum noſtrorum, avunculi noſtri, Ducis Conradi, eiusque Coniugis dignae memoriae, Mathildis; ſororis etiam noſtrae, Iuditbae, S. Petro in Vormatia - donavimus praedium, quodcunque in Affalterbach uiſi fuimus habere, ſitum in pago Vvetereiba, in comitatu Ottonis Comitis. - - Datum* 2. *Kal.*

Febr. Indict. 2, *anno Dom. incarn.* 1034, *anno autem Domini Conradi secundi regnantis* 10, *Imperatoris vero* 9. *etc.*

Auctori *Chronici Quedlinburgensis*, apud *Leibnitium*, T. II. Script. Brunsuic. pag. 296, *haec Beatrix adhuc anno* 1025. dicitur *unica filia Conradi Regis*; quia nempe tunc nondum nata erat altera Conradi huius *filia*, *Mathildis*.

66) Auctor *Magni Chronici Belgici*, *pag.* 104: *Cum Adelboldus*, *Episcopus Traiectensis*, *defunctus esset*, *et quotidianus tumultus in electione novi Pastoris fieret*, *Conradus*, *Rex*, *Traiectum descendit ad supprimendam discordiam*, *adducens secum Giselam*, *Reginam*, *uxorem suam decentissimam. Sed quia eadem Regina diebus illis erat gravida*, *quinimo puerperio proxima*, *Rex eam reliquit in pago Oesterbie*, *apud Presbyterum*, *cui Barnulpho proprii nominis erat vocabulum.* - - - *Interea Regina nobilis elegantis formae parturivit infantem*, *transmittens Regi nova gaudia per Barnulphum sacerdotem.* - - *Anno Domini* 1027.

Wippo, *pag.* 425, ad A. 1034: *Eo tempore filia Imperatoris*, *Cunradi*, *et Giselae*, *Imperatricis*, *Mathilda*, *nimium formositatis puella*, *Henrico*, *Regi Francorum desponsata*, *Wormatiae obiit*, *ibique sepulta est.*

67 et 68) Auctor vitae B. Adalberonis II, Episcopi Metensis, in *Labbei* Biblioth. MSS. T. I, pag. 674: *Dominus Otto*, *Dux*, *pater ipsius*

Digitized by Google

ipſius venerabilis Conradi Ducis, nobis conſedentis, natus ex filia magni Ottonis eſt: cuius ſoror Girberga, dedit filiam ſuam Conrado, Burgundionum Regi. Ex *Conradi autem filia,* (Gerberga,) *nata eſt domina Mathildis, huius Conradi aſſidentis uxor.*

Wippo, de vita Conradi Salici, pag. 425: *Iunioris Chunonis mater, Mathilda, de filia Conradi, Regis Burgundiae,* (Gerberga, uxore Hermanni II, Ducis Alamanniae,) *nata fuit.*

Hermannus Contr. ad A. 1012: *Conradus, Dux, filius Othonis, obiit.*

Necrologium Fuldenſe, apud *Leibnitium*, *pag.* 766: 1011. *Conradus, Dux II Id. Decembr.*

69) *Hermannus Contractus*, ad A. 1012: *Conradus, adoleſcens, filius Conradi, quondam Ducis Carentani, auxiliante patruele ſuo, Conrado* (Salico,) *poſtea Imperatore, Adalberonem, tunc Ducem Carentani, apud Vlmam pugna victum, fugavit.*

Idem, ad A. 1024: *Cùm Conradus Senior,* (Salicus,) *filius Henrici et Adelheidae, et patruelis eius, Conradus, filius Conradi Ducis ex Mathilde, ad regnum praecipue adniterentur, habito apud villam Kambam Principum conventu, ſenior Conradus Rex promotus etc.*

Annales Hildeshemenſes, ad A. 1039: *Chuonradus, Carentinorum Dux, patruelis Chon-*

Digitized by Google

radi, Imperatoris, 13. Kal. Aug. immatura morte, regio morbo diu fatigatus, diſceſſit.

70) Wippo, pag. 434: Chuno, Dux Wormatienſis, patruelis Imperatoris, (Conradi Salici,) nec fidus Imperatori, nec tamen multum noxius illi, interim quietus manebat. Fridericus, Dux Lotharingorum, vitricus praedicti Chunonis, Imperatori inimicando morte propria praeventus eſt.

71) Genealogia B. Arnulphi, pag. 222: Fredericus, Dux (Lotharingiae,) genuit Beatricem, et Sophiam: Beatrix genuit Mathildem ex Bonifacio. Sophia genuit Theodoricum de Monconz, et Fredericum, fratres.

Otto Friſingenſis, Libr. VI. Chron. cap. 33: Imperator (Conradus) rurſus Italiam ingreſſus, Beatricem, Mathildae matrem, conſanguineam ſuam, marito ſuo, Bonifacio, Marchione, defuncto, ſecum duxit.

72) Reſpice proxime praecedentem num. 71)

73) Hermannus Contr. ad A. 995: Henricus, Dux Baioariae, obiit; et filius eius ex Giſela, Conradi, Regis Burgundiae, filia, itidem Henricus, Imperator poſtea futurus, Ducatum interim obtinuit.

Adelboldus, in vita Henrici S. apud Leibnitium, T. I. Script. rer. Brunſuic. pag. 431: Mater autem ſua (nempe Henrici S. Imp.) fuit Conradi, Regis (Burgundiae,) filia.

Ditma-

Digitized by Google

Ditmarus Reſtit. in Prologo Libri V, pag. 364:

Henricus (Sanctus) *ſcandit, poſtquam puerilia vicit,*
Ardua virtutum, natus de ſtemmate Regum.
Huic pater Henricus, Dux, et genitrix erat eius
Gisla, ſuis meritis aequans veſtigia Regis,
Conradi Patris, Burgundiae regna tenentis.

Annaliſta Saxo; ad A. 1007: *Gisla, venerabilis matrona, mater Regis* (Henrici S.) *obiit*, 12. *Auguſti, et Ratisbonae ſepelitur.*

74) Reſpice *num.* 73)

Chronographus Saxo, ad A. 983: Poſt mortem Ottonis II, Imp. - *facta eſt inter primates de ſubſtituendo Imperatore diſſenſio; aliis - imperium a filio eius Ottone, transferre volentibus ad Heinricum, Ducem* (Bavariae,) *filium Heinrici, qui frater fuit primi Ottonis etc.*

75) Reſpice *num.* 73)

Sigebertus Gemblacenſis, ad A. 1002: Poſt mortem Ottonis III, Imp. - - *Dux Baioariae, Henricus, iniuriato Heriberto, Colonienſium Archiepiſcopo, a cuius ore omnes pendebant, inſignia regni ab eo violenter extorſit, quaſi iure hereditario ſibi competentia. Erat quippe filius Henrici Ducis, qui fuit genitus de Henrico, fratre primi Ottonis. Henricus ergo Dux, conciliatis ſibi animis quorundam Principum regni,*

Digitized by Google

ungitur in Regem a Willigiſo, Moguntino Archiepiſcopo, et imperavit annis 22.

Idem, ad A. 1014: *Henricus, Rex, in Imperatorem benedicitur.*

Idem, ad A. 1024: *Henricus, Imperator, - - moritur.*

Henrici S. Imp. fratres fuere: *Bruno*, Epiſcopus Auguſtanus, † A. 1029. *Arnoldus*, Archiepiſcopus Ravenenſis, † A. 1018. *Giſela*, nupta *Stephano*, Regi Hungariae; et *Brigitta*, monialis Ratisbonenſis, ſed quominus hos nunc pluribus verbis teſtimoniisque allatis recenſeamus, feſtinatio prohibet.

76) *Ditmarus* Reſtit. pag. 400: *Anno Dom. incarn.* 1014, 6. *Cal. Martii, Henricus Dei gratia Rex inclytus, - - cum dilecta ſuimet coniuge, Cunegunda, ad Eccleſiam S. Petri, Papa expectante, venit - - et tunc ab eodem inunctionem et coronam cum contectali ſua ſuſcepit.*

77) *Frodoardus*, in Appendice Divion. apud *Pithoeum*, *pag.* 198: *Mathildis et Alberada filiae fuerunt Gerbergae. De Mathilde proceſſit Rodulfus, Rex* (Burgundiae,) *et Mathildis, ſoror eius.*

Genealogia B. Arnulphi, pag. 224: *Mathildis, ſoror Lotharii, Regis Franciae, et Caroli, Ducis* (Lotharingiae,) *genuit Rodulfum, Regem Burgundiae, Bertam, Guepam, et Mathildem etc.*

78)

Digitized by Google

78) Diploma *Arnulphi*, quo is beneficia Abbatiae Blandinensi ab Avo suo, Arnulpho, concessa confirmat et auget, apud *Miraeum*, in *Operibus Diplomaticis et Historicis*, *pag.* 941: *Ad hoc ergo Monasterium, pro remedio animae meae, Avique mei, Arnulphi, atque Aviae, Adalae, defunctorum, redemptione, ibique requiescentium, et Balduini, Patris mei, iam ex hac luce subtracti, simulque Machtildis, Matris adventis, dono Deo ac S. Petro, coelestis regni Clavigero, res meas perpetuo. - - Actum publice in Coenobio Blandinio, 2. Kal. Febr. Indict.* 15, *anno* 19. *regni inclyti Regis, Lotharii, et regiminis domni Abbatis Womari* 20.

79) *Genealogia B. Arnulphi*, *pag.* 224: *Mathildis, soror Guepae et Bertha, genuit Arnulphum, Comitem Flandriensem; Godefridum, Ducem, et Gozelonem, Ducem, fratres.*

80) *Chronicon Virdunense Hug. Abb. Flaviniac.* apud *Labbeum* T. I. Bibl. MSS. pag. 161: *Fredericus nomen erat viro, generosa, satis eius et alta propago. - Pater eius erat Godofridus, vir probitate, gratia, et divitiis, et honoribus, inter Magnates regni nominatissimus. Habebat et alios filios, Adalberonem, Virdunensem Episcopum; Herimannum quoque, Comitum nobilissimum; Godefridum quoque, et Gozelonem, Duces. Herimannus, qui et Hezelo, Mathildem duxit uxorem, ex qua genuit duos filios, bonae spei arbores, Gregorium, et Godefridum, et filiam Odiliam, quae fuit Abbatissa ancillarum Dei in monasterio S. Odiliae. Habuit*

Digitized by Google

buit et alium ex concubina filium, Godefridum. Godefridus vero dux in divitiis et gloria absque liberis consenuit. Gozelo autem Dux, Godefridum filium, qui accepta uxore Bonifacii postea factus est Marchio, heredem reliquit.

Albericus, ad A. 1005 : *Mortuo Duce, Ottone, filio Ducis Caroli, Ducatus Lotharingiae datur ab Imperatore Comiti, Godefrido, Virdunensi, filio Godefridi, Comitis Ardennensis. Huius Godefredi Ardennensis fuit uxor Mathildis, Comitissa Saxoniae*; (sic fortasse appellatur ab Avia, *Gerberga*, Saxonica, filia Henrici, Aucupis,) *quae peperit ei Episcopum Virdunensem, Alberonem*; *Comitem Fridericum, S. Victonii Monachum*; *Comitem de Dasburg, Hermannum, cuius fuit filius Gregorius, Leodiensis Archidiaconus, et duos Duces prosapia inclytos, Godefredum istum*, (Virdunensem) *et Gothelonem.*

Diploma, quo Godefridus, comes Ardennensis, et Dominus Ihami, prope Aldenardam, Flandriae opidum, eiusque vxor, Machtildis, anno 979, praedia quaedam donant Blandinienſi S. Petri Monasterio, iuxta Gandauum sito: in *Miraei* Operibus Diplom. et histor. pag. 144: *Haec ego Godefridus, gratia Dei Comes, et uxor mea Machtildis, sollicita mente pertractantes, - - Ideo ad monasterium, vocabulo Blandinium, in primordiis ab Apostolico Patre, sanctissimo Pontifice, Amando, constructum -; processu vero temporis ab Arnulpho*, (Balduini, Marchionis Flandriae, Patre,) *excellentiori e funda-*

fundamentis extructo aedificio, ut intuendum patet oculis, - - pro remedio animae noſtrae, filiorumque noſtrorum, donamus Deo, et S. Petro, coeleſtis regni clavigero, res noſtras perpetuo. etc. - - Actum publice, in Coenobio Blandinio, XII Kal. Febr. Indict. VII. anno XXVI regni inclyti Regis Lotharii, et regiminis Abbatis Womari XXVII. Signum Godefridi, Comitis, et Coniugis eius, Machtildis, qui hanc traditionem fecerunt, et firmari petierunt. Signum Arnulphi, glorioſi Marchiſi iunioris. S. Hermanni Comitis, filii Godefridi, Comitis. etc.

81) Vide ſupra', ſub num. 47. Diploma Berthae, uxoris Rudolphi II, Regis Burgundiae, in cuius ſubſcriptione meminit filii ſui, Conradi, Regis, et Conradi, filii Regis.

82) Praeceptum Rudolphi III, Regis Burgundiae, de Talveriis, in Guichenoni Bibliotheca Sebuſiana Cent. I, num. XLIV, p. 91: *Rodulfus, divina favente gratia, Rex. - - notum ſit omnibus, - - qualiter ob animae noſtrae remedium, et petitione Irmingardis, Reginae, coniugis noſtrae dilectae, et Burchardi, Archiepiſcopi, fratris noſtri, et Burchardi, Viennenſis Archiepiſcopi, ceterorumque noſtrorum fidelium, damus in pago Abanenſe Talueriis villam cum appenditiis ſuis. etc.*

Charta fundationis Abbatiae S. Victoris Genevenſis, ab *Hugone*, Genevenſi Antiſtite, A. 1019, in

in eadem Bibliotheca Sebuſiana, Centur. I, n. XIII, pag. 49: - - *memorandum Cluniensis Coenobii Abbatem, Odilonem, ad hoc peragendum evocavi, et permiſſione Rodulphi, Regis, conſenſuetiam fratris eius, Burchardi, Lugdunenſis Archiepiſcopi;* - - *praedictum locum S. Martyris Victoris, eius ordinationi commiſi. etc.* Vide ſupra.

Hugo, Abbas Flaviniac. in Chronico Virdunenſi, pag. 157: *in Lugdunenſi eccleſia primotus erat ad epiſcopatum Burchardus, Rodulfi Regis frater, Conradi ex concubina filius.*

Hermannus Contractus, ad 1034: *Imperator iterum Burgundiam cum magnis petens copiis omnia cis Rodanum caſtella ſubiecit, Murcenam diruit, Genuenſem urbem intrauit, Lugdunenſem Archiepiſcopum, Burchardum, genere nobilem, et ſtrenuum, ſed per omnia ſceleſtum et ſacrilegum, cum multis aliis principibus in deditionem accepit, ſubiugatoque Burgundiae regno, rediit.*

Hugo, l. c. p. 186: *Fuit in illis diebus* - - *circa annum milleſimum Dominicae incarnationis, diſſenſio maxima, poſt mortem Burchardi, Lugdunenſis Archiepiſcopi, qui hoc ſolum fecit nobile, quod periit, pro Epiſcopatu ipſo, quem multi ſuperbe appetebant. Et primus omnium praedicti Burchardi nepos* (ex fratre) *Burchardus, Auguſtanus Epiſcopus, relicta propria ſede, procaciter Lugdunenſem arripuit, et, post multas perpetratas nequitias, captus a militibus*

Digitized by Google

cibus Imperatoris, perpetuo est condemnatus exilio.

VIII. Verum ex isto Genealogico quasi Labyrintho nunc revertimur ad *Mathildem* nostram; quae, uti nascendo iam felix venerat in hanc lucem; ita proba honestaque educatione usa, feliciter adolevit, eximiasque, quas a natura acceperat, dotes magis magisque excoluit. Pro more vero illius temporis, iam a prima infantia curae et institutioni Monialium Quedlinburgensium fuit concredita. Vix annum primum aetatis egressa erat, cum eius educationis caussa, *Otto M.* Pater, Monasterio Quedlinburgensi sex villas donaret. Testatur hoc breve Diploma, quod *Kettnerus*, in *Antiquitatibus Quedlinburgensibus*, num. 9, *pag.* 15, protulit, *In nomine S. et individuae Trinitatis, Otto, Dei gratia Rex. - - Noverint omnes fideles nostri, tam praesentes, quam etiam futuri, qualiter nos quasdam res nostrae proprietatis, in Marca Lipani Hocsum, villas sex nominatas, Libene, Kliniza, Sebene, Tulci, Kalina, Kribci, cum omnibus appendicibus suis, ad monasterium Quidilingburg, in honorem S. Petri constructum, pro charissimae filiae nostrae, Mathildae, victu et vestitu, perpetuo iure possidendas donamus, et, ut haec nostri praecepti autoritas a fidelibus nostris verius credatur, manu propria nostra subtus eam firmavimus, annulique nostri impressione sigillari iussimus. Anno incarnationis Dom.* 956, *Indict.* 14, *Ottonis* 22. *Actum Quidilingeburg feliciter.* Adhaec, eadem

eadem princeps optimis etiam praeceptionibus, illuſtriſſimisque exemplis, *Mathildis*, Aviae, et *Adelheidis*, Matris, inſtructa, non potuit non ad optimas quasque, et ſexu ſuo, auguſtaque ſtirpe, digniſſimas uirtutes incitari. Vnde et evenit, ut pietate ſua, et prudentia prorſus ſingulari, omnium oculos animosque in ſe converterit. Cuius laudis teſtimonia, quibus illius aevi ſcriptores abundant, hic cumulare, haud neceſſarium rati, partem duntaxat elogii, quod ei impertivit auctor *Chronici Quedlinburgenſis*, ad A. 999, hic repetemus. *Inſigniſſima*, inquit, *Imperatoriae prolis gemma, Mechtildis Magni Ottonis, Auguſti, filia, quae, ut ſaepe memoravimus, ſceptrigeris edita parentibus, vireſcentis rudimenta infantiae, bonae indolis, utpote ipſius coronae filia, honeſta decenter Nutricum ſub cura deſcendit: quae florida dehinc vacillantis tempora iuventutis, corpore ſenſibusque plus ceteris id aetatis matureſcens, nilque ſibi commiſſi extra regiminis diſciplinam errabundum relinquens, amabilis, affabilis, pia, cunctis largior, quam ſibi, degebat. Vndecimo ortus ſui anno, Metropoli ſibi hereditariae, licet tantis impar oneribus, Imperatorum tamen conſulto Patrum, nec non communi electione, Antiſtitum benedictione, perpetuo regendae praficitur etc.* Pertinet etiam ad laudem memoriamque *Mathildis*, quod *Wittechindus*, Monachus Corbeiae Saxonicae, hiſtoriam Saxonum, ac rerum *Henrici Aucupis*, et Ottonis *M.* usque ad annum 973. geſtarum, dedicavit, praemiſſaque epiſtola, Annalęs ſuos *Fiore virgi-*

Digitized by Google

virginali, ut ipse loquitur, *cum maiestate imperiali, ac sapientia singulari, fulgenti Dominae Mathildae*, inscripsit; propterea, *quod res gestas potentissimi Patris eius, Auique gloriosissimi*, complecterentur. Alia occurrunt a scriptoribus illius aevi de *Mathilde* passim annotata, quae nunc brevitatis studio praetermittimus. Neque enim pluribus exponendum esse censemus, quot quantaque beneficia, ad condenda et ornada varia monasteria, partim de suo contulerit, partim a fratre, *Ottone II*, et nepote ex fratre, *Ottone III*, Imperatoribus, obtinuerit; item, quod aliquamdiu cum Matre, *Adelheide*, substiterit in Italia; aut quod cum familia Augusta, innumerisque principibus et episcopis, A. 992, interfuerit solennissimae dedicationi Ecclesiae Halberstadiensis; ac denique quod multa cura, magnisque impensis, instauraverit, splendideque exornaverit, Ecclesiam Metrapolitanam in castello Quedlinburgensi, et quae eius generis sunt alia; quae harum rerum curiosis facile suggerent, *Ditmarus Restit. pag.* 347 *et* 351; *Chronographus Saxo*, ad A. 981, 983, 986, 992 et 995. *Chronicon Quedlinburg. pag.* 282 *et* 283. et *Chronicon Halberstadiense, pag.* 117 *et* 119. *Kettnerus*, in *Antiquitatibus Quedlinburgensibus*; et alii.

IX. Neque vero omittendum putamus, hanc Principem augustam, inter tot luculenta egregiae virtutis a teneris annis refulgentis specimina, iam undecimo aetatis suae anno, (quod ex *Chronico Quedlinburgensi* modo cogno-

vimus,) dignam habitam fuisse, quae *Abbatissa Quedlinburgensis* constitueretur. Quod, nescio, an fieri potuisset, si iam tunc extitisset auctoritas *Concilii Tridentini*, a quo, *Libr. XXIV*, *cap.* 5, sancitum est, *ut Abbatissa eligatur non minor annis quadraginta, et quae octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit.* Eiusdem vero consecrationis meminit *Annalista Saxo*, ad annum 966. *Eodem anno*, inquit, *antequam Rex*, (Otto M.) *iret in Italiam*, *Machtild*, *unica filia eius*, *decus Sanctimonialium*, *communi consensu Cleri*, *et Populi*, *religiosissimae Congregationis sancti Servatii in Abbatissam electa est*, *praesentibus Patre*, *Ottone*, *Imperatore*, *et Matre Imperatrice*, *Athelheida*, *Aviaque sua*, *Machtilde Regina*, *nec non Rege Ottone*, (*II.*) *fratre suo*, *cunctisque optimatibus Regionis illius*, *utriusque sexus*; *non uno*, *uti moris est*, *benedicente Episcopo*, *sed cunctis regni Archiepiscopis*, *et Episcopis*, *in hoc opus collectis*, *benedicta est.* Quod ad ipsam attinet *Quedlinburgensem Abbatiam* sacrarum Virginum, S. Servatio dicatam, cui praefuit *Mathildis*; sunt, qui eius origines *Henrico* Aucupi; sunt, qui huius Coniugi, *Mathildi*; sunt etiam, qui *Ottoni* Magno, tribuant. Sed hi facile inter se conciliari possunt. *Henricus* enim *Auceps*, instigante uxore sua, *Mathilde*, et consulentibus proceribus, constituerat, ut puellae nobiles, et vitae castimonia eminentes, quae usque illuc substiterant Winethusae, commodioris sedis victusque causa, inde Quedlinburgum, quod opidum una cum aliis praediis, *Mathil-*

Digitized by Google

Mathildi, Imperatrici, dotis loco assignatum erat, transferrentur, ibique, ad regulam compositae, maioribus beneficiis ornarentur. Cui instituto etsi *Diemoth*, Winethusensis Coenobii Praeses, aliquantisper reluctaretur; deinde tamen, imperante Ottone II, consensit. Postquam enim *Henricus*, *Auceps*, morte praeventus, opus institutum nondum penitus perficere potuisset, id demum nepos eius *Otto II*, absolvit, solenniterque dedicandum curavit. Quae omnia cum iam *Gundlingius*, in Libro singulari de *Henrico Aucupe*, §. XXXIV, pag. 244, seqq. exposuerit, et auctoritate *scriptoris anonymi vitae Mathildis Reginae*, qui inter *Leibnitii scriptores rerum Brunsuic. T. I*, *pag.* 196, extat, et testimonio veterum Diplomatum, confirmarit; nihil est, cur iis repetendis tempore et charta abutamur. Vtrum vero tunc simul illa *Diemotha* Quedlinburgum fuerit translata, ut illud sacrarum Virginum collegium prima rexerit; id quod *Gundlingio* probabile visum est; an alia quaedam *Abbatissa* nostram *Mathildem* anteceſſerit? quod plures alii tradunt; deficientibus idoneis veterum testimoniis, determinare minus audemus. Interim, cui libet, adeat *Kettneri Dissertationem de prima Abbatissa Quedlinburgensi*, in eiusdem *Antiquitatibus Quedlinburgensibus* pag. 115, seqq. Vnicum locum ex *Chronico Quedlinburgensi*, apud *Leibnitium*, *T. II. rer. Brunsuic. pag.* 279, his addimus: *Mechtild, inclita Regina, obeunte coniuge suo, praefato scilicet Henrico* (Aucupe,) *coenobium in monte Quedelin-*

genſi, ut ipſe prius decreverat, ſancta devotione conſtruere coepit. Hinc regnum gentibus eſſe voluit, hoc totis viribus fovet. Ibi, quia bene nata raro ac difficillime degenerare noverat, non vilis perſonae, ſed ſummae ingenuitatis, tirunculas, canonicae religioni rite deſervituras, collegit. etc.

X. Magis memorabile eſt, *Mathildem* noſtram videri etiam in partes curae Regni Regisque, *Ottonis III*, veniſſe. Quamvis enim praecipuas partes tunc ſuſtinerent Mater Regis, *Theophania*, et Avia, *Adelheidis*, hisque, prae ceteris Proceribus, adiunctus eſſet *Willigiſus*, Archiepiſcopus Moguntinus; attamen etiam Amita Regis, haec ipſa *Mathildis*, pro inſigni prudentia, non parum tunc conſilio et auctoritate valuit. Quod ut eo magis pateat, rem paullo altius repetemus, et, allatis veterum ſcriptorum teſtimoniis, comprobabimus. Scilicet *Otto III*, ex *Ottone II*, Imp. et *Theophania*, procreatus, anno 980, lucem hanc adſpexerat. Id teſtatur *Chronographus Saxo*, ad eum annum. *Otto III*, inquit, *nominis ac culminis clauſula imperatorii, floſculi more purpurei, ex illuſtris prati vireto enituit.* Et *Annaliſta Saxo*, ad eundem annum 980: *Otto tertius, Imperator futurus, hoc anno natus eſt.* Ipſe *Otto II*, pater, cum graviſſimis diſtrictus rebus in Italia verſaretur, anno 983. Veronam convocarat conventum Principum, in quo, referente *Chronographo Saxone*, ad illum annum, *Saxonum, Francorum, Lotharingorum, Bava-*

Digitized by Google

Bavariorum, *Italicorum*, *aliorumque*, *natione*, *lingua*, *et habitu*, *dissimilium occursum gloriosum habuit*. Imo, in isto ipso Veronensi conventu, teste *Ditmaro*, *Libr. III. Annalium*, *pag.* 347, *filius Imperatoris*, *Otto III*, *successor patris futurus electus declaratusque est*. Hinc, sine dubio de voluntate Patris, et Principum Imperii consensu, idem parvus *Otto III*, quod *Ditmarus*, *pag.* 374, annotavit, *ipso die natali Domini*, *eiusdem anni* 983, *a Iohanne Archiepiscopo Ravennensi*, *et a Willigiso*, *Moguntino*, *Rex consecratus est Aquis Graneis*. Vix autem illo consecrationis ritu peracto, tristissimus nuntius de obitu *Ottonis II*, affertur in Germaniam qui publica gaudia maiorem in modum interturbavit. Etenim interea Imperator glorioſissimus, 7. *Idus Decembris*, eodem anno 983, in Italia diem supremum obierat. Quae omnia testantur, *Ditmarus*, *pag.* 347; auctor vitae *Meinwerci*, *pag.* 519; *Marianus Scotus*, ad A. 983; et *Annales Hildesheimenses*, *pag.* 719. Sicuti autem ex his satis liquet, *Ottonem III.* tunc admodum adhuc fuisse tenerum, vixque tres annos aetatis habuisse; ita omnino necesse fuit, ut, Rege hoc minoris aetatis, alii eius pariter, atque regni, tutelam curamque susciperent: cum, non tam ex Romani Praetoris lege, quam ex ipso iure naturae, intelligatur, aetate minores, haud se ipsos, nedum alios, defendere valentes, alterius tutela regi oportere. Quae res tunc non sine controversia processit. Equidem Pater, *Otto II*, dum adhuc viveret, filiolum suum

fidei *Warini*, Archiepiscopi Colonienſis, commiſerat; ſed, mortuo Patre, alii hoc ius tutelae ſibi vindicare conati ſunt. Primum quidem *Lotharius*, Rex Franciae occidentalis, id ambiit, cauſſam *propinquitatis* praetexens, revera autem poſſeſſionem regni Lotharingici, et alia commoda, quaerens. Is vero in matrimonio habebat *Emmam*, filiam *Adelheidis*, Aviae *Ottonis III*, Regis minorennis, ex priore marito, *Lothario*, Rege Italiae, genitam. Vide *Tabulam III*, *num.* 36 et 37. Iſtum *Lotharii* conatum innuit *Adalbero* Rhemenſis, inter *Gerberti Epiſtolas*, n. 58. *Id agebatur*, inquit, *ut ſenior meus*, (Lotharius, Rex,) *filio Imperatoris advocatus*, i. e. tutor, *foret*, *eaque de cauſa dati obſides erant*. Et paullo poſt: *Senior meus de revocatione regni* ((Lotharingici) *nihil mihi dixit; ſed de ſola advocatione Ottonis III.* Verum, ea res, fortaſſe ex diſſuaſione Principum Imperii, exitum non habuit; adeo, ut Rex Franciae demum ſimularit, ſe non niſi repellendi alius competitoris cauſſa illud ius ambiiſſe. Sic enim ſcribit *Gerbertus*, *in Epiſtola ad Imizam*, *n. XXII*, *pag.* 67: *Dominam meam Theophaniam*, *Imperatricem*, *nomine meo convenite. Reges Francorum filio ſuo favere dicite*, *nihilque eos aliud conari*, *niſi tyrannidem Henrici. Regem ſe facere volentis*, *ſub nomine advocationis*, (i. e. tutelae,) *velle deſtruere*. At maiore niſu rem hanc egit *Henricus*, Dux Bavariae, quem non nulli *Rixoſum*, alii *Pacificum*, cognominant: qui itidem, ſub praetextu propinquitatis, ſibi curam, et

Regis,

Digitized by Google

Regis, et Regni, vindicaturus, *Warino*, fortaſſe non invito, ipſum Regium Principem ſubduxit, atque etiam, *Ditmaro* teſte *pag.* 348, *Adelheidam*, ſororem *Ottonis III*, quae Halae tunc nutriebatur, rapuit, eius forte matrimonium oſtentaturus, revera autem ſibi ipſi Regiam dignitatem adquiſiturus. Non obſcure id veteres ſcriptores indicant. *Ditmarus*, ſub finem Libri III. *Annal. pag.* 347: *Solvitur*, inquit, *a Traiectenſi cuſtodia Dux Henricus, et ab eo Rex tenellus ad nutriendum, ſiue ad degradandum, a Warino, Colonienſi Archiepiſcopo, cuius fixmae fidei ab Imperatore praedicto*, (*Ottone II*,) *commiſſus fuit, aſſumitur.* Atque idem *Ditmarus*, ſub initium Libri IV, ad A. 984: *Praefatus*, inquit, *Dux Henricus, cum Poppone, venerabili Epiſcopo, ſub cuius poteſtate diu tenebatur, et cum Eckberto, Comite unioculo, Agrippinam veniens, Regem patronus legalis, de Warino, ut praedixi, Archipraeſule, ſuſcepit etc.* Clarius *Chronographus Saxo*, ad annum 984: *Comperta*, inquit, *morte Imperatoris*, (Ottonis II,) *Henricus Dux de exilio reverſus, cum ſibi faventibus Agrippinam civitatem intravit, ſimulans, ſe primo, ob ius propinquitatis, partibus Regis infantis fideliſſime patrocinaturum; dein, accreſcentis avaritiae ſtimulis agitatus, quorundam etiam praeſumtione male illectus, regnum tyrannice invaſit.* Verum enimvero, Principes meliorum partium, fidei ſuae et iurisiurandi memores, cauſſam Regis, licet teneri, tamen iam ante inaugurati, ſtrenue tuebantur; ideoque ex Italia, quanta fieri po-

Digitized by Google

terat festinatione, accersebant *Adelheidem*, Aviam Matremque Regis, ad res Regis Regnique curandas; praeterea vero Henricum eo redigebant, ut restitueret Regem, quem velut in custodia tenuerat, eique debitam fidem et obsequium supplex praestaret. Rem istam gestam pro nobis eloquatur *Chronographus Saxo*, ad A. 984. *Missis*, inquit, *interim probatis ad Imperatricem, Adelheidam, legatis in Longobardiam, hi, qui partes Regis adiuturi, iurisiurandi vinculo in hoc firmiter perdurandum se obstrinxerunt, hanc perturbationem ordine intimantes, si quid de regno ac nepote curaret, adventus sui et consilii ope suis ut cito succurreret, obnixius rogavere. Illa vero, conciliato sibi primitus divino subsidio, accelerato admodum itinere, cum nuru sua, Imperatrice, Theophanu, matre Regis, nec non illustri Abbatissa, Mechtilde, filia sua, amita eiusdem infantis Regis, comitantibus fratre suo, Rege Burgundiae, Conrado, et Duce Francorum eius aequivoco, cum totius Italiae, Galliae, Franciae, Sueviae, Lotharingiae, primis, occursu quoque Saxonum, Thuringorum, Sclavorum, cum universis optimatibus, qui, unitis animorum nisibus, aut pro Rege fideliter morituri, aut, quod Dei gratia factum, fortiter victuri, absque mora convenere. Habito deinde concilio maximo, - - - Heinricus praefatus, usurpato nomine ac regno iure privatus, Regem Aviae, Matri, et Amitae, praesentare cogitur, interventuque Regis, Conradi, soceri sui, ac Principum, qualicunque gratia donatus, in patriam moestus abscessit.*

Acce-

Accepto itaque unico pignore, Imperiales Dominae Saxoniam adierunt etc. Deinde idem *Chronographus*, ad A. 985, refert, quae in Francofurtano conventu gesta sint. *Interim*, inquit, *supra memoratus ille Henricus, divino instinctu ad se reversus, quid egerit, in quantum se plus aequo et honesto extulerit, et ex quanto deciderit, anxie secum non semel pertractans, dedecoris conscientia pungitur, culpae poenitentia cruciatur. Veniente igitur in Francanford Rege infante, tertio Ottone, ibidem ipse adveniens humiliavit sese iuste, quo poenam evaderet damnationis iniustae, Regique puerulo, quem orbatum captivaverat, cuius regnum tyrannice invaserat, praesentibus Dominis Imperialibus, quas regni cura penes erat, Avia, Matre, et Amita, Eiusdem Regis, humilis habitu, humilis et actu, totius in adspectu populi, ambabus in unum complicatis manibus, militem se et vera ulterius fide militaturum tradere non erubuit, nil paciscendo, nisi vitam; nil orando, nisi gratiam. At Dominae, quarum, ut diximus, cura, Regnum, Regisque regebatur infantia, tanti viri submissa deditione admodum gratulabundae, quia piorum moris est, non solum pro malis mala non reddere, sed etiam pro malis bona rependere, dignum eum honore susceptum, gratia fideli donatum, ductoria itidem dignitate sublimatum, deinceps non tantum inter amicos, sed etiam inter amicissimos, uti ius propinquitatis exigebat, debito delectionis venerantur affectu.* Eadem descripsit auctor *Chronici Quedlinburgensis*, ad A. 984 et 985, pag. 280. Simili

etiam fere narrant *Ditmarus*, *pag.* 348: *Megontinae*, ait, *tunc provisor Ecclesiae, Willigisus, cum Duce Conrado ceterisque optimatibus, ad Wesenstat venit. Hos Dux* (Henricus,) *quibuscunque valuit modis, sibi coniungere tentans, eosque a promissa Regi suo sacramentis fide nunquam vita comite recessuros, unanimi eorum responsione percipiens, coactus est, futuri timore duelli, cum iuramentis affirmare, ut* 3. *Cal. Iulii ad locum, qui Rara vocatur* (forte *Rorheim*, non procul Vormatia,) *veniret, puerumque Matri suae, illisque, redderet.* Et *pag.* 349: *Ventum ad Rara ab Imperatricibus, in Papia humiliter divinam consolationem hucusque praestolantibus, et ab universis imperii ac regni Principibus, fidelisque promissio Ducis completur, data cunctis, qui ad regnum pertinebant, gratia sui abeundique licentia. - - - Fit unus laicorum atque clericorum in Christi laude concentus. Rex a suimet Matre aviaque diligenter susceptus, Hoiconis magisterio Comitis commissus est.* Conferatur *Annalista Saxo*, ad A. 984 et 985. Ex his itaque satis intelligimus, quanta tunc in Rege Regnoque regendo fuerit auctoritas *Dominarum Imperialium*, uti vocabantur. Primas partes, quantum coniicimus, tenuit ipsa mater, *Theophania*, quam *Iohannis, Constantinopolitani Imperatoris, neptem, se in copulam legitimi matrimonii, consortiumque Imperii, despondisse, ac fausto auspicio coniugem sibi assumpsisse*, ipse testatur *Otto II, Imperator*, in *Diplomate*, *anno* 972, 18. Kal. Maii, Romae dato, in quo huic sponsae suae dota-

dotalitium conſtituerat. Vide *Leuckfeldii Antiquitates Poeldenſes*, *pag.* 207. Quam etiam ipſe Maritus, in Diplomate Monaſterio Gandersheimenſi A. 973. dato, vocat *dilectiſſimam Coniugem ſuam*, *Theophnu*, *Coimperatricem Auguſtam*, *nec non Imperii Regnorumque Conſortem.* Vide *Leibnitii Tom. II. Scriptor. rerum Brunſuic. pag.* 375. Huic Auguſtae, quamvis ea alioqui Graeci moris retinentior fuiſſe dicatur, eximium tribuit elogium *Ditmarus*, Epiſcopus Martisburgenſis, harum rerum gnariſſimus; utpote qui ipſe ſimul rebus gerendis interfuit. Libro enim 4. *Annalium*, *pag.* 349: *Haec Theophania*, inquit, *quamvis ſexu fragilis, modeſtae tamen fiduciae, et, quod in Graecia rarum, egregiae converſationis fuit, Regnumque Filii Eius Cuſtodia Servabat Virili, demulcens in omnibus pios, terrensque ac ſuperans erectos.* Atque *Tangmarus*, in *vita S. Bernwardi*, apud *Leibnitium*, *T. I. rer. Brunſuic. pag.* 443, ſcribit: iſtum Bernwardum, poſtea Hildesheimienſem Epiſcopum, *ad palatium ſe contuliſſe, in ſervitium videlicet tertii Ottonis Imperatoris, qui ſeptennis adhuc puer, cum venerabili et ſapientiſſima matre, Domina Theophana, Auguſta, rebus praeerat.* Quam ſolers praeterea illa fuerit in Italis filio conciliandis, adituque ad regnum Longobardicum, coronamque Imperialem, praemuniendo, docet Auctor *Annalium Hildesheimenſium*, ad A. 989. *Theophanu Imperatrix*, inquit, *mater Regis, Romam perrexit, ibique natalem Domini celebravit, et omnem regionem Regi ſubdidit.* Id quod etiam

Digitized by Google

etiam *Lambertus Schafnaburgenſis* ad eundem annum teſtatur. Quid iam de *Adelheide*, vidua *Ottonis I*, dicamus? Haec, uti iam Filii ſui, *Ottonis II*, rebus prudenter conſuluerat; cum, referente *Odilone Cluniacenſi*, *pag.* 264, poſt mariti obitum, *cum Filio Romani Imperii feliciter diu gubernaſſet Monarchiam; etſi, poſtquam divino nutu, ipſius Auguſtae meritis et induſtria ſolidatum fuerat Imperium, non defuerint viri iniqui, qui inter eos niſi ſunt diſſeminare diſcordiam*: ſic nec ea defuit Nepoti, *Ottoni III.* Inprimis vero, poſtquam *Theophania* A. 991, 15. Iunii, naturae debitum ſoluiſſet; *inclyta Imperatrix*, *Adelheidis*, quod *Ditmarus*, *pag.* 351, narrat, *cum Nurus ſuae mortem comperiſſet, triſtis protinus effecta, Regem, tunc 7. annos regnantem, viſitando conſolata eſt, ac, vice Matris, ſecum tamdiu habuit, quoad ipſe, proterverorum conſilio iuvenum depravatus, triſtem illam dimiſit.* Atque ita etiam *Odilo*, modo citatus, *in vita Adelheidis imper. pag.* 264, ait: *Ante quatuor hebdomadas Graeca imperatrix*, (Theophania,) *ab luce diſceſſit; Auguſta Adelheida ſuperſtes felixque remanſit. Perſeverabat autem, diſcrimina mundi lugens et deflens; Curam tamen Romani Imperii neceſſario gerens. Otto vero Tertius, uniei ſui filius a Primatibus Regni feliciſſime et honeſtiſſime educatus, nihil erga illam egit, niſi quod illum et illam decuit. Idcirco meritis Auiae, et induſtria Primatum, Romani Imperii adeptus eſt principatum.* Auctor itaque *Chronici Laurisheimenſis*, apud *Freherum*,

Digitized by Google

T. I. *Scriptor. rerum Germ. pag.* 71, laudem curae utriusque Imperatricis recte complexus: *Ottonis II. filio patris aequivoco*, inquit, *admodum parvulo, et necdum regni gubernaculis apto, Respublica, per venerabilem Adelheidem, Aviam ſuam, et imperatricem, Theophaniam, Matrem ſuam, nobiliter adminiſtrata eſt; quousque puer ipſe divinis et humanis apprime inſtructus, ad tantae virtutis inſigne emicuit, ut Mirabilia mundi appellaretur.* Quemadmodum vero etiam *Mathildis* noſtra ſtatim ab initio *Ottoni III.* praeſto fuit, ad aſſerenda regni iura; ita nullum eſt dubium, eam et poſthaec eidem, pro prudentia ſua, et ſingulari erga ipſum amore, conſiliis operaque nulla non occaſione affuiſſe. Certe, quod idem *Odilo*, ſupra citatus, pag. 265, commemorat, *Adelheidis*, poſt diſceſſum Mariti ſui, *Ottonis II.*, *cooperante unica et ſapientiſſima et prudentiſſima filia ſua*, (i. e. *Mathilde*, Abbatiſſa Quedlinburgenſi,) *in Saxonia Sanctimonialium coenobiis plurima contulit bona.* Quantacunque vero harum *Imperialium Dominarum* fuit cura; magnam tamen in regenda Imperii republica partem prae ceteris proceribus etiam fuiſſe *Willigiſi*, Archiepiſcopi Moguntini, tradit *Dodechinus*, *in Appendice ad Marianum Scotum*, ad A. 1160: *Temporibus*, inquit, *Ottonis, Imperatoris, huius nominis tertii, praefuit eccleſiae Moguntinae Willegiſus, Archiepiſcopus memoria dignus, qui ipſum Ottonem adhuc valde puerum et Imperatorem evocavit, et interim per* 16. *annos Romanum rexit Imperium.* Botho,

in *Chronico picturato*, ad A. 984, ait: *De Biſchop to Collen unde to Mente weren ſine Vorſtenden.* Vbi fortaſſe ſimul eam reſpicit curam, quae Archiepiſcopo Colonienſi, adhuc vivo Patre, *Ottone II*, erat commiſſa. Tacemus nunc, interim etiam *Hoiconem* Comitem, et *S. Bernwardum*, Hildeſienſem Epiſcopum, et *Gerbertum*, poſtea ſub *Silveſtri II.* nomine ad ſummi Pontificis Romanorum dignitatem evectum, nihil induſtriae praetermiſiſſe, ut, tanquam magiſtri ſtudiorum morumque, adoleſcentiam *Ottonis III.* bonis artibus, virtutibusque, inſtruerent. Id quod ex *Ditmari Libr. IV. Annal. pag.* 349; *Tangmari vita S. Bernwardi, pag.* 443, *et Gerberti Epiſtola CLIII*, cognoſcere licet.

XI. Conſtitueramus, hac occaſione non nihil generatim de tutela Regum Principumque Germaniae ante *Aureae Buliae* tempora, diſſerere, exemplis hanc in rem ex omni iſtius aevi hiſtoria afferendis; ſed cum, praeter opinionem, argumentum noſtrum nimis iam ſub manibus ſuccreverit; iſtis ſepoſitis, nunc velimus diſquirere, quo ordine, quaque forma, res expeditae fuerint ſub iſto tutelari regimine? Verum, in his rebus exponendis plerumque obmuteſcunt veteres ſcriptores. Interim, non dubitamus, ſi comitia fuerint habenda, ea quidem auſpiciis et nomine Regis pupilli, ſimul tamen auctoritate Tutricis, indicta fuiſſe, iisque hanc ſimul praeſentem praeſediſſe; haud ſecus, ac *Dominae Imperiales*, h. e. *Adelheidis*, *Theo-*

Digitized by Google

Theophania, *et Mathildis*, praesentes erant, cum *Henricus*, Dux Bavariae, (quod paullo ante ex *Chronographo Saxone*, ad A. 985. commemoravimus,) *Regi* puerulo, *Praesentibus Dominis Imperialibus*, *quas penes regni cura erat*, *avia*, *matre*, *et amita eiusdem Regis*, *humilis habitu*, *humilis et actu*, *totius in adspectu populi*, h. e. in comitiis publicis, iisque sub diu habitis, fidem suam atque obsequium obstringeret. Atque ita etiam *Odilo*, *pag.* 265, commemorat, *cum Caesare*, (Ottone III.) *fuisse quoque Episcoporum conventum ab Adelheida*, *Augusta*, *ipsius Caesaris Avia*, *Salsam convocatum.* Similiter nobis persuasum habemus, post obitum *Ottonis III*, duas huius eius sorores, *Sophiam*, *et Adelheidam*, alteram Gandersheimensem, alteram Quedlinburgensem, *Abbatissas*, tanquam superstites *Dominas Imperiales*, comitiis Werlensibus, in quibus agebatur de *Henrici II.* electione, praesentes interfuisse, aut praesedisse; cum *Ditmarus*, *Libri V. Annal.* 365, narrat, *ad has* pariter, *et ad omnes*, *qui ibi convenerant*, *regni primates*; quendam Henrici caussa, missum fuisse; huncque, *omnibus in unum collectis*, *legationem suam aperuisse*, *eidemque mox a maxima multitudine una voce responsum esse*, *Henricum*, *Christi adiutorio*, *et iure hereditario*, *regnaturum.* Ceteroquin *Schilterus*, *Institut. Iur. Publ. T. I*, *Libr. I*, *Tit.* 16, iam observavit, sub Imperio, tum Francorum, tum Saxonum, Augustam in consortium imperii fuisse receptam, in Curiis solennibus, post Imperatorem, sedem proxi-

proximam, eoque absente, primam occupasse, quin et Imperatoribus peregre absentibus, vicarium regimen gessisse. Ita nempe in causa Aldrici, Episcopi Cenomanensis, contra Sigismundum Abbatem, A. 838, transacta, *absente Imperatore*, *Ludovico* Pio, primo loco isti iudicio interfuit *Imperatrix*, deinde *Carolus Calvus*, *Rex*; ac denique *Archiepiscopi*, *Episcopi*, aliique *Principes et Comites*. Haec enim legimus, apud *Baluzium*, *Miscellan. Libr. III*, *pag.* 129: *Huic iudicio et redditioni interfuere subter inserti viri: Iudith*, *Imperatrix*; *Carolus*, *gloriosissimus Rex*; *Drogo*, *Archiepiscopus atque Archicapellanus*; *Autcarius*, *Archiepiscopus*; *etc.* Et anno 876, in descriptione Synodi Pontigonensis a *Carolo Calvo*, Imperatore, et Episcopis, habitae, apud *Goldastum*, *T. III. Constit. Imperial. pag.* 292, haec legimus: *Posthaec perrexit Petrus*, *Episcopus Fori Sempronii*, *et Ioannes Tuscanensis*, *ad cubiculum Imperatoris*, *et adduxerunt Imperatricem*, *Richildem*, *coronatam*, *in Synodum*, *et stante illa iuxta Imperatorem*, *et stantes quique in gradu suo inceperunt laudes etc.* Tanta scilicet tunc erat auctoritas et reverentia *Augustarum*, *Dominarumque Imperialium*! Quodsi vero praecepta et diplomata promulganda essent in isto tutelari regimine, iis non Tutricis, sed ipsius Regis, praescribebatur nomen, sigillumque Regium addebatur, nomina vero Matris, et eorum Principum, quorum potissimum consilio res acta erat, ipsi diplomati inserebantur, quasi ob horum *amorem*, *vorum*,

votum, aut interventum, petitionemque, res decreta esset. Quod, praeter alia plura documenta, demonstrat diploma, quod Otto III. anno Christi 985, cum ipse tunc annum quinctum aetatis suae ageret, *Theodorico*, Comiti Hollandiae, dedit, quodque *Miraeus, in Codice Donationum piarum, num XLI, pag. 52, ex Iani Douſae* Annalibus Hollandiae, integrum exhibet. Prorsus singulare igitur exemplum est Theophaniae, Augustae, quae, cum anno 990 Ottonis III, filii, uices in Italia ageret, Diplomati suum ipsius nomen praescripsit, Imperiique sui annos, non ab obitu Mariti, Ottonis II, quod Mabillonius per errorem opinatus est, sed ab inito cum Ottone II. coniugio, anno videlicet incarn. Dom. 972, computavit. Docet id subscriptio diplomatis: *Datum Kal. Aprilis, anno DCCCCXC, Imperii Domnae Theophaniae Imperatricis XVIII, Indictione III. Actum Ravennae feliciter.* etc. Quod exemplum, ex *Mabillonii Annal. ord. S. Benedicti Libr. L, n. 50. p. 66.* animadvertit, Mabilloniique lapsum humanissime correxit. *Reverendissimus*, et de re diplomatica, antiquitatibusque Germanorum immortaliter meritus, Dominus Godefridus, *Abbas Gotwicensis, Libr. II. Tomi Prodromi Chronici Gotwicensis, p. 224.* Aliud Diploma *Adelheidis*, Imperatricis, in Italia A. 986. promulgatum exhibet *Vghellius, T. IV. Italiae sacrae, p. 853*, quod illa dederat Monasterio S. Fructuosi Martyris, in territorio Ianuensi sito; cui nomen et Ottonis III, et Adelheidis, praefigitur: quamquam nomen Augustae ibi a Notario Italico paullo aliter scriptum sit. *In nomine Domini nostri Dei et Salvatoris Iesu Christi. Tertius Otho, Dei gratia Imperator Augustus. Anno Imperii eius, Deo propitio, tertio, prima die Aprilis, Indict. XIV. Monasterio S. Fructuosi, quod est constructum in comitatu Ianuensi prope littus maris, locus qui dicitur Caput Montis, ubi nunc dominus Madelbertus Abbas praeordinatus esse videtur. Ego Adelagia*, (Adelheidis) *Imperatrix Augusta, filia bonae memoriae Domini Rodulphi, Regis Burgundiae, et relicta bonae memoriae Domini Ottonis Imperatoris, quae professa fuit ex natione mea lege uiuere Sa-*

lica, offertrix et donatrix ipſi Monaſterio propterea dixi. - - Ideoque ego, quae ſupra, Adelagia Imperatrix, dono et offero a praeſenti die in eodem monaſterio S. Fructuoſi, pro anima praedicti domini Othonis. Imperatoris, viri mei, et pro fomento Filii mei, Karoli, quem Dominus Deus, et Saluator noſter, Ieſus Chriſtus, reddidit mihi de fluctibus maris turbidi vivum et ſoſpitem, per merita beatiſſimi Fructuoſi, et per orationes bonorum virorum ibidem Domino famulantium, et ordine, ſicut hic ſubtus legitur. - - Signum manus Adelagiae, Imperatricis, quae hanc chartulam offerſionis fieri rogavit, ut ſupra, et relicta eſt ei. Signum manuum Wiligiſi, Maguntini Archiepiſcopi, Ravizonis, Comitis, etc. Ego Oderius, Notarius et Iudex ſacri Palatii, et ſcripſi, et dedi. In hac charta non pauca occurrunt, quae ſingularia, et quodammodo dubia, nobis videntur; maxime, quod nusquam alibi mentionem Karoli, filii Adelheidis, factam eſſe adhuc deprehendimus. Sed iſta excutere nobis nunc minus vacat.

XII. Reſtat denique, ut diſpiciamus, an *Mathildis, Abbatiſſa Quedlinburgenſis*, quod in titulo huius Diſſertationis poſuimus, et quomodo eadem fuerit *Vicaria Imperii, id eſt*, Verweſerin des Reichs? Equidem haud ignoramus, non nullos Iuris publici peritos, cum Boeclero, in *Notitia Imperii, Libr. IV, Cap. III*, §. 2, *et Limnaeo, Libr. III. Iuris publ. cap XII*, §. 30, diſtinguere inter *Vicarium Imperii, et Imperatoris*, adeoque iis, quibus Imperatores abſentes pro lubitu vices regni adminiſtrandi crediderint, nomen *Vicariorum Imperatoris* tribuere; hos uero, quibus *vicariatus*, vigore Iuris introducti, et nunc auctoritate *Aureae Bullae*, competat, uelut Saxoni, et Palatino ad Rhenum, κατ' ἐξοχὴν *Vicarios Imperii* appellandos cenſere. Verum, iam aliis otioſa haec diſtinctio viſa eſt; cum utrobique non tam Imperium proprie habeat Vicarium, quam Imperator, atque nomina iſta non raro promiſcue adhibeantur. Vid. *Pfeffinger. ad Vitriarii Ius Publ. Libr. I, Tit XI*, § 4, *lit. c.* nobis tamen licebit Mathildem generatim vocare *Vicariam Imperii*, cui aliquando, abſente Imperatore, Ottone

Ottone III, partes Imperii curandi regendique ab illo ipso Imperatore fuerant concreditae; cum heredirarii fixique *uicariatus Saxonis et Palatini illo tempore nondum essent constituti.* De *Mathildis* temporario vicariatu, testis locupletissimus nobis est *Ditmarus*, *Libr. IV, p. 356* apud *Leibnitium*: *Imperatore*, inquit, *et Ekkihardo, pariter tunc in Romania commorante, commissa erat Regni illius cura uenerabili Abbatissae, Mathildi, quae erat in Civitate Quidelingaburg. Luculentius auctor Annalium Hildesheimensium, p. 730*, et tempus, et occasionem, huius *vicariatus*, indicat, ad annum 997. *Imperator*, inquit, *ut Romanorum sentinam purgaret, Italiam perrexit, Summa Rerum Dominae Mathildae, Amitae suae, Quidlingaburgensi Abbatissae delegata; in qua ultra sexum mira prudentia emituit.* Huc accedit Auctor *Chronici Quedlinburgensis ad A. 999. Haec Mathildis, Magni Ottonis Augusti filia*, inquit, *fratruele suo, Largo scilicet Ottone, Romam proficiscente, Imperatoria Vice commissa sibi Regna, non levitate feminea, gubernans, barbarorum etiam induratos vertices Regum, artificioso aviti paternique ritu ingenii, ita placabiles subiugabilesque reddiderat, ut huiuscemodi pacis fundamenta, qua nunc sancta Dei Ecclesia pro parte fruitur, post tantarum devastationem provinciarum, post effrenum barbariae motum, non gladio, non armis, non ullis bellicorum instrumentis apparatuum, licet et ad ea praecipienda satis esset idonea; sed continua vigiliarum, orationum, inediaeque instantia, soli Deo intenta, illius dosente et confortante subsidio, prima posuerit, ponendoque construxerit. etc.* Eadem plane habet *Chronographus Saxo*, et *Annalista Saxo*, *ad A. 999.*

XIII. Si iam disquiramus, quid memoratu dignum in isto *temporario vicariatu* gesserit Mathildis; aegre quidem ferimus scriptorum istius temporis socordiam in rebus accurate annotandis; interim tamen non supersunt nulla rei bene gestae indicia. Primum quidem, cum imperante et praesente Ottone magnos motus semper concitassent populi Slavici; Bohemi, Poloni, Luticii, Abotriti, Wlotabi, aliique, et, quamvis semel iterumque repressi et in ordinem redacti essent,

violata tamen fide, identidem rediisſent ad priſtinum ingenium; mirum certe eſt, eos tunc, abſente Imperatore, et Mathilde vicarias eius partes adminiſtrante, ſingulari felicitate pacatos quieviſſe. Id quod teſtatur auctor Chronici Quedlinburgenſis; loco modo excitato; ubi tradit, id non tam contigiſſe armis bellisque, quamvis et ad haec gerenda Mathildis fuerit idonea; ſed potius eximia eius prudentia, et ſalubribus conſiliis, ac potiſſimum inſigni pietate. Praeterea eadem, anno 998, convocato Imperii Senatu, Dornburgi ſolennia habuit comitia, in quibus, quicquid inter Principes litigioſum, prudenter compoſuit; et, quicquid controverſum erat, feliciter pacavit. Mentionem horum comitiorum iniecit *Ditmarus*, *Lib. IV*, *p.* 256, teſtis certiſſimus. *Imperatore*, inquit, *et Ekkihardo* (Marchione Thuringiae) *pariter tunc in Romania commorante, commiſſa erat regni iſtius cura venerabili Abbatiſſae, Mathildi. — Fit publicus in Dorneburg Abbatiſſae totiusque Senatus in unum conventus. etc. Dornburgum* illud, ubi ea comitia habita ſunt, non nulli, cum *Fabricio*, *Origin. Saxon. Libr. II*, *f.* 227, item cum *Graiſſhio*, *in deſcriptione Salae*, *fluvii*, referunt ad opidum in Thuringia, Ienam inter et Numburgum, propter Salam in monte ſitum, et hodie ditioni *Saxo-vinarienſi* adſcriptum; quod caſtellum pervetuſtum, et olim *venerabili palatio* inſtructum fuiſſe, dicunt. At, *Beckmannus*, *Hiſtor. Anhalt. P. III*, *Libr. II*, *cap. 6*, *pag.* 343; *Leuckfeldius*, *in Antiquitatibus Halberſtadienſibus ad A.* 971, *p.* 247, et maxime Reuerendiſſimus Dom. Gudofredus, Abbas, in *Chronici Gotwicenſis tom. Prodromi Parte II*, *Libr. III*, *c. I*, ubi agit de *Imperatorum et Regum Teutonicorum Palatiis*, *p.* 512, referunt ad eiusdem nominis *Caſtellum ad Albim*, quod quidem olim ad ſiniſtram fluminis ripam Saxonicam ſitum, ſed fluctibus Albis fere abſorptum eſt, ut vix rudera antiquitatis cernantur; nunc mutato alveo ad dextram fluvii ripam Sclavicam, proxime ad urbem et caſtrum Barbii translatum, hodie ad ditionem Principum Anhaltinorum pertinet. Quae vero hi ſcriptores ad *Dorneburgum Anhaltinum*

Digitized by Google

tium referunt, id nempe Ottonis M. esse opus, palatio honorabili quondam conspicuum, anno 971 exustum, nec raro ab *Ottonibus*, Imperatoribus, frequentatum; cum non pauca Diplomata *Dornburgi* data reperiantur; ea omnia recentiores Thuringici scriptores ad suum *Dornburgum* etiam accommodant. Nos fatemur, ex verbis Ditmari, qui meminit istorum comitiorum, non satis evidens indicium apparere, in utro loco ea comitia fuerint habita? Pro inconstantia vero orthographiae medii aevi, utrobique, modo *Dornburgum*, modo *Thornburgum*, scribitur, nominisque ratio ab antiquo Germanorum idolo, *Thor*, accersitur.

XIV. Sed et alia comitia convocaverat eadem Mathildis Magdeburgum; quae ad A. 999 commemoravere, auctor *Chronici Quedlinburgensis*, *p.* 284; *Chronographus Saxo*, *p.* 209; *et Annalista Saxo*, *p.* 369; qui omnes sua ex iisdem fontibus hausisse videntur. *Novissimis*, inquiunt, *temporibus suis*, *Mathildis*, *colloquio apud Magdeburch habito*, *conventu episcoporum*, *cum Duce Bernhardo*, *Comitum ac totius Senatus Plebisque concursu*, *confluentibus ibidem omni ex natione Legatis*, *undique vallata*: *difficile relatu est*, *qualis fuerit*, *quam irreprehensibilem se exhibuerit*, *quamque mira discretione sua cuique tribuerit*, *quanta veneratione Praesulum*: *personas prae ceteris honoraverit*, *quanta solertia optimates et iudices*, *alios que*, *quorum id curae relinquitur*, *pro consolidanda republica*, *pro privatis etiam usibus confirmandis*, *monuerit*, *quanta lenitate permulserit pios*, *quanta districtione reos terruerit*, *quantaque industria patriam conservaverit*, *adiuverit*, *et auxerit*. *Ditmarus*, *Libr. IV*, *pag.* 356, itidem memimit solennis Principum conventus a Mathilde convocati *Magdeburgum*; qui an idem prorsus fuerit, quem modo memoravimus, an alius alio tempore institutus, fere haesites; id tamen certum est, fuisse ultimum conventum ab eadem *Abbatissa* convocatum. Nimirum eo ipso tempore, quo habita sunt *Comitia Dornburgensia*, de quibus paullo ante egimus, res interea accidit, qua universum Imperium turbari potuisset. *Wirinharius* Walbeccanae propaginis erat *Lotharii* Principis filius, iuvenis

iuuenis aetate florente, et animi fortitudine, insignis. Huic olim *Eccardus*, Marchio, Luitgardam filiam, praestanti forma, et lectissimis moribus virginem, uxorem promiserat; sed tradere, incertum, qua de causa, cunctatus erat. Iuvenis morae impatiens, cum Virgine, quae Quedlinburgi educabatur, aliter potiri non posset, eam, interea temporis, dum Senatus Regni habebatur Dornburgi, auxilio quorundam aequalium raptam deduxit Walbeccam. Ingens haec contumelia visa, et publica poena vindicanda; nec dubium est, quin certam belli occasionem afferre potuisset, ut recuperaretur Virgo rapta, scelusque patratum graviter puniretur. Contra quae tamen non minus Wirinharius se parabat, pellectis in suam sententiam non paucis, qui veluti communem caussam coniunctis viribus defendendam iudicarant. Quid faceret Vicaria Imperatoris absentis, Mathildis, hoc casu maiorem in modum perculsa? Rem referebat ad primates et seniores principes, qui consulenti Abbatissae suadebant, ut conventum Principum evocaret Magdeburgum, in quo rei vel praesentes responderent de ausibus suis, raptamque restituerent Virginem, vel, si desererent vadimonium, absentes condemnarentur. Dictum, factum. Cum enim, interim senioribus quibusdam Principibus partem utramque hortantibus, ne nuptiales taedas luctu exitialique ferro commutarent, in frequenti Principum consessu sese rei stitissent supplices, res transacta, puella Mathildi restituta, et venia demisse petentibus data est, magnusque funesti belli metus sublatus. Quae omnia, loco citato, enarrat Ditmarus, cuius haec sunt ea de re verba postrema: *Consulenti tunc de talibus primates Abbatissae, dictum est ab his, quod sibi videretur optimum, in Magdeburg fieri conventum. - - Confluente maxima illuc multitudine, Werinharius, cum suis cooperatoribus, nudis pervoluitur pedibus; sponsam reddit; veniam de commissis sibi suisque, auxilio Principum, promissa emendatione, promeruit. Sed venerabilis in omnibus Mathildis, finito colloquio, Luiderdam secum duxit, non pro retentione, sed pro amoris magni confirmatione.* Hoc ultimum

mum ſpecimen fuit vicarii regiminis a Mathilde glorioſe geſti; utpote quae, paucis poſt diebus, fatali infirmitate correpta, eo ipſo anno 999, VIII. Idus Februarii, uti Ditmarus tradit; ſeu VI. Idus Febr. prout Necrologium Fuldenſe habet, animam placide exſpiravit; cuius exuviae deinde Quedlinburgi in media Baſilica S. Petri et S. Stephani, iuxta tumulos Regum, Aui et Aviae ſuae, Henrici et Mathildis, reconditae ſunt. Quae ſcriptores hucusque excitati pluribus exponunt.

XV. Haec ſufficiant de vicario imperii regimine, quod geſſit *Mathildis*, *Abbatiſſa*. Quod exemplum pertinet ad ſubſidiariam quaſi γυναικοκρατίαν, a qua non prorſus aliena fuit priſtina res publica Germanorum. Ita Plutarchus, de *virtutibus mulierum*, teſtatur, *apud Celtas*, (ad quos Graeci referebant Germanos,) *omnibus conſultationibus de pace et bello feminas adhiberi ſolitas eſſe, et lites cum foederatis, aut ſociis populis exortas, earum interventu et conſilio decidi conſuevisſe.* Quin imo, *Tacito, de moribus Germanorum, Cap. VIII*, referente, *ineſſe feminis ſanctum aliquid et prouidum putarunt Germani; nec aut conſilia earum aſperati ſunt, aut reſponſa neglexerunt.* Multo plura huius rei exempla in promtu haberemus, niſi tandem modus huic exercitationi ſit ſtatuendus. Quid? quod huius antiqui moris quaedam ſuperſunt veſtigia, dum adhuc hodie quaedam *Abbatiſſae* non ſolum *territoriali*, uti loquuntur, *ſuperioritate et iurisdictione*, ex beneficiaria lege fruuntur, et *moniales* ſuas, hominesque ſuae ditioni ſubiectos, regunt; ſed etiam ad univerſi Imperii curam et negotia admittuntur, ac tam in univer-

Digitized by Google

universalibus, quam particularibus, Imperii Comitiis, ius sessionis et suffragii habent; adeoque *Praelatis ecclesiasticis* accensentur; quamvis hodie non amplius ipsae praesentes interfint Comitiis, sed auctoritate sua certos Legatos designent, ablegentque. Cuiusmodi *Abbatissae*, quantum ex subscriptionibus variorum Imperii *Recessuum* constat, numerantur sequentes: *Quedlinburgensis*, quae sibi prae reliquis primum vindicavit locum, A. 1544, 1548, 1559, 1566, 1570, 1576, 1582, 1594: 1598, 1603, et 1613. 2. *Essensis*; 3. *Gandersheimensis*; 4. *Gerenrodensis*; 5. *Hervordiensis*; 6. *Buchaviensis*; 7. *Andlaviensis*; 8. *Lindaviensis*; 9. *Monasterii inferioris Ratisbonensis*; 10. *Monasterii superioris Ratisbonensis*; 11. *Burschedensis*; 12. *Rotmonasterienſis*; 13. *Gutencellensis*; 14. *Hegbachensis*; 15. *Burscheidensis*; quamquam nunc non nullis de isto iure sessionis et suffragii in comitiis moveatur controversia. Verum, de his plura commentantur Iuris publici doctores, et ex instituto egit Petrus Muller, ICtus Ienensis, in disputatione *de Gynaecocratia in regionibus Imperii Germanici*, anno 1706. *edita*.

TABVLA I

Digitized by Google

3) Ethico,

Comes Altorfiensis, et sator veterum Welforum, in Suevia; cuius posteros recensere, nunc nihil attinet.

6) CAROLVS *Calvi*
Franciae et Burgun
inde Imperator. n
823. †. A. 877.

Digitized by Google

MATHILDIS
ELPHICAE

ibus Caroli M.

Maior,
enſis,
Colle-
872.

12) Rudolphus, *Conſiliarius, primasque palatii Caroli Calvi, Imper. Monaſterii Centulenſis et Gemeticenſis Rector.* †. A. 866.

(quae
oberto
iti et
orum;
i filii
t Ro-
es et
rum.)

ior,
bbas
. †.

14 et 16) Welfus, *Abbas Centulenſis, et S. Columbae Senonenſis.* †. A. 881.

et 19) Adelheidis, *Maritus*:
et 19) Richardus, *Dux Burgund. ſuperioris.* †. A. 921.

IVS,
. 932.
filia
ſciae.

Privigni Adelheidis:

20 et 23) Hugo *niger*, *cognominatus et* Capeto; *Dux Burgund. infer.*

20 et 24) Boſo, *Comes Vitriacenſis.* †. A. 935.

Digitized by Google

48) CONRADVS, *Rex Burgun*
secundum TAB. III, 46.
49) *Vxor*, MATHILDIS, *filia*

50) RVDOLPHVS III, *cognom. ignavus, Rex Burgundiae ab.* A. 993. † A. 1032.

Vxores:

51) I. Egildrudis.

52) II. Ermengardis.

53) Bertha.

Maritus:

54) Odo, f. Ott
Dux Campaniae
Gallicae.

55) Odo II, *Comes Palat. Francor. Princeps Campaniae Gallicae, qui post* Rudolphum III, *regnum Burgundicum sibi vindicare voluit.* † 1037.

56) *Vxor*, Ermengardis.

53) Theobaldus, *Comes*,

rthae, *Filiae* Burchardi, *Ducis Alemanniae*;

Conradus; *is Regis ex Vxore na-*

77) Mathildis, †. A. 1009.

82) Burchardus *Archiepiscopus Lugdunensis, ex concubina natus*

Mariti:

78) I Balduinus. *Marchio Flandriae.*

80) II. Godofredus. *Comes Ardennensis.*

Arnolphus, *Marchio Flandriae.*

Godefridus, *Comes dunensis, x Lo- infer. . 1019.*

80) Gozelo, *Dux Lotharing. super.* †. A. 1044.

80) Hermannus, *Comes de Dasburg.*

80) Albero, *Episcopus Virdunensis,* †. A. 992.

80) Friedericus *Comes, Monachus S. Vitonis.*

CON-

Digitized by Google

CONSPECTVS DISSERTATIONVM IN HAC SECVNDA PARTE TOM. II. COMPREHENSARVM.

De Vrnis feralibus. Valentin. Alberti. Lipſ. 1688. 1.

I. De montis Tauni vero in Haſſiae ſitu. Chriſt. Frid. Ayrmann. Gieſſae. 1723. 28.

Parte hac ſecunda iam per Typographum ad finem perducta, in manus noſtras venerunt: Sicilimenta ad Diſſertat. Ayrmannianam. Iſtas annotationes a Magnifico Almae Ludovicianae t. t. Rectore Lud. Godofr. Mogen, maximo ſtudio congeſtas, quia ſententiae Celeb. Ayrm. magnum robur conciliant, Tomo III. inſerere conſtituimus.

II. De Ottone II. Granſeio Baſileenſi Epiſcopo, caedis Alberti I. Regis participe. Carol. Andr. Bel. Lipſ. 1762. 72.

V. De Autographis Veterum. Io. Gulielm. Berger. Vitem. 1723. 83.

V. De

Digitized by Google

V. De cauſſis et eventu Turbarum quibus Norimb. A. S. R. clɔccccxlix conflictata eſt. Io. Guilielm. Ebner ab Eſchenbach. Altorfii 1738. 120.

VI. Stoicus relig. Chriſt. contrarius Dan. Theoph. Gerſtener ex MST. Autor. nunc demum in lucem e[illegible]tus. 143.

VII. De Apographis Veterum. Io. Frid. Guhling. Vitemb. 1723. 187.

VIII. De Tribus regni Sueciae coronis Dan. Guil. Moller Altorfii 1696. 204.

IX. De Mathilde Abbatiſſa Quedlinburgenſi aliquando Vicaria Imperii. Chriſt. Gottl. Schwarz. Altorfii 1736. 243.

Errata in parte prima et ſecunda, quia ſenſum minime pertubant, ideoque nullius plane momenti ſunt, Humaniſſ. Lect. emendanda relinquimus.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google